This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

LSoc 1726.35.5



HARVARD COLLEGE
LIBRARY

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA,

AD INCREMENTVM SCIENTIARVM,

AB HIS,

QVI SVNT IN COLLIGENDIS

ERVDITORVM NOVIS ACTIS

OCCVPATI,

PER PARTES PVBLICATA.

EDENDI CONSILIVM SVSCEPIT,

SVA NONNVLLA PASSIM ADDIDIT,

PRAEFATIONEM

PRAEMISIT,

FRIDER. OTTO MENCKENIVS,

PHIL. ET IVRIS VTR. DOCTOR,

POT. POL. REGIS ET ELECT. SAX. CONSILIARIVS AVLÆ,

URBIS PATRIAE SENATOR, SOCIET. SCIENT. REG. BORVSS. SODALIS, NVPER AVTEM INTER PASTORES ARCADES RECEPTVS, ET POLIANTI CRIVNTINI NOMINE DONATVS.

VOLVMINIS OCTAVI PARS PRIMA.

LIPSIAE,

APVD B. LANCKISII HÆREDES.

MDCCLI.

LSoc 1726.35.5
HARVARD
UNIVERSITY
LIBRARY
AUG 31 1943
Sheldon fund

I.

IO. CHRISTOPH. HARENBERGII EXPOSITIO ODÆ DAVIDICÆ LXVIII, AD CRITICAM SACRAM EXACTA.

I.

Cantico huic nomen *Davidis* legitur præfixum. Quare non dubitamus, odam hanc ſacram ad *Davidem*, vatem illum commendatiſſimum, eſſe referendam. *Davidem* exſtitiſſe hieropſalten primarium, inter omnes conſtat ex *2 Chron. XXIX, 25, 30, Luc. XX, 42, Act. I, 16, 20, Rom. XI, 9.* Eapropter *David* vocatus fuit נעים זמירות, *amoenus reſpectu cantilenarum, 2 Sam. XXXIII, 1, 2.* Solebat ipſe iunctis inſtrumentis muſicis odas decantare, Deum celebraturus, *2 Sam. VI, 21.* Cuicunque igitur odæ ſacræ præmiſſa eſt formula לְדָוִד מִזְמוֹר, *canticum Davidi* inſpiratum, eam auctore Deo ac *Davide* ſcriptore gaviſum fuiſſe, nulli dubitamus, licet dubitaverit *Aben Esra.* Mentio inicitur in hac oda de *adyto Dei Hie-*

roſolymitano. Vocatur illud הֵיכָל v. 30. Deſignatur per appellationem illam *opertum* illud, illud domicilium ſacrum, in quod arca fœderis iuſſu *Davidis* ſupra montem Zionis fuerat translata. Hic mons eam ob cauſam *mons Dei* vocatus fuit *v. 16.* Complectitur hic hymnus lætitiæ publicæ indicium. Huius lætitiæ celebritate ac monumento *David*, Iſraelitis comitatus, translationem arcæ fœderis ſolennem, in montem Zionis deportatæ, illuſtravit. Deſcribitur ea ſolennitas 2 *Sam. VI.* Ad ſingulas proceſſionis ſacræ partes, easque ſex, ſpectat vox הֲלִיכוֹת, quam in hac oda deprehendimus obviam *v. 25.* Eodem fine & ſcopo vox adhibetur de re eadem 2 *Sam. VI, 23.* Inchoatur oda hæc a formula dictionis ac clamoris lætiſſimi, quem olim Iſraelitæ, in deſertis Arabiæ caſtra moturi, & ad hoſtes progreſſuri, ſuſtulerant. Hic clamor erat ipſorum: הֵידָד, Ἀλαλαί, Ἀλαλαγμὸς, *celeusma.* Legitur illa formula & teſſera ingreſſurorum iter, Iſraelitarum *Num. X, 35.* Itineri quoties Iſraelitæ ſeſe accingebant, toties ipſi præmittebant hæc verba: *Surge, Domine, ut diſpergantur hoſtes tui, & refugiant ii, qui te oderunt, a conſpectu tuo.* Eadem verba, prima voce duntaxat paululum inflexa, hic odæ *Davidicæ* præmittuntur eo fine, ut intelligamus, arcam fœderis e ſede priori fuiſſe motam, ac in domicilium porro novum translatam. Significatur translatio arcæ fœderis ex Kiriath-Iearim in caſtrum *Davidicum*, monti Sionis impoſitum, ubi tentorium novum *David* arcæ apparaverat, 1 *Chron.*

XVI, 1, 2 Chron. I, 4. Pervidit iam & indicavit ſummus ille Iacobus Uſſerius a) occaſionem, hiſtoriam, & ſummam huius Pſalmi, tradiditque, translationem ipſam anno orbis creati 2959, ac eo quidem ſabbatico, contigiſſe. Cecinerunt omnino comites Davidis, iique triginta familiarum principes, ex Iſraele univerſo delecti, ſuisque contribulibus ſtipati, cantica haud una in ipſa translationis ſolemnitate, 1 Chron. XIII, 8, 2 Sam. VI, 15. Deportatio in cenſum venit gemina. Prior ſpectat ad arcam, ex domo Abinadabi in domum Obed-Edomis deportatam. Ad hanc translationem ſpectat Pſalmus CXXXII. Poſterior ſpectat ad arcam, ex domo Obed-Edomis in montem Zionis, novumque indidem tentorium, translatam. Huc referenda eſt b) oda, quæ eſt in oculis & præ manibus. Meminit enim David v. 30 ſedem Dei, ſupr. Hieroſolyma elatam. Norunt omnes, caſtellum Davidis Sioniticum urbe Hieroſolyma fuiſſe altius ac elatius. Proceſſionem vero ſacram & ſolemnem, qua arcam David transportavit, animadvertere licet ex v. 25, 26, ac ex hymni totius complexu.

II. Id vero præmonendum eſt, odas Davidicas haud unas ita fuiſſe *) compoſitas & inſtructas, ut plures in eis inducantur perſonæ loquentes, ſeu cantantes. Qui vices has cantantium ob oculos

A 2 haud

a) In Annalibus V. T. p. 50 edit. 1720 Genev. fol.
b) Eodem ſpectat Oda Davidica XXIV.
*) M. Ioh. Chriſtophori Speideli Unverwerfliche Spuren der alten Davidiſchen Singekunſt, Stutgard, 1742, 4.

haud habent, illi non poſſunt non in difficultates ac tenebras nonnullas ſeſe immergere. In hac oda ſacra non uni perſonæ conveniunt ſingula hymni pronunciata. Alius enim inducitur de Deo exponere *in perſona*, ut mos eſt loquendi, *tertia* *v*. 2, 5, 6, 7, 12, 17, 20, 22, 23, 33, 34. Alius inducitur hymnœdus, qui Deum ſibi ſiſtit ac proponit præſentem, eumque coram compellat *v*. 3, 8, 9, 10, 11, 19, 25, 29, 30, 31. Alius cantor infigit auditoribus lectoribusque officia, in laudibus Dei concelebrandis poſita, *v*. 3, 21, 27, 28, 35. Inducitur porro alia perſona, quæ, veluti extra ſeſe præ admiratione rerum maximarum rapta, virtutes, præſtantiam, ac facta Dei præcellentisſima, ſymbolis ſublimibus illuſtrat *v*. 13, 14, 15, 16, 24, 32. Quo ipſo dilucet, hymnum hunc a perſonis, ſeu cœtibus, diverſis fuiſſe decantatum. Omnes tandem concentu iuncto pronuntiarunt laudes Deo, quibus oda ſacra *v*. 36 concluditur. Eadem cautio exegetica ad *Pſalmum II*, *XXII*, aliosque, eſt applicanda. Id ſi factum fuerit, prono omnia fluunt alveo, ac ipſo iubare meridiano ſiunt clariora.

III. Hiſce præmiſſis, metaphraſin, ſeu interpretationem, dictionis Hebrææ Latinam adornare & ſubiungere lubet, annotatiunculis quibusdam conſperſam. Si quis hæc noſtra velit diiudicare, eius eſt inſpicere contextum Hebræum, quem quippe ſolum ob oculos habuimus. Ii, qui ex translationibus ſua hauriunt, ſunt mirum in modum orandi, ut iudicio ſuo

tan-

tantiſper iniiciant frenum, donec peritiam literarum Ebræarum ſibi comparaverint ſatis firmam, ac multa exercitatione corroboratam.

IV. *Inciſum* primum. *Præfecto Muſices* publice traditum ac decantandum. *Canticum Davidi* traditum ex Dei inſpiratione, *muſicis inſtrumentis ſimul decantatum*. מִזְמוֹר שִׁיר. eſt oda, quam præit concentus muſicorum inſtrumentorum, & quæ tandem deſinit in chori canentis epiſodium. Clauſulam univerſi canentium cœtus non ſolum hic, ſed etiam alibi, habes. Expende in præſens indolem *inciſi* 36.

2. *Surget Deus! diſpergentur inimici eius! & fugam capeſſent, qui ipſum oderunt, ex ipſius conſpectu.* Verba deſumta ſunt ex veteri more. *Num. X,35.* Spectant ea ad motum & progreſſum arcæ fœderis, & hoc loco ſunt iterata, eo quod iuſſu divino & auſpiciis *Davidicis* ipſa in montem Zionis fuit progreſſa atque translata. Hymnœdus, hæc cum ſuis enuntians, Deum alloquens inducitur in tertia perſona. Excipit eum alius, qui morem cantandi deflectit ad perſonam ſecundam, uſum allocutione ad Deum directa.

3. *Quemadmodum diſpellitur fumus, diſpelle* inimicos tuos & adverſarios: *quemadmodum liqueſcit cera prope ignem*, ſic *peribunt malitioſi a conſpectu Dei.* Certo eventu id fiet, licet ſenſim. Nam נדף eſt idem ac leviſſimo tenuiſſimoque motu ciere.

4. *At iuſti ac probi lætabuntur, immo exultabunt, erga Deum, ac bilares ſe præſtabunt*

 bunt

bunt iuxta ſambucæ concentum. Indicantur gradus ac incrementa lætitiæ. Hæc primum in animo perſentitur, deinceps in affectum erumpit, ſanguinemque verſus extimas corporis partes propellit, ac corpus exultationi aptat, tandem vero geſtum & commotionem corporis, ac nil niſi gaudia & admirabilitatem beneficiorum Dei, oſtentat. Non apparet ulla ratio, cur voci שִׂמְחָה hoc loco affigenda ſit *lætitiæ* notio ac poteſtas. Hilaritatem ſuam populi orientales tripudiando ad inſtrumentorum muſicorum concentus exhibere & declarare conſueverant. Reſpicitur ad ſaltationes, quas *David* cum ſuis inter pſallendum peregit, & quas ipſi poſthæc uxor ipſius, *Michal*, *Sauli* filia, exprobravit. Reſpicitur ad varia inſtrumenta muſica, quorum concentus cum proceſſione illa fuit coniunctiſſimus. 2 *Sam. VI*, 5, 15. Sambucam alibi deſcriptam dabo ex *Athenæo* aliisque ſcriptoribus vetuſtis, ſimulque ſignificabo, eam ab Ebræis dictam fuiſſe modo סַבְּכָא, modo שַׂבְּכָא, modo שָׁלִשׁ, ut 1 *Sam. XVIII*, 6.

5. Redit cantor, qui per modum perſonæ tertiæ Deum compellat, ita modulans: *Cantica recitate Deo, utraque muſica decantate nomen ipſius, ſternite viam ei, qui vectatur per loca arenis paludibusque miſta. In ſanctiſſimo eſt nomen eius. Omnino exultate in conſpectu eius.* Meſſias, angelus Iehovæ, cuius nomen eſt in Deo ſanctiſſimo, deduxerat Iſraelitas per mare periculoſiſſimum, quod appellatur mare turbinis, יַם, סוּף, ac rubrum. Con-

ſtabat

ſtabat illud ex barathris, ex paludibus arena mixtis. Loca eiusmodi permixta vocantur עֲרָבוֹת, ſiquidem Ebræi mixtionem vocant c) ערב. Eodem reſpexit *Ieſaias XXXV, 6*, de ævo adventantis Meſſiæ vaticinatus: נִבְקְעוּ בַמִּדְבָּר מַיִם וּנְחָלִים בָּעֲרָבוֹת *findentur in deſerto illo aquæ & alvei in mixtionibus*, id eſt, in lacu illo, quo arenæ, & paludes, ac aquæ, miſcentur. Alluditur hiſce verbis ad diffisſionem lacus Sirbonis, quæ, egreſſis ex Aegypto d) Iſraelitis, contigit. Vocatur idem lacus *v. 7* הַשָּׁרָב, ne ignores nomen. Loca eiusmodi paludoſa, veſtigia euntis ob arenam ſupernatantem fallentia, ac viatori pernicioſa, appellantur סַרְבִּים *Ezech. II, 6*. Lacus Sirbonis vocatur יָם הַסַּרְבּוֹנִיס 2 *Reg. XIV, 25*. Erat is extremus Iudææ terminus contra Aegyptum. Id ipſum additur. Quare oſtium eius, ſeu immerſus, vel ecregma, fuit *alveus Sichor*, *alveus Aegypti*, *alveus ante Aegyptum*. Hic enim perhibetur fuiſſe idem terminus. Vox יָהּ non exilit ex יהוה, ſed ex יָאָה, ut deſignari credas ſpiritum, qui ſe delectat non niſi perfectionibus, quæ ſunt ipſo digniſſimæ, ac naturam ipſius decent. Appellavi eum *ſanctiſſimum*, eo quod is iure vocatur ſanctus, qui agit probatque ea, quæ perfectionibus congruunt moralibus. Cum dicitur, nomen eius,

c) *Breitingerus* in *Idiotiſmis ſermonis Hebræi p. 25.*
d) M. *Io. Chriſtiani Mehlhornii Gründliche Erklærung der heiligen Schrifft altes Teſtaments V Band p. 1479 ſeq.*

qui vectatus fuit per loca paludibus moleſta, ſabuloque obruta, eſſe in ſanctiſſimo, נְבִיה, nemini non apertum eſt, Iehovam Meſſiam deſignari, qui coniunctiſſimus eſt cum illo ſanctiſſimo, ac in illo eſt, communemque cum illo eſſentiam habet. Angelus fœderis fuit ille vector. At cur *vector?* Israelitæ in modum vehiculi erant collocati e), cum ſtationibus ipſi, vel caſtris, ſeſe tenerent. Ob eam rationem Israelitæ appellati fuerunt *currus Dei. Pſ. CIV, 3. Ez. I.* Qui arcam fœderis proſequebantur, ii incedebant in conſpectu domini exultantes. Nam Iehova, Angelus fœderis ac Iehovæ, is, in quo nomen eſt ſanctiſſimi, præſto erat arcæ, ac operculum eius, thronum quippe ſuum, tegebat inter vexilla quatuor benigniſſima ſua Regis præſentia. Adiungitur porro eius elogium.

V. v. 6. *Qui eſt pater pupillorum & iudex viduarum: qui eſt Numen adorandum in habitaculo ſuo ſancto.* מעון eſt domicilium, & quidem hoc loco ſedes ſanctiſſimi Meſſiæ ſuper fœderis arca. Tribuuntur Meſſiæ iudicia, Deo propria, perfectiones Dei, ac nomen Numinis ſupremi. Nec Ariani, nec Sociniani, interpretibus Codicis ſacri genuinis annumerari queunt. Utrique enim ſibi perſuaſerunt, Meſſiam eſſe rem creatam excellentiorem, omniſcientia vacuam, maieſtate iudicii ſupremi expertem, omnipotentia carentem. Pronuntiatum hoc auda-

e) *Mehlhornii Liber I, VI Band, p. 745.*

audacius eſt, quam ut illud cum complexu Codicis ſacri in concordiam redigi poſſit.

v. 7. *Numen* ipſe eſt *adorandum*, *qui ſedibus ſuis locavit eos*, *qui unigenæ ſunt ipſius filii*; *ac in domum produxit vinctos ſecundum recta ac prædefinita tempora. Immo refractarii aridas habent ſedes.* Eos, qui erant captivi & circumſeſſi in Goſenitide, Iſraelitas eduxit Angelus idem fœderis tempore opportuno, illosque, qui divino huius eductionis conſilio ſe obiectabant & opponebant, Amalekitas, Idumæos, aliosque adverſarios, iuſſit tenere deſerta aridosque montes, ne Palæſtina gentibus *illis*, quæ haud eſſent ipſi Iſraelidæ, obtingeret, vel traderetur.

VI. Hinc inducitur alia perſona, quæ Deum coram & recta compellat. *v. 8*: *Deus, cum exires* ex Aegypto *in conſpectu populi tui, cum incederes per locum aridum arenisque conſtratum! Selah.* Admirationis affectus in cauſa fuit, ut ſuſpenderetur poſtrema enuntiationis pars, complectens rem præſtantiſſimam ac factum glorioſiſſimum, perniciem Aegyptiorum in mari illo, arenis conſtrato, quod *Diodorus Siculus I, 30*, copioſe deſcripſit. Meminerunt hymnœdi ſimul eius itionis Iſraelitarum, quæ miraculo effulſit. Intercinuerunt cuncti interea poſt *Selah* indicatum laudes Dei, regnantis in ſecula. Confer B. *Ioannis Chriſtiani Biel* Diatriben philologicam *de voce Selah* in *Miſcell. Lipſ. Novis Vol. III P. I p. 14-33.*

VII. Pergit idem hymnœdus *v. 9*: *Terra*

contremiſcebat, etiam cœlum ſtillavit pluvia in conſpectu Dei. Hic eſt Sinai. Evenerunt hæc ex conſpectu, ſeu facie, *Dei, Dei Iſraelitarum.* Reſpicit hymni autor ad ea, quæ divinitus contigerunt tum in lacu Sirbonidis, tum ad montem Sinai, Angelo Dei ductore. Cum Iſraelitæ tranſirent mare illud, ſimul tonitrua, fulmina, ac procellæ, inhorruerunt, atque Aegyptios exitio involverunt. *Ps. LXXVIII, 16.* Ad Sinai montem e contrario poſthæc pluvia benigna recreavit defeſſos, poſt tonitrua & fulmina. *Iud. V, 4, 5.* Pergit hymnœdus idem *v. 10: Pluviam liberaliſſimi multiplicisque doni profluere & irrigare iubebas, o Deus! poſſesſionem tuam*, peculium tuum, Iſraelitas, *& id, quod defatigatum erat, tu dirigebas & confirmabas*, legibus in eorum regulam latis ac promulgatis. Pergit idem *v. 11: Animata tua commorabantur iuxta illum* montem Sinai, *ſtabilitionem impertiebas per beneficentiam tuam inopi ac ſubmiſſo, Deus!*

VIII. Nunc alius ad modum perſonæ tertiæ laudes Dei decantat *v. 12: Deus ſupremus edidit pronuntiatum.* Sermonem, perfecti ſenſus indicem, Deus dedit in vulgus, ac Iſraelidis patefecit iuxta Sinai montem. Vocem Dei, tonitruis, fulguribus, tubarumque cantu, terribilem, audierunt ex Sinai Iſraelidæ univerſi. Pergit: *Evangelii præcones* erant *exercitus magnus* angelorum. Cur vero genere fœmineo utitur hieropſaltes? *Nuntiæ* ſunt הַמְבַשְּׂרוֹת. Subaudi itaque קוֹלוֹת voces, ſonos, tonitrua,

(Ex.

(*Ex.* IX, 23.) voces Dei, ex tonitruis erumpentes. *Ex. XIX*, 16, 17. Solet vox קול ſæpius f) ſubaudiri. Angeli edebant illa tonitrua, maieſtatis legumque promulgatarum indicia. Pergit hymnœdus *v.* 13: *Reges copiarum vehementer ſe commoverunt, & materfamilias diſtribuere conabatur prædam.* Reges circumvicini quaquaverſus obſtrinxerant ſeſe votis, rati, fore, ut ipſi copiis oppoſitis Israelitas devincerent. Matresfamilias ſpe iam præceperant victoriam illorum, & devoraverant deſideriis prædas, quas domi ſuis diſtribuerent. Amalekitæ, Aradiorum Rex, Philiſtæi, aliique, ea ſpe, licet vana eſſet, ſe lactaverant. Videtur *inciſum* ſequens ad hos reges ſpectare. Decretum enim Dei ſignificatur, eis indicatum *v.* 14: *Si decubueritis* inſidiaturi *inter duo elata montium iuga*, tum eritis *ala illius columbæ, obtectæ argento; cuius pennis ſubfulvum eſt ornatus cauſa adiunctum & adfabrefactum.* Formula ſubeſt comminationis, Regibus illis inſtillata & ſuggeſta, prænuntians ipſis propius acceſſuris perniciem, qualem ſortitur columba in metæ vicem ſuſpenſa, & ſagittis iaculantium transfixa, licet auro & argento fuerit ornata & adfabrefacta. Ex שפה eſt שָׁפָה, *elatum eſſe. Eſ. XIII*, 2. *Ier. III*, 2, 21. *IV*, 11. Hinc porro defluxit vox שְׁפָיִם, *clivus, locus elatus & editus*. Nota eſt inde enata vox מִשְׁפְּתַיִם, quæ *duo montium iuga, oppoſita*

f) *Chriſtoph. Theodoſii Waltheri Ellipſes Hebraicæ* p. 61.

ſita g) deſignat *Gen. XLIX, 14. Iud. V, 16.* Hoſtes Iſraelitarum dicuntur procubituri, ac caſtra poſituri inter duo elata loca, ut prædæ eſſent intenti. Si ita facturi eſſent, ipſis erat intereundum, ipſi erant diverberandi ac configendi in modum columbæ ex conto ſuſpenſæ, verſus quam iaculatores, certamina artis edentes, ſagittas dirigebant. Alis columbæ eiusmodi ſolebant utrinque præmia appendi, ac ipſæ erant ſæpius auro argentove obductæ, pennæ vero deaurari ac ornari ſolebant. Interdum columba viva erigebatur in iaculantium metam h). Hoſtes Iſraelitarum conſilia ceperant quærendi latibula inter duo montium iuga, inter Seir ac colles ſinus Arabici. Id vero conſilium eis erat perniciei futurum, ni eo deſiſterent. Pergit hymnœdus *v. 15: Cum panderet omnipotens Reges* inſtar alarum columbæ, in quam ſagittæ collineantur, *iuxta eam* matremfamilias ſpoliorum avidam, *ipſam* columbam *demiſit per mortem.* Vox שֶׁלֶג deſignat nivem, הַשְׁלֵג eſt *demittere ac præcipitare in modum floccorum nivis.* Zalmon Chaldæo Interpreti eſt *umbra mortis*, rato, vocem Zalmon eſſe circumciſam, exortam quippe ex *Zalmavet*, ſeu *Zalmot*, quæ *umbras*, mortis ac mortuorum ſymbolum, deſignat. Qui enim mortui ſunt, dicuntur *umbræ* ac *iviſſe ſub umbras.*

g) M. *Wilh. Frid. Strohmeyeri* Diſſ. *de Iacobi ſuper Iſſacharitidis vaticinio* §. 26 *p.* 20 *ſeq.* Gottingæ, 1734, 4.

h) *Virgilius Aen. V*, 487 *ſeq. Hieronymi Mercurialis de Arte gymnaſtica II*, 12, 13.

bras. Didonis haec effinxit *Maro Aen. IV, 385 seq.*

Et cum frigida mors anima ſe duxerit artus,
Omnibus umbra locis adero.

IX. Hymnœdi ſunt hæc *v. 16: O mons Dei! mons Bataneæ! montes gibboſi* ac glabri! *mons Bataneæ! v. 17: Quam ob cauſam ſubſilietis? montes glabri & gibboſi! Mons hic* eſt ille princeps. Vos fruſtra ad principatum adſpiratis, qui monti Sionis nunc vindicatur. *Deſideravit Deus domicilium figere ac commorari in eo, immo Deus tentorium* ibi *habebit usque ad illam temporis periodum durabilem.* Comparantur montes Palæſtinæ invicem, ac monti *Sionis* principatus tribuitur, eo quod ibi Deus tentorium ſuum voluerat collocari. Mons regionis Baſchan vocatur alibi *Giledd*, eminens inter montes, trans Iordanem in terra Iſraelitica ſitos, teſte *Ioſepho Ant. Iud. I, 19.* Mons Baſchan in contentionem adducitur cum monte Carmelo, *Ieſ. XXXIII, 9.* Montes gibboſi ac glabri in Galilæa prope Scythopolin capiebant primordia, ac in montibus Idumææ deſinebant: Deſcripſit eos *Ioſephus de Bello Iud.* agens *V, 4* i). Vox הַבָּצָה denotat intervallum temporis, ad œconomiæ *Moſaicæ* finem templique poſterioris finem procurrens. Aedis Dei Hieroſolymitanæ perpetuitatem nemo exæquabit, credo, omnium ſeculorum ad diem noviſſimum decurſioni.

X. Continuat eadem perſona cantum ſuum: *Quantum ad vehiculum Dei attinet, id conſtat*

ex

i) *Hadr. Relandi Palæſtina I, 55, p. 362 ſeq.*

* * *

ex myriadum ſerie gemina, ex millibus ternis iterumque multiplicatis. Deus cum illis erat in tentorio Sinaitico ſacro. Vehiculum Dei eſt coetus beatorum ac morigerorum, nutum Dei ſequentium. Ratio denominationis ſupra fuit indicata. Reſpicitur ad ſedem angeli fœderis, quam ſupra arcam in penetrali, ſeu adyto, exſtitiſſe conſtat. Hæc referebat figuram carpenti, ſeu currus, ſymbolum domicilii ac throni. In quatuor angulis erant totidem columnæ quadratæ, κύρβεις, Crubhim. His infixa erant quatuor primaria Iſraelitarum inſignia, ſeu vexillorum icones. *Ezechiel* has explicavit. Thronus velis deſuper erat contectus. Currus eiusmodi, carpenta, lecticæ, vocabantur haud uno nomine. Carpentum id portatile vocabatur איפה, *Zach. V, 6, 7, 8, Epha,* & אַפֶּדֶן, *Appeden, Dan. XI, 45.* Græci id appellarunt Ἀπήνην, Ἀπήδνην, teſte *Iulio Polluce X, 12,* *) immo Φορεῖον. Ebræi id vocarunt שִׁפְרִיר *Ier. XLIII, 10,* ubi Chaldæus Interpres habet אפדן, *Appeden,* ſeu *Appadna.* Vocatur id etiam אפריון *Cant. III, 9.* Deo in monte Sinai ad nutum aderant angeli, ac ipſi Iſraelitæ, ad montem commorantes. Utrique erant currus Dei, ducis quippe ſummi. Imaginem illius currus referebant Iſraelitæ, circa

*) Ad curule certamen Græci adhibebant vel currum, cui quatuor equi iuncti, *ἅρμα τέθριππον,* vel ἀπήνην, *carrucam,* cui bini muli, vel equi, erant iuncti. *Pauſanias El. pr. c. 9 p. 398,* *Io. Gotthilf. Lakemacheri Antiquitates Græcorum ſacræ,* Helmſtad. 1734, 8. P. IV c. 3 §. 8 p. 640 *ſeq.*

circa tentorii ædem in caſtris verſantes. Currum vero minorem referebat ipſa Angeli fœderis ſedes ac thronus ſupra arcam fœderis in intimo ſacroque penetrali.

XI. Nunc vero cantor, a priori diverſam, modulationem carminis reſumit, ac eum, qui in montem Sinai intra nubem de die, inſpectantibus Iſraelitis, ſeſe ſubvexerat, ita alloquitur v. 19: *Adſcendiſti in altum, captivam duxiſti captivitatem, accepiſti munera*, ſeu dona, *pro homine, omnino refractarios* ſuſcepiſti *ad conſidendum in tentoriis, Deus ſanctiſſime, religioſo cultu adorande!* Conſtat ex hiſtoria ſacra, angelum fœderis habitaſſe columnam nubis ac ignis, ac eam in altius ſpatium aeris ſupra montem Sinai ſubduxiſſe. Ipſe autem Iehova dicitur in montem cum igne adſcendiſſe. *Ex. XIX*, 18, 20. Non tamen per Iehovam deſignatur alius atque ille, in cuius conſpectu Iſraelitæ ſacra debebant obire, & munuſcula offerre. *Ex. XXIII*, 15. Hunc vero eſſe ipſum fœderis angelum, in adyto ſymbola operum ſuorum Iſraelitis teſtata reddentem, nemo ambigit. Pronuntiatum illud, *adſcendiſti in altum*, *Paulus* laudavit, *Eph. IV*, 8, ſuos edocturus, undenam dona, quæ fidelibus Ieſu aſſectatoribus ſunt opus, ſint derivanda ac deſumenda. Oſtendit *Paulus* ex hoc *inciſo*, Chriſtum, ſicuti Deus olim in Iſraelitica eccleſia in electos beneficia & multa & maxima contulerat, poſteaquam ipſe ex cœlo in terram montemque Sinai interventu ſymboli externi deſcendiſſet, & ab

ille

illo in altum, ſive in cœlum, adſcendiſſet, ex cœlo ſic etiam in terram deſcendiſſe, variisque donis in novæ eccleſiæ conſortes collatis, in cœlum adſcendiſſe, ita ut illa donorum diverſitas a Chriſti liberalitate & gratia dependeat. Oſtendit eo ipſo *Paulus*, iniquum eſſe, ut unus alteri dona invideat excellentiora, ut unus, vel alter, ſe a Chriſti corpore divellat. Confirmat nos quoque ipſos graviſſime idem *Paulus*, non dubitantes, ſermonem hieropſaltæ de Meſſia eſſe. *Paulus* vero enuntiat hieropſaltæ verba, in perſonam tertiam converſa, hunc in modum: ἀναβὰς εἰς ὕψος, ᾐχμαλώτευσεν αἰχμαλωσίαν, καὶ ἔδωκε δόματα τοῖς ἀνθρώποις, *dum in altum adſcendit, captivam duxit captivitatem, ac dedit* (diſtribuit accepta) *dona hominibus*. Deſcenſus & adſcenſus ſunt ſymbolicæ locutionis genera, cum de Deo prædicantur, eique tribuuntur. Qui adſcendit gloria ſumma plenus, eum prius deſcendiſſe decuit. Deſcendit Chriſtus ad inferiora terræ loca, priusquam ſupra cœlos omnes ſeſe evexit, ut omnia perficeret ac conſummaret. Id non ſolum in hiſtoriæ Sinaiticæ eventis, tanquam in typo, reſpondit veritati, verum etiam in hiſtoriæ Evangeliſtarum fine ac exitu haud aliter deprehenditur comparatum. Captivitas, ſeu captiva turba, quam Ieſus abduxit, vel coercuit, ſpectat ad *Pharaonem*, qui Iſraelitas velut in ferreum fornacem compegerat, miſerrimisque ſervitutis ac captivitatis generibus excruciaverat. Captivitatem illam angelus fœderis ſuſtulerat, dum Iſraelidas ex

Aegy-

Aegypto eduxerat, ac cooperuerat mari Aegyptios, egreſſis imminentes. De eis, qui in limbo patrum finguntur anxii ac captivi conſediſſe ad Chriſti usque ad ipſos deſcenſum, hic nec vola cernitur, nec veſtigium. *Paulus* deſignat eos, qui, Israelitis qoondam captivis ſimillimi, a ſatana, eiusque per peccata vinculis, detinentur, quo minus ad veram libertatem adſpirare poſſint. Adiungit idem & hoc, Ieſum iuri illi, quod ſatanas ſibi confinxerat & uſurpaverat, derogaſſe, ac hominibus ſingulis vim exeundi e vinculis illis, ac libertate utendi, acquiſiviſſe, &, *quod maius eſt, accepiſſe dona, hominibus diſtribuenda* pro arbitratu. Qui accipit dona, is ea aliunde, & ab alio, accipit. Intelligimus proinde, angelum Iehovæ, ſeu fœderis, ea a patre Iehova accepiſſe ea ratione, quæ in ipſum cadere potuit. Chriſtus, qui eſt Deus, communicatas habet a patre ſempiternas & immutabiles perfectiones, quibus nihil decedit, nihil accedit. Ipſe porro ſecundum fœderis illius, unde cognominatur, indolem ſuſcepit naturam humanam, in qua ſponſioni fecit Patri iuſtiſſimo ſibique ſatis. Varia ratione ipſe hanc inſtantem naturæ humanæ aſſumtionem ſub priori œconomia indicavit ac prænuntiavit. Ipſe ſæpius, *παραστατικῶς* figuram corporis humani referens, apparuit. Accepit idem non ſolum morigeros, qui dona oblata ſuſcipiunt, ſed refractarios etiam & immorigeros, Hiſce enim æque commoratio in tentoriis inter pios & morigeros contigit. Angelus fœderis eo ipſo

ſtendit, ſe ſingulorum hominum eſſe liberatorem ac redemtorem reſpectu acquiſitæ redemtionis pretiique exſoluti. Accepit ipſe dona pro illo homine, qui eis eget, qui præſtantiſſimorum donorum facit damnum. Suſcepit ipſe immorigeros, ut eis ſedem in tentorio imperti-ret fragili, ac tutelam ſuam eis largiretur. Horum vero eſt, donis illis debite uti, ac rationes vitæ ad ordinem gratiæ conformare. Ipſe tandem vocatur *Iah* & *Elohim*, ne dubitemus, angelum fœderis divina natura, eaque ſempiterna, eſſe inſignem. Confer *Guilielmi Surenhuſii* Βίβλον *καταλλαγῆς pag. 584 ſeq.*

XII. Prodiit hinc denuo cantor alius, isque primus, qui de Deo exponit per modum tertiæ perſonæ. En cantionis verba: *Celebrandus eſt Dominus per dies ſingulos! Onus imponet nobis. Deus ille eſt ſalutis noſtræ* k) *omnigenæ fons & ſcaturigo. Selah.* Summa & argumentum eſt, Deum eſſe collaudandum, licet ipſe videatur nobis officia prægravia, pericula, & calamitates, inſtar oneris impoſuiſſe, eo quod is ipſe onera illa ſublevet, & ea in uſum noſtrum cedere iubet. Subiectum Selah denotat univerſalem ſimul populi, Deum laudantis, concentum, Deum, qui in perpetuum eſt laudibus prædicandus.

XIII. Redit cantor tertius *v. 21*, qui ita cantat: *Princeps ille ſupremus nobis* noſtrúmque in uſum

k) Vim vocis ישועה eruit Cel. *Albertus Schultens Lib. I Originum Ebræarum §. 26, 27, p. 18 ſeq.*

in uſum *eſt princeps. Ad multiplicem ſalutis communicationem, & ad Iehovam, Dominus* deducit. *Verſus mortem exitus* l) ſunt apud hunc Dominum Meſſiam. Habes hic, Lector, Meſſiam, qui ſuos ad Iehovam & multiplicem ſalutem perducit. Illi exitus in mortem ſunt perpeſſiones, quæ a Meſſia erant pro ſalute noſtra tolerandæ. Ille eſt ſalutis hominum auctor & princeps. אֵל ſuperſtitat in Arabico اول, אַוַּל, *primo, principe.*

XIV. Nunc vero *v.* 22 is canere incipit, qui de Deo exponere ſolet in perſona tertia. Ipſius hæc ſunt verba: *Quin immo Deus percutiet caput, percutiet inimicorum illius* Meſſiæ *verticem, capillis horrentem, progredi molientem per reatum illius* Meſſiæ. Statui exinanitionis, quem Meſſias erat ex pacto ſubiturus in aſſumta natura humana, mox ſubiicitur commemoratio pœnarum, in eos expromendarum, qui ſaluti ſuæ ita conabantur conſulere, ut reum facerent delictorum Meſſiam, hoc piaculo regionem ſuam expurgaturi. Pœna deſcribitur illa genere dicendi translato, deſumto ab eis, qui tauros ac iuvencos victimarios clava in caput, ubi

l) Qui ſaltu certabant, eis erat vel foſſa tranſſilienda, vel impediens aliqua altitudo ſuperanda. Terminus ſaltu attingendus dicebatur σκάμμα, שְׁכֶם, *terra effoſſa, agger.* Laudabatur, qui hanc attigiſſet; pluris fiebat, qui ſuperaſſet, ac exitum inveniſſet. *Vegetius de re militari I, 9. Hieronymus Mercurialis de Arte gymnaſt. II Cap. XI.*

in fronte crinium eſt vertex, fortiter m) impacta proſternunt. Egregia ſane, licet feralis, comparatio! Conſtitit ſuus vaticinio eventus, cum reſpublica Iudæorum ab utroque *Veſpaſiano* funditus fuit deleta.

XV. Pergit idem cantor *v.* 23: *Dicit Dominus, redire faciam* tauros *ex Baſchan, reducam ex locis umbroſis, ad mare ſitis.* Reſpicit hieropſaltes ad tauros, quorum præſtantiſſimi ac pinguisſimi in regione Baſchan, ſeu Batanea, trans Iordanem ſita, ac in tractu Sarona prope mare occidentale, inveniebantur. Illa reductio ſpectat ad lanienam, paullo ante memoratam. Licet enim Iudæi ſibi perſuaderent, ſe eſſe potentisſimos, viribusque perquam valentes; Deus tamen illos reduxit Hieroſolymam, ubi ſæpius feſtos egerant dies. Reduxit illos ad Paſcha eodem, ut ibi vel occiderentur, vel in captivitatem abriperentur. Revocavit Deus illos Meſſiæ inſectatores ex angulis ſuis, ex præſidiis ſuis, ad ſtragem ſubeundam, quam *Ioſephus* ac *Tacitus* omnium optime literis prodiderunt.

XVI. Succedit *v.* 24 cantor quartus, qui ita Deum compellat: *Eam ob cauſam, ut reſpondeant omnia decreto tuo iuſtisſimo, immerges pedem tuum ſanguini. Quantum ad linguam canum tuorum attinet, præ inimicis parabis* velut ferculum *eam.* Deſignatur ea canum ſævitia ac vehementia, quæ inimicis ſit prævalitura.

m) *Homerus Odyſſ.* III, 449 *ſeq. Dionyſ. Halicarn. Antiqu. Rom. p.* 478, *Apollonius Rhod. Argon.* I, 427.

tura. Canes ſunt hoc loco ii, qui ſimulacrorum amplexi erant cultum. Eadem appellatione *canum* Ieſus utitur ad mulierem Cananæam, ſeu Syrophœniſſam. Immerſio pedis in ſanguinem eſt ſymbolum funeſtæ ſtragis, quam *Veſpaſianus* uterque in Iudæos ex iuſtisſimo Dei iudicio, quod *Titus* agnovit, ſævisſimo more edidit.

XVII. Redit perſona ſecunda *v. 25*, intuens inceſſum eorum, qui portabant & comitabantur arcam fœderis in ſedem novam. En eius verba: *Vident homines progresſiones tuas, Deus! inceſſus tuos* vident, *Princeps mi, Rex mi, in ſacrario.* Deus dicitur procedere, eo quod arca fœderis, thronus angeli fœderis, porro deferebatur, transferenda in ſedem novam. Vocatur hoc loco Meſſias ſacri adyti Rex, quia in eo ſedem ſibi ſymbolicam, ſtante theocratia, delegerat. Deſcribit eadem perſona *v. 26* ordinem deambulationis ac proceſſus hoc modo: *Præcedunt cantores, poſtea* ſequuntur *fiſtulatores, inter tibias* immixtæ procedunt *tympaniſtriæ.* Vox אלם, עלמות, עלמה, in re muſica notat tibiam, ἐλύμον. *Nogenim*, נגנים, ſunt fiſtulatores, qui gingris cecinerunt. Gingrum, ſeu gingra, eſt כנור, tinnyra. Diſſeram alio tempore de re muſica Ebræorum vetuſtisſima.

XVIII. Pergit perſona tertia *v. 27: In conciliis ac conventibus celebrate Deum. Deus præcellit fonti Iſraelis.* Iſrael olim Deum laudaverat, cum fons Iſraelis olim a proceribus fuerat in deſertis effoſſus. *Num. XXI, 16-18.* Dixi

 de

de hac ſolennitate n) ad hunc locum. Pergit eadem *v. 28: Ibi Beniamin exiguus dominatus eſt illis* conventibus. *Proceres Iudæ conventus ſuos* habebant, *proceres Sebulonis*, *proceres* tribus *Naphtali.* Reſpicitur denuo ad ſolenne illud feſtum, quod olim ob fontem in deſertis effoſſum fuerat agitatum.

XIX. Hinc cantum reſumit perſona quarta *v. 29* hunc in modum: *Conſtituit Deus tuus robur tuum. Robur tuum eſt ipſe Deus, hoc effectui dediſti, Deus, propter nos.* Affectus vehementior in cauſa eſt, ut in cogitatione dicentis mutetur perſona. Verbum צִוָּה proprie idem eſt ac *conſtituit.* Teſtor ea, in quibus legitur, loca. Pergit idem hymnœdus *v. 30: Ob ſedem tuam auguſtam ſupra Hieroſolymam tibi afferent Reges munus.* Hinc pateſcit, Meſſiam eſſe illum, quem pro robore ſuis Deus conſtituit. Hinc pateſcit, decretum Dei iuſtiſſimum in Iudæos rebelles executum fuiſſe Meſſiam, quemadmodum oda *Davidica* illam de Iudæis repetendam vindictam promiſit *Luc. XVIII, 8*, addens, ſe ad illam expromendam venturum, eo quod in illa terra, Palæſtina, fidem erga ſe haud ſit inventurus. Arx Zionis erat *ſupra Hieroſolymam*, ſeu hac elatior, altior. Ad ſedem arcæ, ad templum ipſum in Moria Hieroſolymis editiore, Reges tributarii miſerunt victimas & numos. Ad tentorium in monte Sio-

nis

n) In M. *Mehlhornii Gründlicher Erklærung der heiligen Schrifft altes Teſtaments P. V p. 1515.*

nis locatum, *Davide* adhuc regnante, Syri nonnulli, Moabitæ, ac Idumæi, miſerunt munera, in victimis, frugibus, ſiclisque, poſita, ut venerarentur Deum victorem.

XX. Pergit perſona ſecunda *v. 31* hunc in modum: *Combure beſtiam arundineti, frequentiam robuſtisſimorum animantium cum vitulis populorum, qui ſtudioſe conculcas argenti laminas*, argentum, *quod vehementer disiicit populos, qui bella expetunt ardenter.* Inſectatores eccleſiæ genuinæ Iudaicæ comparantur cum fallaci crocodilo, qui ſedem in arundinetis prope fluvium Nilum in Aegypto ac latibula amat. Comparantur ipſi cum hippotamis, tauris, equis, reliquisque animalibus robuſtisſimis o). Vituli populorum ſunt tirones, bellis præliisque adſueſcentes. Deus vero eſt eis potentior, quippe qui moles argenti, in laminis eminentes, vehementer disſipat, opesque belligeraturis ſubducit. Hæc argenti ſubtractio populos, bella ardentes, habet ſollicitos, eisque eſt impedimento, ne in prælia & infeſtationes ſeſe effundant.

XXI. Redit tandem perſona quarta, vaticinans de eccleſiæ amplificatione, ad extremum inſtitura. En vaticinium *v. 32: Venient Principes opulenti ex Aegypto, Caſiotis concurrere*

o) אַבִּיר eſt *validus.* Tauri, viribus abundantes, in Batanea nutriti, vocantur אַבִּירֵי בָשָׁן *Ps.* XXII, 13. Chaldæis אֲבַר eſt *corroboravit.* Manna vocatur *panis valentiorum Pſ. LXXVIII, 25.* quia angeli illum ſuppeditabant iuſſu Dei.

rere iubebit manus ſuas erga Deum. אַשְׁמַנִּים & הַשְׁמַנִּים videntur haud differre. Vox poſterior legitur *Eſ. L, 10.* Bactrianorum Philoſophi, *Zoroaſtrianæ* ſectæ cuſtodes, a veteribus appellati fuerunt *Samanæi*, Σαμαναῖοι. Nomen Bactrianum enatum fuit ex voce Perſica شمان, quæ *ingemiſcentem*, *ſingultantem*, deſignat. Magi illi, ſacra facientes, pipiebant, ac ſuſpiria miſcebant. *Eſ. VIII, 19, XXIX, 4.* Loca itaque eorum, e quibus oracula exibant, a *Ieſaia* vocantur Aſchmannim p). At in oda noſtra de oraculorum locis non iniicitur mentio. Commemorantur inibi incolæ, ſeu primores, regni Aegypti, hasſchemannim. Maccabæi, mallei illi Syrorum, quondam hinc dicti fuerunt *Aſſamonæi*. Oleum ac pinguedinem voci inhærere, veroſimile haud fit eis, qui rem curatius expendunt. Reſpiciendum potius iudico ad cognationem vocis סִמָּן, quæ *ſignum*, σημεῖον, denotat, ut *inſignes*, *eximios*, ſui generis præſtantisſimos, deſignarit hieropſaltes. *Cuſch* eſt Caſiotis, provincia in termino Aegypti ac Arabiæ ſita, quæ olim a lacu Sirbonide ad Midianitida ac initia ſinus Arabici borealia procurrebat. Prædicit hieropſaltes, fore, ut Aegyptii ac Caſiotæ veram Dei doctrinam ac ſalutis ſempiternæ œconomiam amplectantur.

XXII. Perſona porro prima arcesſit Reges ad laudes Deo decantandas. En invitationem *v. 33: Regna regionis illius cantate Deo, muſice celebrate*

p) *Theoph. Sigfridus Baierus* in *Hiſtoria regni Græcorum Bactriani p. 22.*

brate Dominum! Selah. Indicatur denuo per vocem Selah univerſalis concentus, iubeturque totus populus intercinere illud: Laudate perfectiones Dei in æternum. Additur ratio & modus laudum *v. 34: Cantate in honorem eius, qui vehitur per cælos cælorum plagæ orientalis, ecce! exhibebit voce ſua tonitru valentisſimum.* Indicatur Mesſiæ, *in cælos ſubvecti*, iter, triumphi plenum, inſtitutum prope Hieroſolymas ad orientem in monte oliveti. Secutus eſt hoc iter ſonitus in aere pentecoſtalis maximus, coniunctus cum donis Spiritus ſancti, *Act. I, 11.* Subvectio arcæ fœderis, ac iter angeli fœderis, *illam* comitantis, erat ſymbolum Chriſti, in cælos adſcendentis. Hieroſolyma enim & Sion cæli erant ſymbola ac typi. Inde contigit, ut Iudæi vocarint cælum ſedesque beatas *Hieroſolymam ſuperiorem* & *cæleſtem.* Erat omnino ſymbolum itineris, in caſtrum Sion inſtituti, commemorandum, ne nucleus & ſcopus proceſſionis ignoraretur. Liquido igitur conſtat, ineſſe Veteri Inſtrumento vaticinia de geſtis Mesſiæ, utroque eius ſtatu, redemtione, morte, reſurrectione, & in cælos itinere. Id vero inficiandum haud eſt, ea nunc clarius & copioſius, nunc conciſius & minus clare, fuiſſe ſignificata. Oportet interpretem ſimul circumſpicere loca ſingula, ac complexum eorum omnem, ut clariora loca opem ferant minus claris, breviusque expresſis, perpendere.

XXIII. Redit hinc perſona tertia, ita *v. 35* canens: *Tribuite robur præpotens Deo, Su-*

Suprema Iſraelis excellentia eſt maieſtas eius. Et robur eius ſe prodit in nubibus. Vox עָל & in ſtatu conſtructo עַל denotat faſtigium, & quicquid eſt ſupremum. Leguntur hæc *Eſ. X, 24: Virga eius tollet faſtigium tuum* יִשָּׂא עָלֶיךָ. Conf. *Eccl. X, 4. Davides* ſeſe vocat גֶּבֶר הֻקַם עָל, *virum, qui conſtitutus ſit ſupremus*, q) ſeu populi ſui princeps. De Iſraelitis, qui, Aegyptiis confiſi, divinæ opi diffidebant, Deus ſic conqueritur: יָשׁוּבוּ לֹא עָל, *convertunt ſe ad defectum ſupremi*, ad eum, qui non eſt altiſſimus, *Hoſ. VII, 16.* De Prophetis ibidem legitur *XI, 7:* אֶל עַל יִקְרָאֻהוּ, *ad ſupremum*, ad verum Deum, *convocarunt* ipſi *eum* populum Iſraeliticum. Inde eſt עֶלְיוֹן, *excelſus*. Ille, cuius maieſtas conſiſtit in ſuprema Iſraelis præſtantia, eſt is, qui vectus fuit per cœlos cœlorum ad plagam templi Hieroſolymitani orientalem. Vocatur is *Elohim*, quia ſupremo honore eſt colendus, ſummusque eſt terrarum dominus. Robur Meſſiæ ſe prodidit in nubibus tum intra Arabiam ac Iſraelidarum itinera, tum in adcenſione ſua ad cœlos, tum in ſigno filii hominis cœleſti, paullo ante excidium œconomiæ Iudaicæ Hieroſolymitanum. Immo in reditu ultimo ipſe apparebit conſpicuus univerſis in nubibus cœli. Eventus ipſe comprobat, robur ac vires valentiſſimas eſſe tanto domino, domino cœli ac terræ.

XXIV. Concinunt tandem *v. 26* ad extremum univerſi hunc in modum; *Reverentia dignus es. Deus ex penetralibus tuis ſacratiſſimis.*

Ipſe

q) 2 *Sam.* XXIII, 2.

Ipſe ſuppeditas robur & oſſa populo illi, Iſrael dicto. *Laudibus digniſſimus eſto Deus!*

XXV. Iuvat nunc ad interpretem Alexandrinum Græcum progredi. Is denuo ſenſu nullo ex voce לַמְנַצֵּחַ fecit ſuum εἰς τὸ τέλος, ad vocem לָנֶצַח reſpiciens. Ψαλμὸς ᾠδῆς deſignat *contrectationem inſtrumentorum muſicorum*, quacum modulatio hymni eſt coniuncta. Hæc ad *inciſum primum*. Senſus *inciſi ſecundi*, *tertii*, ac *quarti*, eſt ſatis luculentus, nec ibi facile Alexandrinus potuit fallere. Ad vocem שִׂמְחָה *v.* 4 animum haud attendit diligenter. Reddidit eam per εὐφροσύνην, *hilaritatem*. Vocem עֲרָבוֹת *v.* 5 haud aſſecutus fuit, ratus, rationem habendam eſſe vocis עֶרֶב, quæ *veſperam* deſignat. At hæc in ſenſu plurativo habet non *aravoth*, ſed *arbaim*. Hæc ad *inciſum quintum*. Ibidem ὁδοποιεῖν, *viam facere*, poſuit Interpres ille, ubi in Ebræo ſermone eſt verbum סָלוֹל, ſubaudita voce r) דֶּרֶךְ. Deſignatur eiusmodi viæ præparatio, quæ conſiſtit in amoliendis impedimentis, ac coæquando viæ militaris regiæque calle, ut rex ad locum deſtinatum commode pervenire poſſit. In *inciſo ſexto* verba Alexandrini ταραχθήσονται ἀπὸ προσώπου αὐτοῦ, *conturbabuntur a facie eius*, ſunt ſuperflua, nec in fonte Hebraico leguntur. Pro voce קָדְשׁוֹ *Alexandrinus* legit, vel prælectum excepit, קְדוֹשׁוֹ, reddens *domicilium ædis ſanctæ eius*, τόπον ἅγιον αὐτοῦ. In *inciſo ſeptimo* reddidit יְחִידִים per μονοτρόπους, *ſimplices*, *unicos*

r) Exemplum hoc notandum eſt ad *Waltheri* librum *de Ellipſibus Hebraicis p.* 50.

unico modo agentes, *vitam ſolitariam degentes*, יָחִיד vero eſt *unigena*, *unicus hæres ex iure natalium.* Videtur interpreti ob oculos verſatus eſſe *μονότροφος*, *is*, „*qui unus ac ſolus nutritur.*" Deus dicitur ab hieropſalte exire, iubens vinctos בַּכּוֹשָׁרוֹת, & ideo dicitur Alexandrino *ἐξάγων πεπεδημένους ἐν ἀνδρείᾳ*, *educens conſtrictos pedicis per fortitudinem.* Coſcheroth non deſignat *ἀνδρείαν*, *virilem ſtrenuumque agendi modum.* *AbenEſra* vocem expoſuit per *compedes*, invitatus vicina voce, quæ vinctos memorat. R. *Salomo Iſaacides* expoſuit vocem per קְשׁוּרוֹת ob ſolitam literarum unius organi permutationem, *ligata* deſignari credens, vel *ſeries decretorum*, quæ ligant, vel firmant, eventus. Sic & Arabes s) *ligatum* pro *firmo* ponunt. Confer *Coranum Sur. 76 ſ. 28*, & *79 ſ. 27.* Vox כּוֹשָׁרוֹת, *coſcheroth*, eſt participium in Kal, ac reſpicit nomen ſubſtantivum omiſſum מְלָאכוֹת, quod ſæpius t) omitti ſolet. Hac ratione deſignantur res, vel opera, quæ ligant, conſtringunt, firmant. Huc reſpexit *AbenEſra*, coniectans, indicari compedes, quippe qui vinctorum artus ligant & conſtringunt. At voci *coſcheroth* inhæret præterea aliquid ex כָּשֵׁר, *recto*, regulis conformato, exacto ad amuſſim. Notionem vero hanc, omnino adiiciendam, ferre recuſant compedes.

In

s) *Albertus Schultens* in *Animadverſion. philolog. in Iobum*, ac *Specimine à Obſervationum Arabicarum in totum Vetus Teſtamentum.*

t) *Walther l. c. p. 45.*

Inhæret voci quiddam ex perſeverantia. Syri enim ex *caſchar* formarunt ſuum verbum *catar*, quod notionem *perſeverandi* tenet tum in Syriaca, tum in Chaldæorum, lingua. Talmudici ſcriptores & Rabbini abhorrent ſignificatum *compedum*, quem *Aben Eſra* voci *coſcheroth* affixit. Hiſce ſolenne eſt ac tritum, voci *caſchar* notionem *congruendi*, *convenientiæ*, *quadrandi ad regulam*, attribuere. Et hæc eſt ratio, cur per vocem *coſcherot* deſignari crediderimus *recta, perſeverantia, ac prædefinita opera, quæ per modum ſeriei cohærent*. Ea autem ſunt Dei decreta, effectui data, quibus ob ſucceſſionem eventuum ſolemus nomen *temporum* imponere. Pergit *David:* אַךְ סוֹרְרִים שָׁכְנוּ צְחִיחָה, *immo perverſi*, qui ſe domino acerbos & rebellet præbent, *habitant locum aridum ac ſiticuloſum*, ſeu terram minus fructiferam, ſterilem. Subaudienda eſt vox אֶרֶץ, *regio* u). Terra eiusmodi alias appellatur צִיָּה, *Iob. XXIV, 19, XXX, 3, Pſ. CV, 41*, alibi ἡ ἄνυδρος, ἡ ἔρημος, ἡ ξηρά. Alexandrinus vero ſat obſcure: *Ὁμοίως τοὺς παραπικραίνοντας τοὺς κατοικοῦντας ἐν τάφοις* ſcil. ἐξάγων, *pariter eos, qui iram amaram excitant, qui ſedes habent in ſepulcris, Deus educit.* Prædicatum repetiit Alexandrinus ex pronuntiato præcedente. At illud elucet ex verbo *ſchachenu*, id eſt, *habitant tentoria, ſedes habent.* De ſepulcris nulla plane apud *Davidem* iniicitur mentio. Vox *zechichah* denotat *tractum terræ elatiorem, arenoſum,*

u) *Waltheri Ellipſes Hebraicæ p. 17 ſeq.*

ſum, petroſum, aquis carentem, infrugiferum. R. *Salomo Iſaacides* id ipſum agnovit. Alexandrinus pro *Sererim* legit *Morerim*, pro *Schachenu* legit *Schochenim*, pro *Zechichah* neſcio quid. Videtur ipſe extimuiſſe Aegyptios; qui olim Deo, ſuos educenti, refragati fuerant, ac terram plerumque, arenoſam, aridamque, habebant. Ipſe data opera videtur contextum ita immutaſſe, ut lector Aegyptius a recordatione & rerum priſtinarum Aegyptiacarum, & liberatorum ex Aegypto Israelidarum, abſtraheretur. Alibi luculentiora huius circumſpectionis hermenevticæ, qua uſus fuit Interpres Alexandrinus, exſtant veſtigia,

XXVI. Vocem יְשִׁימוֹן *v. 8* Alexandrinus reddidit τὴν ἔρημον (γῆν), *terram infrugiferam hominumque vacuam cultu.* R. *Salomo Iſaacides* æque locum deſertum ac deſolatum ob oculos habuit, alibi dictum שְׁמָמוֹן *Ez. XII, 19, IV, 16. Inciſum nonum* ac *decimum* ita reddidit Alexandrinus, ut proſpexerit ad ea, quæ evenerunt circa montem Sinai, ac enuntiationes hieropſaltæ fuerit aſſecutus. In *inciſo undecimo* omiſit reſpicere ad montem Sinai, nullo ſenſu commorationem Israelidarum ponens ἐν αὐτῇ. In *inciſo duodecimo* nulla accentuationis habita fuit ratio. Id enim Interpres habet: Κύριος δώσει ῥῆμα τοῖς εὐαγγελιζομένοις δυνάμει πολλῇ, *Dominus dabit verbum eis, qui proſpera nuntiant, vi magna.* Res ipſa indicio eſt, de re præterita ad montem Sinai fieri mentionem. Εὐαγγελιζομένοις dicitur verbum impertien-

dum. An vox illa active, an paſſive, an medio ſignificatu, accipienda ſit, ambigi poteſt. Ad ellipſin, quæ adhæret voci Hebraicæ fœminini generis *hammevaſſerot*, haud reſpexit Interpres. Vox צבא proprie denotat exercitum debite inſtructum, quem Græci ſolent x) *δύναμιν* & *δυνάμεις* appellare. Vis enim & vires ſummatum ac dominorum terræ æſtimatur exercitu illorum.

XXVII. *Inciſum 13* Alexandrinus protinus obſcuravit & pervertit. Hebraica ita ſe habent: *Reges exercituum commoverant ſeſe huc illuc vagando*, ידדון ידדון, *& habitatrix domus*, נות בית, *diſtribuendæ prædæ animum intenderat*, תחלק שלל, Verbo נדד inhæret notio vagandi, ſe commovendi, huc illuc errandi. Alexandrinus pro *jiddodun* ob oculos habuit vocem *Iedid*, vel *iedidun*, uſus prælectore imperito, & exemplari punctis accentibusque vacante. Vocem נות deduxit ex נאה, quo *ſtatus pulcher*, *decorus*, *ac amoenus*, ſignificatur. Hinc enim profluxit nomen נוה, *pulcher*, *amœnus*, נוה, *pulchra*, *delicata*. *Ier. VI*, 2. At quænam eſt *pulchra domus?* an filia? an uxor? Rei ipſi tamen derogatur nihil, ſi vel maxime eam, quam Reges exercituum domi *pulchram* habuerunt, generatim deſignatam credideris. R. *Salomo Iſaa-*

cides

x) *Diodorus Siculus* in *Excerptis Valeſianis p.* 293. *Appianus Alexandrinus de Bellis Punicis p.* 2, 19. *Ieſ.* XXXVI, 2, 2 *Macc.* II, 30, 44, V, 18, 56. VI, 6, 28, 29, 30, VII, 2, 4, 10, 11, 27, 39, VIII, 6. &c.

cides animadvertit hoc loco, vocem, ſeu nomen, *Nvat*, נְוַת, eſſe *ſtatus conſtructi formam ac generis foeminini in hoc loquendi modo, eo quod uxor domi ſedet perpetuo.* Alexandrinus prorſus obſcure: Ὁ Βασιλεὺς δυνάμεων τοῦ ἀγαπητοῦ τοῦ ἀγαπητοῦ, καὶ ὡραιότητι τοῦ οἴκου διελέσθαι σκῦλα, *Rex exercituum dilecti illius, dilecti, & forma pulchræ domus, diviſiſſe prædas.* Quid hic de rege prædicatur? Quis ille dilectus? Quorſum ſpectat diſtributio ſpoliorum? Omnia fluitant & feruntur incerto. Nulla ſententiæ lux effulget. Tenebris involvit Interpres omnia. Nihilo minus in Vulgata, ex Alexandrino procuſa, leguntur eadem. En illa: *Rex virtutum dilecti dilecti: & ſpeciei domus dividere ſpolia.* Anne eiusmodi enuntiationes, ſenſu ac luce debita caſſæ, Deo ſunt dignæ? An ſapientis eſt, proferre verba, quorum ſententiam nemo aſſequi poteſt? quorum nullus quidem exſtat ſenſus? Merito proinde Vulgatam duntaxat inter Latinas Bibliorum translationes declaravit avthenticam Synodus Tridentina *Seſſ. IV Cap. 2*, nec eam antetulit Hebræis Græcisque fontibus, quos quippe reliquit liberos, omnibusque, quatenus neceſſum eſt, conſulendos y) reſervavit, non recluſit.

XXVIII.

y) *Serarius Prolegom. Cap. 19 Qu. 12 Concluſ. 1, Alphonſus Salmero*, qui ipſe interfuit Synodo, *Prolegom. 3, Mariana* in Tr. *de Editione Vulgata in Epiſt. ad Sanderum, Sanderus* ipſe *L. II de Viſibili Monarchia ad A. 1541, Azorius L. VIII Moral. Cap. 5 Q. 2, Sixtus Senenſis L. VIII Biblioth. S.*

XXVIII, Alexandrinus nullam *inciſi decimi quarti* micam aſſecutus fuit. En verba ipſius: Ἐὰν κοιμηθῆτε ἀνὰ μέσον τῶν κλήρων, πτέρυγες περιςερᾶς περιηργυρωμέναι, καὶ τὰ μετάφρενα αὐτῆς ἐν χλωρότητι χρυσίȣ. Vulgata hunc Latine converſum exhibet ſenſum: *Si dormiatis inter medios cleros, pennæ columbæ deargentatæ & poſteriora dorſi eius in pallore auri.* Deo ſane ſapientisſimo iſthæc prorſus ſunt indigna, quippe quæ nullum fundunt ſenſum. Ad fontes Hebraicos accedendum eſt, ne irreligioſis ingeniis religionem Iſraeliticam ac Chriſtianam tradamus deridendam. Quis *cleros* exſculpet ex voce שְׁפַתָּיִם? Legitur nomen hoc Hebraicum peræque *Ez. XL*, 43, ubi deſignantur per id *limbi menſarum*, quibus limbis utrinque ex oppoſito factis oræ menſarum coercentur. Limbi illi, e regione ſe proſpicientes in menſis quadratis, non ſervarunt eundem ſitum horizontalem, qui fuit ſuperficiei menſarum. Limbi potius prominuerunt in altum, impedituri, ne quid ex menſis decideret. Verbo שׁפת eadem notio ſitus elatioris eſt propria. *Eliſa* vates quondam hoc iuſſum inſtillavit miniſtro ſuo: שְׁפֹת הַסִּיר הַגְּדוֹלָה וּבַשֵּׁל, *in altum loca ollam illam magnam & coque.* Tripodi erat olla illa admodum magna ſuperimponenda. Pii apud *Eſaiam XXVI*, 12, ita ingementes inducuntur: *Iehova* תִּשְׁפֹּת שָׁלוֹם. לָנוּ, *in altum evehere ac producere ne recuſa nobis incolumitatem.* Pax tum ab Iſraelitis per Regem Aegypti erat amota, & veluti humi

pedibus conculcata. Congruit notioni niſus in altum, vel evectionis, cognata vox שפה & כשפה. Meſſias ita gemit *Pſ. XXII, 16:* לַעֲפַר־מָוֶת תִּשְׁפְּתֵנִי, *ad humum mortiferam me in altum collocaſti.* Deſignatur mors in loco ſuppliciorum, ac ea quidem in cruce tolerata. Ut comparationem ac ſimilitudinem excidii Hieroſolymitani *Ezechiel* publice repræſentaret, iuſſus fuit in altum loco publico collocare ollam, eamque implere carnium partibus. Deus ita *Ez. XXIV, 3*, ad vatem: שְׁפֹת הַסִּיר שְׁפֹת, *in altum colloca, ollam in altum colloca.* Vulgo tamen vox *ſchphattáim* exiſtimatur *lapides focarios* z) deſignare. Evertitur vero ea opinio & evaneſcit, ſimul ac locus *Ez. XL, 43*, curate & attente expenditur. Obſcurum ſane eſt id, quod commovit Alexandrinum, ut voci *ſchphattáim* ſubſtitueret *cleros.* Videtur ipſe ad vermiculos, qui favos apum infeſtant, reſpexiſſe, quibus nomen a) erat cleris. At ne ſic quidem ſibi ſenſus ſententiæ conſtat. Miranda omnino eſt eorum audacia, qui metaphraſtas agunt, nec tamen exhibent artem eruendi logicas propoſitiones.

XXIX. *Inciſum 15* Alexandrinus ita reddidit: Ἐν τῷ διαςέλλειν τὸν ἐπȣράνιον βασιλεῖς ἐπ᾽ αὐτῆς, χιονοθήσονται ἐν Σελμών, *dum diſcernit coeleſtis reges ſuper eam, nive dealbabuntur in Selmon.* Verba Latina ſunt Vulgatæ, ad amuſſim

z) R. *Salomo Iſaacides* exponit per *vaſa fictilia*, כִּירַיִם, *ſuper quibus eſt atror, vel operculum ferreum.* Ad *h. l.*

a) *Ariſtoteles Hiſt. Animal. VIII, 27.*

amiſſum interpretis Alexandrini factæ. At fidem tuam, Lector, obteſtor. Nonne hic omnia tenebras & noctem exhibent? Quorſum illud *ſuper eam* ſpectat? An verbum תַּשְׁלֵג reddi ullo iure potuit per χιονοθήσονται, *dealbabuntur nive*? Exſtitit mons Zalmon in Samaritide *Iud. IX, 48*. At dubitarunt Græci quidam Iudæi, eum hoc loco deſignari, & *bzalmon* reddiderunt ἐν σκιᾷ, *in umbra*. Codices nonnulli hoc loco eam lectionem referunt. *Inciſum 16* ſic reddit Alexandrino congruenter: *Mons Dei, mons pinguis, mons coagulatus, mons pinguis. Quid ſuſpicamini montes* b) *coagulatos?* ἵνα τί ὑπολαμβάνετε ὄρη τετυρωμένα; Regionem Baſchan uterque Interpretum in *pingue* quid, & montem Batanææ, montem Gilead, in montem pinguem convertit. *Har gavnünim* expoſuit uterque ex voce גְּבִינָה, quæ dicitur *caſeum* notare *Iob. X, 10*. Fuiſſet utriusque potius, meminiſſe *vallem caſeariorum*, τυροποιῶν, quæ tangebat a ſeptentrionibus montem Sion. At *inciſo ſequenti* leguntur *gavnünim harim*, montes gibboſi ac glabri. Quare tractus ille montium glabrorum *v. 15* æque indicatur per *har gavnünim*. Verbum τυρόω idem eſt ac in caſei formam ago. Montes itaque, qui vocantur ὄρη τετυρωμένα, reddi poſſunt *montes in formam caſeorum figurati*, ſeu gibboſi, & clivis abundantes. *Montes coagulatos* ſubſtituit vetus Interpres Italus,

 duro

b) Indubie lectum fuit initio *montes congubati*. Alexandrinus ita præivit. *Gaon* ita præterea quoque olim expoſuit.

duro ſane tropo. Mirum eſt porro, cur Alexandrinus verbum רצד converterit in ὑπολαμβάνειν. At unicus R. *Saadias Gaon*, quantum memini, expoſuit illud verbum per *conſiderationem*, *ſpem*, & *opinionem*. Interpres vero Chaldæus ac Ebræi Interpretes ſcopum *Davidis* ſequuntur, ac ſubſiliendi notionem aſſenſu dignam cenſent.

XXX. Verticem, crinibus obſitum, progredi molientem מִתְהַלֵּךְ per reatum illius (Meſſiæ), Deus dicitur percuſſurus *v.* 22. Alexandrinus hæc ita: Ὁ Θεὸς συνθλάνει κορυφὴν τριχὸς διαπορευομένων ἐν πλημμελείαις αὐτῶν, *confringit verticem capilli perambulantium in delictis ſuis*. Sic Vulgata. Ille, qui ſeſe exercet progrediendo, actionesque conſimiles repetendo, non eſt unicus homo, ſed cœtus hominum. Ferimus itaque *perambulantes*. At minus placet ſuffixi ſingularis converſio in plurale. אָשָׁם c) eſt delictum, per imprudentiam pravamque conſuetudinem, quæ notitiam & conſcientiam agentis præterit, admiſſum. Præterea vox eadem denotat ſacrificium pro eiusmodi delicto, ſacrificium, quod ab homine privato tum fiebat, cum ambigeret, an per imprudentiam aliquid egiſſet adverſus præceptum eiusmodi, quod, ſi fuiſſet per audaciam actum, exilii pœnam contrahebat. Πλημμέλεια eſt ex πλὴν & μέλος, denotatque proprie *erratum contra modulationis nor-*

c) *Guſſetii Comment. ad Linguam Ebr. p.* 100, *Ooderus ad Catech. Racov. p.* 831 *ſeq. Abarbanel* in *Præf. ad Leviticum p.* 245 ed. *Comp. de Veil.*

normam, tranſlate autem vitioſam agendi rationem. Si primam ſignificationem vocis illius Hebraicæ & huius Græcæ invicem contenderis contuleriſque, miram animadvertes diſcrepantiam. Sin vero utramque ſumſeris late, exoritur quædam notionis convenientia. Non aſſecutus fuit Alexandrinus Interpres *inciſi 24* ſenſum. In *inciſo 25* legitur verbum רָאוּ, i. e. *viderunt*, vel *vident*, homines *proceſſiones tuas*. Alexandrinus Interpres ſenſum exprimere maluit, quam vocabulis immorari. Ipſe ſic: ἐθεωρήθησαν αἱ πορεῖαι σου. Nomina aliquot *inciſi 26* ipſe ignoravit. Reddidit נֹגְנִים per ψάλλοντας nimis generaliter. עֲלָמוֹת ſunt ipſi νεανίδες, *puellæ*, שָׁרִים, *cantores*, ſunt ipſi ἄρχοντες, *principes*. Convertit ſcilicet ipſe nomen *ſcharim* in *ſarim* oſcitanter. Nævos Alexandrini repetiit Interpres vetus Latinus in Vulgata. In *inciſo 29 Beniamin* vocatur רֹדֵם, *rodem*, pro *rodemo*, *rodebem*, id eſt, *dominans eis*. Alexandrinus reſpexit verbum רדם, unde eſt תַּרְדֵּמָה, *ſomnus graviſſimus*, ac reddidit hoc *rodem* per ἐν ἐκστάσει. Adiiciendum fuiſſet ὁ ὢν. At verbum *radam* in coniugatione Kal eſt inuſitatum. Alexandrinus *v. 29* legit pro צִוָּה imperative צַוֵּה ideoque poſuit ἔντειλαι, *præcipe*. Verbum פָּעַלְתָּ, *paalta*, reddidit δυνάμωσον, *per robur effice*. Hoc modo ſenſus non potuit non turbari. In *inciſo 31* vertit hoc מִתְרַפֵּס בְּרַצֵּי כָסֶף, quod hunc in modum Latine converti debet: *exercens te conculcando laminas argenti*, per τοῦ μὴ ἀποκλεισθῆναι τοὺς δεδοκιμασμένους τῷ ἀρ-

πυρίῳ; *ut excludant eos, qui probati ſunt argento.* Latina hæc ſunt Interpretis Itali vetuſti, qui olim indubie poſuit *ut ne excludant* &c. Verbum רפש & רפס eſt *conculcare. Ex. XXXII, 2, XXXIV, 18, Prov. XXV, 26.* Alexandrinus *mem* ex *min* arceſſivit. פַּרְצִים ex פֶּרֶץ ſunt *rupturæ, ſegmenta dirupta, per vim diffracta.* Alexandrinus renuntiavit hoc loco deſtinationi ſcopoque & ſenſui hieropſaltæ. Idem *v. 32* vocem *baſſchemannim*, quæ *primores* denotat, convertit in *ſenes*, πρέσβεις. Caſiotida, Cuſch, ibi in *Aethiopiam* pro more ſolito convertit. Reliqua contextui Hebraico ita congruunt, ut ſenſus haud turbetur.

XXXI. Reſtat omnino in Odis *Davidicis* recte in Latinum, vel vernaculum, transferendis labor bene multus et aſſiduus exantlandus. Si Deus cœptis adſpiraverit, vitamque mihi iubeat eſſe diuturnam, hiſtoriam *Pſalmorum*, ac ſingularum Odarum metaphraſin Latinam, conſtitui evulgare. Laborem fere ad umbilicum adduxi. Quis vero ſitaſerit, laborem tam arduum eſſe præmature in lucem extrudendum? Res eſt non exigua, transferre partem Codicis ſacri, eamque Inſtrumenti prioris, in ſermonem Latinum, in ſermonem, qui ſcriptoribus fuit olim in uſu, minus fervide cogitationes animo informantibus. Hymnœdi Orientales fervent, pronuntiatis conciſis delectantur, ſimilitudines ac imagines rerum ſequuntur ſublimes, quibuscum Latinis non ſemper interceſſit conſuetudo. Hymnœdos orientales iuvat admirationi vehementiori

ac

ac affectuum fulminibus indulgere. Ex eo evenit, ut in Odis *Davidicis* paſſim id, quod appellamus *prædicatum*, omittatur. Niſi interpres affectum eundem imitetur inter legendum, ac ingenio modulum cogitandi orientalem repræſentet, ipſe nec ſcriptori Odarum, nec ſenſui, nec aliis, faciet ſatis. Imagines, animis Palæſtinorum obverſatæ, magnam partem hominibus regionum noſtrarum noſtræque ætatis ſunt minus familiares, niſi illæ a rebus apud nos obviis ſint decerptæ. Oportet itaque Interpretem novum Palæſtinæ ac ætati *Davidicæ* intereſſe, dictionem pro modulo temporis *Davidici* exponere, ſignificatus vocum recentiores a ſignificatu, ætati *Davidicæ* probato, dignoſcere, mores priſcos noſſe, ac metaphraſin Alexandrini Interpretis Græci, eiusque vetuſti ſectatoris Latini, prorſus ſeponere. Plerique *Pſalmorum* interpretes translationem veterem Latinam, ex Alexandrina qualitercunque expreſſam, veluti normam & menſuram ſuam reſpexerunt. Nolumus quidquam gloriæ translationis utriusque immerito derogare. Id vero diſſimulare haud licet, Alexandrinum Interpretem ſæpius verba fundere ſenſu expertia, ipſum nec vocales, nec accentuationem, nec contextum illius, penſi habuiſſe, ipſum ſermonis *Davidici* ſæpius fuiſſe imperitum, & Muſicæ veteris Hebraicæ rudem. Ut verbo dicam, quod res eſt, Interpres *Pſalmorum* Græcus menſuram Interpretis haud implevit. Niſi id ipſum exemplis haud unis oſtendiſſem, mihi aqua non eſſet hæſura, ſi ſexcentis exemplis id ab

ab integro conſtituerem demonſtrare. Et quotusquisque eſt, qui hactenus in Odis *Daviditis* recte perpendendis ad vices ac ſucceſſiones hymnœdorum haudquàquam negligendas reſpexit? Non contendo, eas in ſingulis Odis eſſe quærendas. Perſuaſiſſimus tamen ſum, vices illas hymnœdorum ſæpius occurrere, eumque orationis nexum, qui nobis alioqui truncatus eſſe videtur, oculis animoque ingerere. Dabo præterea poſthæc unum atque alterum ſpecimen interpretationis Odarum *Daviditarum*, ut iudicia doctiorum & ad hanc ſpartam ornandam idoneorum Theologorum, qui Philologiam orientalem ſibi reddiderunt familiarem, expiſcer, &, quid ipſi moneant, ſolicite exquiram. In negotio tanti momenti mihi non lubet eſſe vel præcipiti, vel inconſideranti.

II.

M. IO. SALOM. SEMLERI OBSERVATIO CRITICA DE DIALECTO ALEXANDRINA, QVAM CELEB. BREITINGERVS PRO SCRIPTVRÆ CODICIS ALEXANDRINI ET TIGVRINI RATIONE HABET.

Si quis eſt paululum humanior, ſtudioque literarum magis, quam ὁι πολλοι, deditus; næ ille iſtum πολυθρυλλητον Angliæ theſaurum, *Alexandrinum* vetuſtiſſimum divinorum librorum Græcum Codicem, ignorare non poteſt; atque

atque idem noſtra illius nova deſcriptione & celebratione facile caruerit. Neque vero ceteram ſcripturæ, quam iſte antiquisſimus liber exhibet, rationem aliquis ignoret, niſi eorum, quibus operæ non videtur, bonis literis præcipuam operam dare. Nos ergo, non opus eſt, ut iſtius ἰδιογραφίας exempla multa hic exhibeamus, quæ niſi notiſſima ſunt, commode tamen ex *Boſiana*, *Grabiana*, & *Breitingeriana*, τῶν LXX editione repeti poſſunt. Varie doctiſſimi viri de cauſis iſtius ἀνωμαλίας pronuntiarunt. Inprimis vero notatu digna mihi ſemper viſa eſt ſententia Celeb. *Breitingeri*, Viri de elegantibus *literis præclare meriti*, quam in nitidiſſima LXX Interpretum editione a) dixit primum, & plures poſt annos in notabili ad Card. *Quirinum* Epiſtola b) pluribus expoſuit & illuſtratum ivit. Spero, me bona Celeberrimi Viri & aliorum eo uti poſſe venia, ut, quæ iam tum mihi notaveram, cum videre primam illam Bibliorum Græcorum editionem contigit, publice hic aliorum iudicio exponam, ſimulque ea in conſilium adhibeam, quæ doctisſimus *Breitingerus* in illa Epiſtola uberius de ea re dixit. Quo ego melius magna huius Viri in rem literariam merita intelligere mihi videor; eo diligentius ſane ſtudebo eam ſaltem laudem conſequi, quæ cum iuſta ſentiendi libertate & diſſentiendi, verborumque, qui decet, non barbarico modo, coniuncta eſt.

Pri-

a) Præfat. *Tomo III* præfixa.
b) *de antiquiſſimo Turicenſis Bibliothecæ Græco Pſalmorum libro.* Turici, 1748, med. 4.

Primum omnium, ita ſententiam fert Cl. *Breitingerus* in Præfatione, *Tomo tertio* præfixa: *Ego, ut verum fatear, in Codice Alex. non certam aliquam dialectum, niſi forte Alexandrinam, agnoſco; quam libris S. propriam eſſe, teſtatur Lexicon Græcum, Lutetiæ editum a* Mich. Vaſcoſano 1532 *hoc titulo:* των ὀνοματων Αττικων συλλογη - - -. *In iſto Lexico hæc reperiuntur verba:* το καθα οἱ Αττικοι χρωνται, το δε καθως ὐδεπολε, ἀλλ' ἡ των Αλεξανδρεων διαλεκτος, καθ' ἡν ἡ θεια γραφη γεγραπται. *Atque adeo Alexandrinæ dialecti proprietatem non tantum in peculiari vocum ſignificatione & uſu, ſingulari conſtructionis ratione ad genium linguarum orientalium apte detorta, ſed inprimis etiam in propria & a profano uſu remota ſcribendi ratione, quærendam ſtatuo.*

Et paulo poſt *Boſii* verba & *Wetſtenii* ita pergit: *Sed fulli utrumque conſtat, alterum: quod membranarum veterum rationem minus haberet perſpectam; alterum, quod ad eam minus adverterit animum - - -. Manifeſtum enim eſt, hanc ſcribendi proprietatem neque imperitiæ, neque incuriæ, librariorum tribuendam eſſe; conſtans enim & perpetua hæc eſt Codicis Alexandrini ſcriptura - -*; & paullum ante finem·

Itaque ſatis conſtare, arbitror, hanc ſcribendi proprietatem, omnibus Codicibus communem, quærendam eſſe in peculiari linguæ Alexandrinæ dialecto.

Rem ipſam Vir doctiſſimus in excitata illa Epiſtola repetit, ſimul graviter in *Wetſtenii* objectio-

iectiones animadvertit. Liceat præcipua inde huc transſcribere, quoniam eo facilius Lector de tota re iudicare poteſt, nec neceſſe habet, ad nominatam Epiſtolam iſe recurrere. Ita vero exſtat p. 19, 20:

Ego vero, cum animadverterem, plures eſſe in Alexandrini Codicis ſcriptura anomalias, quæ perinde ad ceterarum dialectorum formas revocari poſſent, in eam propendere cæpi ſententiam, ſingularem hanc & antiquiſſimis MSS. ſacris communem ſcribendi rationem, quæ conſtans ſit, & certas leges ſequatur, peculiarem aliquam dialectum ſacram, ſeu Alexandrinam, arguere. Dudum enim mihi fuerat perſuaſum, Judæos Helleniſtas, Græcæ huius translationis auctores, in efferendis Græcis vocibus peculiarem & diverſum a veteribus accentum uſurpaſſe, ſeu potius ex omnibus Græcorum dialectis eam pronuntiandi rationem eſſe ſecutos, quæ nativæ oris conformationi maxime eſſet accommodata.

P. 31. *Mihi certe dubium nullum eſt, quin præcipui & maxime frequentes ex hiſce ſcribendi modis a prima interpretum manu profluxerint, atque in vetuſtiſſimas membranas fuerint propagati.*

P. 27. *Novo aliquo argumento adſtruam meam illam opinionem, quod peculiaris veterum librorum Græcorum, (de ſacris loquor,) ſcribendi ratio, non librariorum errori, ſed certo conſilio, ſit tribuenda; ſimulque rationem Alexandrinæ huius dialecti ex MS. Turicenſi antiquiſſimo explicatam dabo.*

Iam

Iam profert Vir Celeberrimus 1) exempla, ubi ει in ι mutatum in hoc Codice *Tigurino*; 2) ubi ι in ει; 3) ubi augmenta abeunt a vulgatis; 4) exempla idiotiſmi circa futurum primum activi & medii; ubi putat Alexandrinos formaſſe futura, inſtar futurorum coniunctivi; 5) quædam, quæ dialectum Ionicam reſipiant; 6) ubi αι in ε, & contra ε in αι, mutatum; item Ioniſmus, η in α, & contra; 7) ω in ο; 8) ρ non geminatum; 9) Ioniſmus in aſpiratis & tenuibus; 10) ν ἐφελκυστικὸν, Atticum; 11) anomalæ quædam ſcribendi formæ, quæ in iſto MS. habeant rariſſima exempla, & quæ ad varias dialectorum claſſes pertineant. Tandem cum his connectit: *Mihi certe dubium nullum* &c. quod ſupra iam exſcripſimus.

Poſteaquam doctiſſimi Viri ſententiam ſatis expoſuiſſe videmur, nec facile iam fieri poſſit, ut in illa intelligenda & concipienda Lectores noſtri a vero aberrent; ad id veniamus, cuius rei cauſa hoc argumentum a nobis ſuſceptum eſt; ut ſcilicet diligentius in hanc ſententiam inquiramus. Atque id quidem, quam fieri poterit breviſſime, & ut fas eſt, οὐκ ἄνευ εὐλαβείας, & cum reverentia tanto Viro debita. Omnis hæc diſceptatio ad iſta omnino momenta redire videtur: 1) ut doctiſſimi Viri rationes, quas ſententiæ ſuæ expoſuit, accuratius examinemus. Nam, ſi hæ non ſteterint firmiter, neceſſe fuerit, cauſam omnem cadere. Hoc primum momentum iterum dividendum erit, ſi recte in hac cauſa verſari animus eſt.

Primum

Primum omnium, (nam ſequemur iſtum ordinem, quo potiora capita Diſſertationum Viri Celeberrimi ſupra hic exſcripſimus,) *Man. Moſchopuli* excitata verba huc recte vocari & trahi nequeunt, niſi ſimul illud iam ſtatuatur, quod adhuc efficiendum eſt. *Alexandrinis* interpretibus Græcis διαλεκτον propriam eſſe, nemo inficias iverit; ſed illa voces privas, vocum conſtructiones, & ſignificationes, attingit, ut καθως pro καθα, & innumera. Sed nobis hic de ὀρθογραφιας & ὀρθοεπιας res & cauſa eſt, vocum græciſſimarum. Nihil hic novum & inauditum in conſtructione, in ſignificatione. Negat Vir doctiſſimus, ſe ab Alexandrina dialecto *ſcribendi rationem propriam, & a profano uſu remotam, diſtinguere.* Atque ait, *inprimis* in hoc quærendam eſſe iſtam dialectum Alexandrinam, ſeu ſacram.

Deinde audiamus Viri Celeberrimi rationes. *Conſtans enim & perpetua eſt hæc Codicis Alexandrini ſcriptura.* Ergo (liceat ita intelligere præcedens *nam*) *manifeſtum eſt, eam nec imperitiæ, nec incuriæ, librariorum tribuendam eſſe.* Eundem ita in Epiſtola legimus: *In eam propendere cœpi ſententiam, ſingularem hanc, & antiquiſſimis MSS. ſacris communem, ſcribendi rationem, quæ conſtans ſit, & certas leges ſequatur, peculiarem aliquam dialectum ſacram arguere.*

Hæc ergo eſt ratio, ſi recte intellexi, quam obrem illud ſcripturæ genus dialectum aliqua, conſtituat, *quoniam conſtans ſit ſcribendi ratio &*

& certas leges ſequatur. Cum res omnis huc iam redeat, & Vir elegantiſſimus diligentiſſime in Alexandrini Codicis ſcriptura verſatus fuerit; optandum omnino fuiſſet, ut *illas certas leges*, quas *ſequi* iſtam ſcribendi rationem dixit, expoſuiſſet breviter, vel verbulo. Adeo enim ſententia doctiſſimi Viri veroſimillima iamiam videri poterat. Iam, cum ipſius illius beneficio de ea re certiores nondum ſimus, impendenda erit a nobis illa opera, ut Lectores arbitrari ipſi poſſint, ecquid verum ſit, quod hæc ſcribendi ratio *certas leges ſequatur*, & *conſtans* ſit & perpetua. Nos quidem, qua id ratione dici poſſit, nondum videmus. Statim exponemus rationes, quibus utimur, ubi antea Lectorum cauſa monuerimus, Celeb. Virum facile paſſurum, ut ipſo *Turicenſi* Codice ad noſtram utilitatem abutamur; quoniam eum tanti facit, ut, vix *Alexandrino* in antiquitate c), & *ſollicitat legum ſcribendi obſervatione*, poſtponi poſſe, pronuntiet. Iam Lectoribus hoc laterculum ob oculos pono, unde appareat, ecquid in hoc ipſo *Turicenſi* Codice ſit *conſtans* ſcriptura, & *num certas illa leges ſequatur.* Cum oculis uſurpare non potuerim ipſum illud laudatiſſimum MS. utar diligentia doctiſſimi Viri, qui in Epiſtola *p. 17 ſeq.* promittit, ſe *Alexandrinæ huius dialecti rationem ex antiquiſſimo MS.* Turicenſi

ex-

c) *Pag.* 32 in Epiſtola ad *Quirinum: Quod ſi vero etiam ex hoc capite de antiquitate Codicis Turicenſis iudicium ferendum ſit, non dubitarem equidem, eum vel Alexandrino MS. præferre, cet.*

explicatam daturum, & eius Codicis non tumultuarie congeſtas lectiones exhibere ſe, ſed animum eſſe, docere, quomodo ad priſcas orthographiæ & dialectorum leges ſcite revocari poſſint.

Primo loco exhibuit mutationes *τȣ ει in ι* ſimplex, ut, διλιασω, ἐταπινωθην, ἀπηγγιλα, cet. ſine deſignatione legum, ad quas hæc mutatio facta ſit, vel fieri ſoleat. Quod tamen videatur maxime fuiſſe neceſſarium, niſi a temeritate & inconſtantia ſcribarum lectores ſemper timere debebant. En vero lectiones ſibi plane contrarias, quæ eandem vocem diverſa ratione exhibent, ratione *τȣ ει* & *ι*.

Turic. MS.

Pag. 27. ἀπηγγιλα, *Pſ. XXXIX, 6*; ἐξηγγιλα, *Pſ. LV, 9.*	Contra hoc ipſum *MS. Pſalmo XCI, 6*, legit τȣ ἀναγγειλαι. Ita excitat ipſe doctiſſ. *Breitingerus pag. 69* Epiſtolæ. Haud ſcio, an ſatis tuto ad *pag. 40* provocare liceat, ubi eſt ἐξαγγειλαι; nam nominat *Vatic.* & *Turicenſe* MS. ſimul.
Pag. 27. ὠνιδισεν, *Pſalm. LIV, 13* & alibi.	Contra, idem *verſus p. 37* excitatur ὠνειδισεν.
Ib. ἐνετιναν, *Pſ. LXIII, 4*, & alibi.	Contra, *Pſ. CXXXIX, 6, Turic.* MS. habet διετειναν. Ita excitatur *p. 50.*

Pag. 27. ταπινοι hic ibi, & in *Hymno XII v. 87.*	Contra MS. *Alexandrinum*, quod omnino non debebat *inconſtans* eſſe, legit in Hymno: ταπεινοι. Exſtat *pag. 65.*
Pag. 27. & *Hymno* Θ, *v.* 40. *Turicenſe*, διξης.	Contra *Alexandrinum* δειξης, eod. loco *pag. 63.*
Pag. 64. *Turicenſ.* Χεϱȣβιν.	Contra *Alexandr.* ibid. Χεϱουβειμ.
Pag. 65. *Turicenſis*, ἐξομολογιωθε.	Contra illud ipſum *Turic. p. 66 & p. 70* ἐξομολογειωθε rectius.
Pag. 27. αἰνειτε, uno loco tantum, ſcilicet *Pſ. CXLVI, 1*, aliter ſemper αἰνιτε.	Sed & αἰνειτε *Pſ. XCIX, 4, p. 70.*
Pag. 65. ὑμνιτε, ter hac una pagina.	Contra in eadem *pagina* ter εὐλογειτε exhibet *Turicenſis*, & bis *Alexandrinus*; ſed εὐλογιτε debebat eſſe conſtanter.
P. 27. *Pſ. LVIII, 11*, δειξη, & *p. 52 Pſ. XLIX, 23*, δειξω.	Contra alibi ſæpius διξη: ita ipſe Vir Celeberr. dicit.
P. 27. *Pſ. LXXVII, 20*, ἐπι pro ἐπει.	Contra *p. 53* idem *Turic.* ſcribit ὡσει: ſed debebat ὡσι. Sic *pag. 68* ἐκει, non ἐκι.

Multo

Multo plura exempla poſſemus allegare, ubi ει manet in hoc Codice, cum tamen ob conſtantem & *certam* legem ſcripturæ, quæ obſervata eſſe ab *Alexandrinis* dicitur, debebat ι ſimplex eſſe, e. g. *p.* 41 πλειοσιν debebat eſſe πλιοσιν, ut κρισσον, λαλιτε, pro quo *p.* 37 habetur κατελαλεις, *p.* 45 ἡγειτε, non ἡγιτε, ut debebat ad legem λαλιτε; ibidem, συνκαθεσθαι.

Ergo in primo exemplorum genere nec in ipſo *Turicenſi* Codice, nec in *Alexandrino*, qui tamen uterque ſequuntur hanc *dialectum Alexandrinam*, ſervantur ſcribendi leges certæ, ſed in una eademque voce variatur.

Pergimus ad alterum genus exemplorum: mutationes τȣ ι ſimplicis in ει:

P. 27. *Turic.* μεισȣντες paſſim.	Contra idem *Turicenſis* *Pſalm. LXXIII*, 23, μισȣντων, *pag.* 41.
P. 62. *Turicenſis* ἐξελιπον.	Contra *Alexandrinus*, ἐξελειπον.

Sed quid opus his exemplis, quæ innumera contra afferri poſſent, ubi ι recte ſemper ſervatur, quod vix in paucis cum ει mutatum fuit.

Mutationes in futuris; quorum formationem Clariſſ. *Breitingerus* *p.* 29 peculiarem putat fuiſſe *Alexandrinis*.

P. 27. dicit: Futurum 1 activi conſtanter terminatur σης, ση.	Contra *p.* 37 δοξασει; *p.* 67 ἐπιθυμησει; *p.* 27 ταπινωσει; *p.* 61 δωσει.
Ibid. dicit: Futurum 1 mediæ formæ con-	Contra *p.* 53 ὑπεραρθησεται, non ..ηται.

ſtanter terminatur in η, ηται, p. 29.	
P. 29. Ionicam dialectum reſipere videntur ſequentes Codicis noſtri idiotiſmi &c. ἐπι οικον.	Contra p. 33 Vir Celeb. annotat, vitioſe exſtare in *Turicenſi* ἐν ἐχθρους, pro ἐπ' ἐχθρους. Atqui apoſtrophus hic fuit, non conſtans ergo ſcriptura.
P. 30. ε in αι. Καταισθιοντες. In terminationibus verborum non occurrit, niſi ſemel in ταπεινωσαι, γραμματαιως, encliticum ται pro τε, *Pſalm. LVII, 6.*	Contra millies ſcribitur αἰνεσις, συνεσεσι, Φοβερος. Millies terminationes recte in ε. Γραμματαιως, aperte tam eſt vitium, quam ται pro τε, quod ſexcenties recte ſcribitur in ipſo *Turicenſi* MS.

Ex his quilibet, arbitror, ſatis viderit, ſi liceat ipſum Codicem *Turic.* inſpicere, haud dubie plura exempla horum ζητουμενων exſtitura, quæ vulgatam ſcribendi rationem ſequantur, quam quæ ſingularem aliquam *Alexandrinam dialectum.* Ad quam quidem Vir Celeb. *p. 31* aperta menda & errores indubios referre non recte poterat, e. g. διωμαρτυρουμαι, pro διαμ. *Pſalm. XLIX, 7,* ρυθωσιν, pro ρυσθωσιν, *Pſalm. LIX, 7,* λαμπροτεσι pro - - τησι, ἀπεγχθησονται, pro ἀπενεχθησονται, ut antea ται, pro enclitica τε; γραμματαιως, pro γραμματεως, καταισθιω,

καταισθιω, pro κατεσθιω, & ſimilia. Oſtendimus ergo his exemplis, non eſſe *certam ſcribendi legem*, quam hæc *Alexandrina dialectus* ſequatur, & qua illa ipſa conſiſtat. Sed, ſi vel maxime verum eſſet, quod impugnamus, eſſe certam ſcribendi legem, ſeu ſervari eandem in Cod. *Alexandrino* & *Turicenſi* in iisdem vocibus (nam ita debebat) ſemper ſcribendi rationem, tamen vix arbitror, inde *dialectum* aliquam *Alexandrinam* effici poſſe, quæ ſemper obtinuerit. Cum enim negari nequeat, 1) non ſine veri ſpecie credi, iſtas mutationes vocalium, ſono affinium & pronuntiatione, eo facilius locum habere potuiſſe, quo ſcriba Græcæ linguæ fuit imperitior; item 2) hanc imperitiam hominis haud dubiam evadere, ſi in una atque eadem voce literam mutat, quam alio loco tamen exhibet; hancque 3) imperitiæ ſuſpicionem augeri, ſi aperte librarius erraſſe deprehendatur, e. g. in enclitica τε, quam ται ſcripſit, quam ad vocem præcedentem tanquam terminationem verbi adiunxit, ſaltem ita ſibi finxit; porro, cum ſcripſit ἐν ἔχθρους, pro ἐπ', cum exaravit, διωμαρτυρουμαι, quam vocem in duas diviſit, eadem falſo opinatione coniunctionis, & *p. 68* bis ἀνδρωπου, pro ἀνθρωπου, ſi hæc, inquam, omnia colligantur: haud ſcio, an ii veriſimilitudine carere dici poſſint, qui, imperitiam hominis librarii ſufficere ad iſtam ἰδιογραφιαν, putant, et nihil inveniunt certi & ſtati, rationibusque veris ita conſentaneum, ut dialectus quædam nova exinde conſtitui & credi poſſit.

Multo vero minus ratio aliqua indicari, aut excogitari, ſaltem a nobis, poteſt, quamobrem Vir Celeb. ſibi ſcribendum putaverit *p.* 31: *Mihi certe nullum dubium eſt, quin praecipui & maxime frequentes ex hiſce ſcribendi modis a prima interpretum manu profluxerint.* At non deerunt, quos hæc inter alia credere illud impediunt dubia: 1) quod inconſtans & mutabilis & variata in his ipſis Codicibus ſit ſcriptura, contra, ac Vir Celeb. dicit; 2) quod *Philonis*, *Ioſephi*, & N. T. Scriptorum, ὀρϑογραφια nullum veſtigium oſtendat informatæ ita ad Hebraicum palatum pronuntiationis Græcæ, etiam ubi verſionem των LXX excitant; 3) quod hoc ipſum fingi, & animo concipi, vix poſſit, quomodo magis ἑβραιζον ſit, μειουμενος, pro μιουμενος, μελετησῃ, pro μελετησει, αλιϑεινος, pro αληϑινος, ταπινος, pro ταπεινος, & ſimilia; 4) imo obſtare huic ſententiæ, partim quod ἑλληνισαι, ut inter omnes conſtat, Hebraice mediocriter tantum, plurimi omnino non, intellexerint, partim quod inter Græcos vixerint, qui *Alexandriæ* præcipue linguæ operam egregiam dederunt, ſaltem nunquam pravæ pronuntiationis exemplum præiverunt, aut illud tuiti & paſſi ſunt; 5) nec nullum inde exiſtere dubium, ſi vel maxime, (quod tamen non veroſimile,) iſti interpretes LXX ipſi ſingulari ſcribendi & pronuntiandi ratione uſi ſint, an librarii ſequiores ante *Chriſtum* adhuc, & ſtatim I, & II, & III Seculo, eandem ſervarint; cum ſine ſumma attentione ad tam ſingularem ὀρϑογραφιαν trans-

mittere

mittere eandem poſteris non potuerint; ratio vero nulla fuerit, quamobrem illam ſervarent, & dignam memoria iudicarent. Neque enim dici poteſt, omnia exemplaria *Alexandriæ* a Iudæis, vel Helleniſtis, deſcripta eſſe, nulla alibi. 6) Exemplar primum & avthenticum verſionis haud dubie religioſe ſervatum eſt a Iudæis. Videmus, per ipſa Chriſti tempora illam in ſumma auctoritate fuiſſe. Servaſſent ergo veroſimiliter etiam ſcribendi rationem; præcipue primi patres, qui, non ſine divino numine, & præſentiſſimo Dei regimine, illam verſionem confectam, arbitrabantur. At nihil ſimile in illis primorum Seculorum Græcis ſcriptis occurrit huic rationi ſcribendi. 7) Etiam in patribus *Aegyptiis* nec vola, nec veſtigium, eſt, eos ita ſcripſiſſe ipſos, aut excitaſſe ſaltem hanc verſionem hac ἰδιογραφιᾳ.

II. Alterum momentum in hac cauſa illud eſt: Si pronuntiatio vocalium miſta inter ſe, & imperitia ſcribæ, ſufficiat, & hanc inconſtantem ſcripturam peperiſſe poteſt; non opus eſt *Alexandrina dialecto*, quæ ita ſine cauſa nova effingitur. Iam vero ſole clarius eſt, vocales, in pronuntiando parum a ſe invicem diverſas, in *Alexandrino* Codice & *Turicenſi*, temere & male & imperite b) confuſas eſſe etiam in ſcribendo. En certiſſima pauca exempla:

b) Huc fere redeunt iſtæ mutationes: 1) α, hic ibi exiliter pronuntiatum, mutatum cum ε, & contra, ἠβαλλας, ἐλθατω; 2) αι, cum ε ſimplici; ἐρων,

P. 63. Epiſtolæ in Hymno Θ ſcribitur in *Alexandrino* Codice, *v. 11*, ἐλαιον ἀνεξιχνιαςον. In *Turicenſi* vero, ut ipſe iudicat Celeb. *Breitingerus*, rectius exſtat ἐλεος. At uterque Codex debebat *certam* ſcribendi & *perpetuam* ſequi legem. *Alexandrini* Codicis ſcriba temere ſonum αι & ε confudit. *Pſalm. XXIX, 6*, ſcripſit *Alexandrinus*, ἀγαλλιασεις, pro -ασις, errore manifeſto. *Pſalm. VII, 5*, καινος & κενος mutavit invicem. *Pſ. XLIII, 15*, *Turicenſis* ſcribit κεινησιν, pro κινησιν. Atqui, cum certo hic ibi erraverint hi ſcribæ *Alexandrinæ dialecti* periti, ut creditur, quidni errore etiam & per vitium ſcriptum ſit ab illis, ἐπι, pro ἐπει, αἰνιτε, pro αἰνειτε, διξω, pro δειξω, μεισος, pro μισος, κυκλωση, pro κυκλωσει, συνεξη, pro συνεξει, ἐπερετε, pro ἐπαιρετε, ἀγαθοσυνη, pro ἀγαθωσυνη, προσκυνητε, pro προσκυνειτε? Certe, ſi accedat ipſa inconſtantia eorum in his vocibus,

ἐρειν pro αἰρειν, αἰσθιω, pro ἐσθιω, edo; 3) ε cum ο, in ἐξωλεθρευσας, ab ὀλεθρος, item cum ι, εὐθιως, pro εὐθεως; 4) η cum ει, in futuris; cum η, κτησις, pro κτισις, ἀληθεινος; 5) ει cum ι ſimplici; ὀυδος, ικονι, πετεινα; 6) ι cum ει, μισος, ἀληθεινος; 7) ω cum ο, ἀγαθοσυνη; 8) ου cum ω, in ultima futuri I activi; & προσεδοκων; 9) μ ante π, φ, ψ, in pronuntiatione inſertum; quod vulgatius, & aliunde notum. Ceteræ mutationes tanti non ſunt, ut ἐνκατελειπον, ἐμμεσω, μετα ἀμαρτυλων. De omnibus tamen valet, non conſtanter ita ſcribi, nec in *Alexandrino*, nec in *Turicenſi*, Codice.

cibus, quas alibi recte, ut ſolet, ſcribunt, haud ſcio, an ſupereſſe aliquid poſſit, quod eorum negligentiam & imperitiam melius, quam illi ipſi, confirmet.

III. Ipſe Cel. *Breitingerus* de errore cognoſcendo ita tradit *p. 14:*

Ut autem oſtendam, in quo vis argumenti, quod a conſenſu optimorum & antiquiſſimorum Codicum repetitum eſt, conſiſtat: velim inprimis attendatur, unde cognoſcamus, aliquid in errorum numero eſſe habendum. Hoc autem alia ratione non innoteſcit, niſi poſtquam fuerit probatum, aliquid ab omnis temporis uſu, aut receptarum legum forma, penitus abhorrere, neque ullo modo cum iis conciliari poſſe. Itaque, cum orthographia & pronuntiandi ratio apud diverſos populos, qui unquam Græce locuti ſunt, diverſa fuerit, atque etiam pro ætate variaverit, id demum pro errore adverſus orthographiam habendum eſt, quod nullius neque ætatis, neque populi, uſu firmari poteſt. - - Uſus autem ſuperiorum temporum circa orthographiam, ubi teſtimonia deficiunt, non aliunde poteſt intelligi, quam ex conſenſu plurium eiusdem fere ætatis, aut generis, librorum MSS. Nullam enim habet probabilitatis ſpeciem, ubi vel tres, aut quatuor, tantum eiusdem ferme ætatis MSS. Codices ſuperſunt, hique in peculiari aliqua ſcribendi forma conſpirant, hunc conſenſum errori potius, quam certo conſilio, eſſe tribuendum; inprimis ſi conſenſus iſte circa

Hæc mihi in mentem venerunt, cum inſignem Celeb. *Breitingeri* Epiſtolam primum legerem, & redirem in memoriam eius, quod iam ex editione τῶν LXX notaveram. Gratiſſimum mihi acciderit, ſi de his meliora docear, facileque mea me opera conſolabor, qua ad illuſtrandam ſcripturæ in antiquiſſimis Codicibus rationem, ſed & eorundem in iure dicundo auctoritatem, aliquid contuliſſe mihi videbor.

III.

HENRICI AVGVSTI ZEIBICHII

ANIMADVERSIO PRIOR IN LOCVM XENOPHONTIS LIB. I DE CYROP. PAG. XXII EDIT. LEVNCLAV. QVA CYAXARES, SVPPOSITVS ASTYAGIS FILIVS, DE SOLIO REGALI DETVRBATVR.

I.

Cum omnis Hiſtoria antiqua, literarum conſignata monumentis, obſcuritate laborat, tum Medica tantis ſane, tamque craſſis, iacet in tenebris, ut, doctiſſimi licet, in ea illuſtranda, & temporis conſumſerint plurimum, & ingenii nervos immane quantum contenderint, nondum tamen clariſſimum ubique lumen prætuliſſe, omnemque diſpuliſſe caliginem, videantur. Ac, ne quis, hæc a me liberius confidentiusque dici, putet, teſtes ipſos Reges Medicos vetuſtiſſimos

mos citabo, qui, cum ab aliis, nimirum *Cteſia* a), *Iuſtino* b), *Euſebio* c), *Syncello* d), *Cedreno* e), *Scaligero* f), *Petavio* g), *Iornande* h), *Ruperto* i), *Dieterico* k), *Ionſtono* l), *Sardanapali* conſtituantur ſucceſſores, ab aliis, ut *Herodoto* m), *Marshamo* n), *Clerico* o), *Cellario* p), *Offerhauſio* q), *Schroeero* r), *Abelio* s), *Rechenbergio* t), Anglicanæ Hiſtoriæ Conditoribus u), & *Struvio* x), dignitate regia priventur, difficultate prorſus ſingulari ipſum Regni Medici primor-

a) *Cteſias* ap. *Diod. Sic.* II, 32.
b) *Iuſtinus* I, 3.
c) *Euſebius Can. Chron. p.* 45 & 147 *Græc.*
d) *Syncellus Can. Chronogr. p.* 381 *ſeq.* in *Scriptor. Byzant.* T. *VIII ed. Goar.*
e) *Cedrenus Annal. p.* 88 & 89 *ed. Baſ.*
f) *Scaliger de Em. Temp. Fragm. p.* 40, & ad *Euſeb. Chron. p.* 64 & 322.
g) *Petavius de Doctr. Temp.* IX, 56, 57, & *Ration. Temp. P. I p.* 83.
h) *Iornandes* in *Scriptor. tribus Hiſtor. Antiqu.* a *Lindenbrog. edit. p.* 9.
i) *Rupertus* ad *Beſold. Synopſ. Min. p.* 56, 57.
k) *Dietericus Breviar. Hiſt. p.* 72.
l) *Ionſtonus Polyhiſt.* T. I *p.* 132, 135, 145 *ſeq.*
m) *Herodotus* I, 95.
n) *Marsham, Can. Chron. p.* 525.
o) *Clericus Comp. Hiſt. p.* 30.
p) *Cellarius Hiſt. Ant. p.* 9.
q) *Offerhaus. Spicileg. Chronol. p.* 144, 280.
r) *Schrœer Imp. Babyl. & Nin. p.* 469.
s) *Abelius Hiſt. Monarch.* I, 9, *p.* 429 *ſeq.*
t) *Rechenberg Prælect. Hiſtor. p.* 54.
u) *Hiſtor. Anglican. Univerſ.* T. *IV Cap.* X *Sect.* 4 *ſ.* 27 & 34 *ed. German.*
x) *Struvius Hiſt. Univerſ. p.* 13.

primordium laborare, declarant. Oritur autem hæc controverſia, ſicut nemo, niſi rerum expers omnium, facile ignorat, ex *Herodoti* & *Cteſiæ* diſſenſu y), qui, etſi ambo ingenio doctrinaque valuerunt plurimum, etſi regiones peragrarunt complures, etſi reliquis fuerunt Hiſtoriæ conſcribendæ ſubſidiis inſtructi, etſi utrique tandem, *Walthero*, Præceptore noſtro ſancte obſervando, qui hæc, quæ attulimus, copioſius elegantiusque explicavit, auctore z), paria omnia fuerunt; ambo tamen, multis in rebus, tam inter ſe vehementer diſcrepant; ut nullo fere conciliari modo poſſe videantur, tam graviter ſæpenumero labuntur, ut & *Plutarchus* a) malitiæ *Herodotum*, & *Cteſiam Ariſtoteles* b), *Antigonus* c), aliique d), erroris, erroris dico? immo mendacii, accuſarint. Multa quidem, magnoque forſitan labore conquiſita, *Aegidius Strauchius* e) in medium argumenta protulit, quibus & *Cteſiæ* confirmaret ſententiam, & *Herodoti* refutaret. His vero penitusne omnes ex animo ſcrupulos evulſerit, vehementer dubito, ac potius, licet eandem opinionem ingrediar, neque *Hero-*

y) *Huberus de genuina ætate Aſſyr. & Regum Medorum p. 75.*
z) *Waltherus Animadv. hiſtor. p. 97.*
a) *Plutarchus Opp. T. II p. 854*
b) *Ariſtotel. Animal. VIII, 28.*
c) *Antigonus Hiſt. Paradox. XVI.*
d) *Cellarius Diſſ. Academ. p. 54 ſeq. Walchius Parerg. Academ. p. 27.*
e) *Strauch Breviar. Chronol. p. 629.*

Herodoto f), neque *Cteſiæ* g), omnem exiſtimo derogandam eſſe fidem, ſed eorum ſcriptorum unice conciliationi ſtudendum. Videntur enim Medi, ut *Dionyſium Petavium* h), qui hæc attigit, ſequar ducem, iugo Aſſyriorum excuſſo, recuperataque, qua nihil eſt dulcius, libertate, cum leges proprias, tum Reges, quos *Cteſias* aliique iis tribuunt, omnino habuiſſe, ſed vel libidinoſos iſtos, vel otio torpentes, atque, ut paucis complectar, nefarii, a quo regnum acceperant, *Sardanapali* veſtigiis inſiſtentes, hoc eſt, ob voluptatem turpiſſimam negligentes imperii i), adeo, ut nullis quaſi Regibus eo tempore ſint uſi. Neque enim luxuries Medica in ignoratione verſatur, ſed a *Max. Tyrio* k), *Xenophonte* l), aliis, ſæpe multumque memoratur. Quod ſi ipſum *Cteſiam* evolvo, eodem, quo dixi, modo ſuam hos Reges vitam tranſegiſſe video, cum plurimi, nimirum *Arbaces*, *Mandauces*, *Soſarmus*, *Artyas*, & *Artynes*, nihil, aut parum certe, ad utilitatem attulerint communem, reliqui autem, ut *Aræus* & *Artibarnas*, quotiescunque ſuis cum hoſtibus ſunt congreſſi, inferiores ſemper diſceſſerint prælio, nunquam ſuperiores. Itaque, id quod erat neceſſe, cum le-

ges,

f) *Herod.* I, 95.
g) *Cteſias* ap. *Diod. Sic.* II, 32.
h) *Petavius de Doctr. Temp.* IX, 57.
i) Id quod de Sardanapalo prodiderunt *Iuſtin.* I, 3. *Athenæus pag.* 529. *Diod. Sic.* II, 25. *Velleius* I, 6.
k) *Max. Tyrius Diſſ.* 25 *pag.* 326.
l) *Xenophon pag.* 21 *Lib.* I *de Cyrop. ed. Leunclau.*

ges, muri tranquillitatis ac propugnacula m); ab audacia violarentur, ſcelera ſceleribus adderentur, omnia ruerent in peius, tum vero *Deiocem*, præſtanti virum ſapientia, ut ſuis conſuleret rebus, proſtrataeque reip. quamprimum ſubveniret, rogarunt, eiusque prudentia permoti, in regali poſtea ſolio collocarunt. Ita fit, ut, quod primus dignitatem regiam regia prudentia, virtute, vigilantia, ornavit, primus Medorum Rex ab *Herodoto* vocetur. Novam tamen, & a nemine adhuc tentatam, ingreſſus eſt viam Vir Summe Reverendus, *Sigismundus Iacobus Baumgarten* n), Vir, quanta muneris dignitate, tanta meritorum amplitudine, inſignis, ac *Strabonis* o) potiſſimum, qui, Reges Medorum uxores duxiſſe plures, obſervavit, teſtimonio innixus, ex eo loco, plures uno eodemque tempore reges Regno Medico præfuiſſe, collegit. Quodſi rem *Strabo* diſtinctius explicaſſet, nec, ut veri ſimilius videtur, Reges ſibi ſuccedentes deſignaſſet, omnino hæc doctiſſima præſtantiſſimaque valeret coniectura. Sed, quoquo modo his de Regibus ſe res habet, præſtat certe, *Pyrrhoniorum* more, quem ex antiquioribus *Sextus Empiricus* p) commendavit, ex recentioribus *Bierlingius* q), aſſenſionem ſuſtinere,

m) *Cicero Orat. T. III pag. 81, a, ed. Lambin.*
n) Vener. *Baumgarten ad Hiſtor. Univ. Anglic. T. IV n. 20, 4.*
o) *Strabo XI p. 562 ed. Caſaub.*
p) *Sext. Empir. Pyrrhon. Hypoth.* maxime *I, 12.*
q) *Bierlingius de Pyrrhoniſm. hiſtor. Cap. I pag. 5.*

nere, ac potius, oblata nobis facultate, ad *Cyaxarem* tranſgredi, quem multi, idque optimo iure, regno exterminant, eiiciunt, expellunt, multi recipiunt exulem, atque, inſignem eius calamitatem miſerati, in priſtino ampliſſimoque collocant dignitatis gradu.

II. Pugnant nimirum, acerrimeque inter ſe contendunt, viri docti, utrum *Aſtyages*, qui Medorum adminiſtravit rem publicam, ſine prole deceſſerit virili, an filium reliquerit *Cyaxarem*, tam Mediæ, quam, *Cyri* beneficio, Babyloniæ, præfectum. Sunt enim, quemadmodum deinceps *pluribus* explicabo, eruditiſſimorum iudicia virorum tanta in varietate conſtituta, ut, auctoritate ſola ſi ducaris, quod a cuiusvis perſona maxime abhorret r), cogitandi cura ancipiti diſtrahare, ſin movearis veritate, cui potiſſimum in Hiſtoria ſtudendum s), de tota re facillime poſſis iudicare, præſertim cum illorum, qui *Cyaxari* bene cupiunt, opinio duorum teſtimoniis Scriptorum, tanquam fulcris, nitatur, quæ ſi corruant, totum ſimul ædificium concidet, lubricis admodum fundamentis conſtitutum. Itaque, inveteratis in erroribus detegendis, cum ſemper ad fontem mendacii ultimum debeamus redire t), nec vero, qui *Cyaxarem* defendat, auctorem, *Xenophonte* antiquiorem habeamus, hunc

r) *Cic. de Nat. Deor. I, 5.*
s) *Cic. de Orator. II, 15.*
t) *Langlet du Freſnoy Method. Cognoſc. Hiſtor. pag. 554 ed. Mencken.*

hunc ducem u), & virtute x), & ſapientiæ ſtudio y), & pulchritudine z), inſignem, imo aureum prorſus a), evolvamus, et, quam infeſtis telis adverſus noſtram pugnet ſententiam, videamus b). Sic autem ille: Προϊόντος δὲ τȣ̃ χρόνȣ, ὁ μὲν Ἀςυάγης ἐν τοῖς Μήδοις ἀποθνήσκει, ὁ δὲ Κυαξάρης, ὁ τȣ̃ Ἀςυάγȣς παῖς, τῆς δὲ Κύρȣ μητρὸς ἀδελφὸς, τὴν ἀρχὴν ἔλαβε τῶν Μήδων. *Conſequenti autem tempore, ille quidem Aſtyages in Media decedit, Cyaxares vero, Aſtyagis filius, Cyri avunculus, Medorum regnum accepit.* Explicat his libris *Xenophon*, ſicut nemo facile ignorat, ineuntem *Cyri* pueritiam, eamque tam præclaro explicat genere dicendi, ut idem ſuave *Hermogenes* c), & *Fabius* d) inaffectata iucunditate excellens, appellarint, magnisque præterea *Dio Chryſoſtomus* e), *Cicero* f), ac *Suidas* g), aliique, laudibus ornarint. Sed, cum, de eleganti oratione *Xenophontis* exponere pluribus, ab inſtituto noſtro

u) *Plutarch.* in *Ageſilao T. I pag.* 526, 600, 605.
x) *Xenoph. pag.* 294, *b*, 306, *d*, *Chio de Conſervato a Xenoph. Byzant.* in huius *Opp. p.* 1009 *ſeq. Maxi Tyr. pag.* 56, *Polyænus I pag.* 79 *ed. Caſaub.*
y) *Voſſius de Hiſtor. Gr. pag.* 22.
z) *Diogenes Laertius pag.* 45.
a) *Aelianus Hiſt. Animal.* II, 11.
b) *Xenoph. pag.* 22 *Lib. I Cyrop.*
c) *Hermogenes de genere dictionis Xenophont.* in huius *Opp. pag.* 1012.
d) *Fabius Inſtit. Orat.* X, 1, *pag.* 748.
e) *Dio Chryſoſt. pag.* 258 *ed. Morell.*
f) *Cicero Orator. Cap.* 19.
g) *Suidas v.* Ξενοφῶν.

noſtro abhorreant, ad ipſum propoſitum veniamus, ipſumque, ut promiſimus, *Xenophontem* conſideremus. Meminit autem, *Cyrum*, ubi primam in Perſia tranſegerit infantiam, ad avum *Aſtyagen* veniſſe, & aliquantum in Media temporis conſumſiſſe, h) fuiſſe *Aſtyagi* iucundum, qui & ei omnium civium conciliaverit animos, & in primam virtutis Martiæ palæſtram eum produxerit i), ſeu corpus exercuerit venatu k), conſuetudine uſum *Cyaxaris*, tamque ſe bene geſſiſſe, ut eum, a *Cambyſe* in patriam revocatum, magno *Aſtyages* a ſe dimiſerit animi dolore l), deinde poſt m) *Aſtyagem* ſupremum diem obiiſſe, regnumque *Cyaxari*, filio, reliquiſſe. Hæc eodem fere ordine, quo enarravimus, licet multo copioſius, a *Xenophonte* referuntur, diſtinctis verbis, ne quem in animo ſcrupulum relinquat, initium regni *Cyaxaris* tradente. Tempus tamen, quo vel in Perſiam *Cyrus* redierit, vel regnum occupaverit *Cyaxares*, ab *Offerhauſio* n), Batavo, conſtitutum, utrum veritati reſpondeat, an minus, pluribus in

h) *Xenoph. pag.* 8.

i) Antiquiſſimi enim duces, ut & virtutis documentum ederent inſigne, & futuris rei militaris aſſuefierent incommodis, frequenter ſeſe venationibus delectabant. Vide inſtar omnium unum *Bergerum* *Orat. Lectior. pag.* 522.

k) *Xenoph. pag.* 14.

l) *Xenoph. pag.* 20.

m) Loquimur cum *Terentio Andr.* III, 2, & *Nepote* XVIII, 5.

n) *Offerhauſ. Spicileg. Chronol. pag.* 292 *Tab.* V.

in poſterum, cum ad rationem venerimus temporum, exponemus. Neque vero negamus, verba inprimis illa Græca, quibus, *Cyaxarem*, cum hoc loco, tum alio, o) παῖδα Ἀστυάγους appellavit, diu noſtrum in ſe animum converti ſſe. Etſi, *Xenophontem* perſpicuitati plurimum ſtudere p), & ab omni, quæ forte attentionem lectoris ſtudiumque retardare poſſit, obſcuritate abſtinere, certo ſcimus, idque ipſi, quod tamen dictum nolimus arroganter, cognovimus interdum, nihilo tamen minus, aliorum veſtigia Græcorum q), imo Latinorum etiam, r) ſecutum, voces υἱὸς & παῖς, quæ & in ſacris s) permutantur ſcriptoribus, & profanis t), ſæpenumero omiſiſſe, optime tenemus. Sic ter uno in loco u): Ἔμεινον, ἕως ἀφήκοντο, οἱ ἀντ' ἐκείνων ϛρατηγοὶ, Δήμαρχός τε, Πυθόκου, καὶ Μόσκων Μενεκράτου, καὶ πόταμος Γνωσίας. Supple υἱοὶ. Alibi x) haud diſſimili ratione: Καλλίας ὁ Ἱππονίκου. Tranſeo reliqua, cum res in nemini facile, niſi Græcarum literarum penitus expertis, ignoratione verſetur, ac potius,

o) *Xenoph. p. 22 B & D.*

p) *Blackuall de Præſtantia Claſſic. Auctor. p. 51.*

q) Conf. *Bos Ellipſ. Gr. p. 221 ed. Leiſner. Seberus ad Polluc. VIII, 151, 14.*

r) *Grimm de Ellipſ. Latin. p. 42.*

s) *Matth. XVII, 15, Ioann. IV, 49.*

t) *Apoll. Rhodius Argon. II, 1095, Herod. II, 55, Euripid. Hecub. 534, Zeibich. Athleta* παραδ. *p. 9, Raphelius Annotat. in Nov. Teſt. ex Xenoph. p. 149, 150.*

u) *Xenoph. p. 431.*

x) *Xenoph. p. 528.*

tius, cum in ſcriptoribus profanis, in *Herodo-to* y), cuius locum una hac obſervatione *Meurſius* z) illuſtrat, in *Stephano Byzantio* a), quem explicat *Holſtenius* b), ex Codicibus, in aliis denique, πατὴρ ſæpe multumque ſupprimatur; profecto, ne *Cyaxares*, *Aſtyagis* filius, confunderetur cum *Cyaxare*, *Aſtyagis* parente, data opera, his in verbis perſpicuitati exiſtimo *Xenophontem* ſtuduiſſe.

III. Sed eiusdem *Xenophontis*, breviter a nobis ſtrictimque explicati, veſtigiis *Ioſephus* c) inſiſtit, tanto dignior, cuius verba, ab *Leonardo Offerhauſio*, d) acerrimo *Cyaxaris* propugnatore, omiſſa, ponderemus, quanto maiori præconio, & propter ſinceram incorruptamque veritatem, cum ſacro conſpirantem Codice, e), & propter ſuavitatem dicendi *Livianam* f), ſcriptores veteres ornarint. Δαρείῳ, inquit, τῷ καταλύσαντι τῶν Βαβυλωνίων ἡγεμονίαν, μετὰ Κύρου τοῦ συγγενοῦς, ἔτος ἦν ἑξηκαστὸν δεύτερον, ὅτε τὴν Βαβυλῶνα εἷλεν, ὃς ἦν Ἀστυάγους υἱὸς, ἕτερον δὲ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἐκαλεῖτο ὄνομα. *Darius, qui una cum Cyro cognato*

y) *Herodotus VIII, 17*, ubi male vertitur *Clinias*, *Alcibiadis filius*; cum fuerit eius pater, *Nepote* teſte *VII, 1*.

z) *Meurſius Lect. Artic. VI, 12, p. 356*.

a) *Steph. Byzant. v.* Θάσος.

b) *Holſtenius ad Steph. Byz. p. 155*.

c) *Joſeph. Ant. Iud. X, 11, 4*.

d) *Offerhauſ. Spicileg. Chronolog. p. 264 ſeq.*

e) *Euſebius H. E. II, 10, Photius Bibl. cod. 76*.

f) *Hieronymus T. I p. 149*.

gnato regnum everterat Babylonium, *annum agebat ſexageſimum ſecundum*, *cum Babylonem expugnaret*, *qui erat Aſtyagis filius*, *alio autem a Græcis nomine vocabatur.* Meminit paullo antea *Ioſephus*, ad expugnandam Babylonem oratione delapſus, *Balthaſari*, Babyloniorum regi, qui *Naboandelus* ab iis vocetur, *Darium* Medum una cum *Cyro* bellum intuliſſe g), omnique coacto exercitu, non ipſam modo urbem, ſed regem etiam, in fuga comprehenſum, ſuæ ſubieciſſe poteſtati. Quodſi verba, in medium allata, accuratius perpendo, *Ioſephum* video non tam *Cyrum*, quam potius ipſum *Darium* Medum, huius facti prodere auctorem, eo potiſſimum, quod *Darium* Medum, commemorat, a *Cyro*, non *Cyrum* a *Dario* Medo, adiutum, Babylonem ſubegiſſe. Quæ tamen ſententia, quantum a *Beroſo* h) & *Abydeno*, i) tantum a veritate, abhorret. At, nullum, inquies, nullum prorſus, a *Xenophonte* video *Cyaxarem* deſignari. *Darium* Medum loquitur, quem alii *Nerigliſſorem* k), alii *Nabonadium*, l) alii *Aſtyagis* fratrem m), alium alii, exiſtimarunt. Tunc igitur ex illo *Dario* Medo, de quo tanta adhuc eſt controverſia, coges

g) *Ioſeph. A. I. X, 11, 2.*
h) *Beroſus* ap. *Euſeb. Præp. Ev. IX, 40, p. 455, 456.*
i) *Abydenus* ap. *Euſeb. Pr. Ev. IX, 41, p. 457.*
k) *Hiſtor. Univerſ. Anglic. T. III ſ. 899.*
l) *Baumgarten ad Hiſt. Univerſ. Anglic. T. III p. 750.*
m) *Alph. de Vignoles Chronolog. V, 15, Vol. II, p. 495 -- 525, & Schræerus Imper. Babyl. & Niniv. p. 415.*

coges Cyaxarem, eumque *Ioſepho* affinges? Non affingo. Nonne *Darius* hic Medus *Aſtyagis* filius appellatur? Quot autem habes *Aſtyagas*, niſi unum, Regem ſcilicet Medorum, qui *Cyaxari* ſucceſſit? n) Nonne porro vixit hic *Aſtyagis* filius eo, quo *Cyaxares*, tempore, nempe *Cyri*? Nonne iisdem denique factis *Cyaxares* eluxit, quibus ille? *Darium* enim Medum regnaſſe Babylone, *Flavius Ioſephus* o), at *Cyaxarem* a *Cyro* in ſocietatem regni invitatum, ut habitaret Babylone, *Xenophon*, p) teſtatur. Hæc certe ſi conſideras momenta, quin *Cyaxarem Ioſephus* intellexerit, nullo amplius modo dubitabis, licet verum eius nomen ſilentio prætermiſerit, idque vel ex animo amiſiſſe, vel, cum tam clare deſcripſerit, omnino prodere noluiſſe, videatur. Habes duo q) præcipuos Auctores, qui omnem huic errori, per tot annorum ſecula propagato, occaſionem dederunt, doctiſſimosque poſtea viros, *Zonaram*, r) *Sleidanum*, s) *Uſſerium*, t) *Carionem*, u) *Marshamum*, x) *Offerhau-*

n) *Herod.* I, 107.
o) *Ioſephus A.* I. X, 11, 4.
p) *Xenophon p.* 227 E.
q) Duo, non duos, veteres dixerunt. Leg. *Gronovius ad Liv.* XXXV, 21, & *Burmannus ad Quintil.* II, 17.
r) *Zonaras T. I p.* 94, 106, 120.
ſ) *Sleidanus de IV ſummis Imper. p.* 22.
t) *Uſſerius Annal V.* & *N. T. p.* 69.
u) *Carion Chronic. p.* 80.
x) *Marshamus Can. Chron. p.* 605.

hauſium, y) *Abelium*, z) *Van Alphen*, a) *Haſium*, b) *Waltherum*, c) ſuæ ſuffragatores ſententiæ habuerunt. Et quid tandem Noviſſimæ Hiſtoriæ Univerſæ; non tam ſui dignitate ac præſtantia, quam admirabili potius *Baumgartenii* doctrina, limatoque iudicio, æſtimandæ, mentionem iniiciam, d) quæ pro *Cyaxare*, eiusque regno, & acriter, & nimis copioſe, propugnat.

IV. Supereſt, ut ante, quam e regno exterminemus *Cyaxarem*, de vita eiusdem breviter exponamus. Quanquam enim hoc labore, qui parum nobis commodi, utilitatis parum, promittit, ſuperſedere omnino poteramus, propterea quod & Noviſſimæ Hiſtoriæ Anglicanæ Conditores, e) & Cl. *Offerhauſius*, f) celeberrimum illud Batavorum ornamentum, ſub *Cyaxare* quid fuerit geſtum, explanare ſtuduerunt, tamen, cum poſterior inprimis *Cyaxari* tribuat complura, quæ *Cyro*, imo etiam *Cyaxari*, *Aſtyagis* parenti, a *Xenophonte* vindicantur, ne ſtare videamur a mendacio contra verum, facturos nos operæ pretium putamus, ſi vitæ *Cyaxaris*, quam *Xenophon* nobis & *Ioſephus* reli-

y) *Offerhauſ. Spicileg. Chron. p. 265.*
z) *Abelius Hiſt. Monarch. p. 435.*
a) *Van Alphen* in *Add. ad Daniel. P. II. Cap. 5.*
b) *Haſius* in *Idea Hiſt. Univ. p. 24.*
c) *Waltherus Animadv. hiſtor. p. 64.*
d) *Hiſt. Univerſ. Angl. T. IV Cap. X. Sect. IV. §. 56 ſeq.*
e) *Hiſtor. Anglic. Univerſ. loc. cit.*
f) *Offerhauſius Spicileg. Chronol. p. 265, 267.*

reliquerunt, conſideremus imaginem, eique quantum fuci ſit illitum, indagemus. Quantas autem res geſſerit adoleſcens, nullibi meminimus legiſſe, niſi quod partim intimam cum *Cyro* g) familiaritatem contraxiſſe, partim, *Aſtyage* parente mortuo, rempublicam ſuſcepiſſe, fertur. h) Idem poſtea *Cyrus*, cum Medorum fines Aſſyrii perturbarent, eosque in ſuam redigere poteſtatem ſtuderent, & magnum copiarum numerum *Cyaxari* præſidio miſiſſe, &, acie inſtructa, hoſtes penitus profligaſſe, a *Xenophonte* i) narratur. Dicitur idem, expugnata Babylone, *Cyaxarem*, avunculum ſuum, ut eo veniret, regiamque, inſanis a *Nebucadnezare* k) ſubſtructionum molibus excitatam, occuparet, rogaſſe, eoque tandem permoviſſe, ut ille, his adductus precibus, eius ſatisfecerit optatis l). Neque enim, cum, *Cyrum*, contendimus, Babylonem ſubegiſſe, *Ioſephum* ſequimur auctorem, m) qui turpiter illum cum *Cyaxare* honorem partitur, ſed *Xenophontem* potius n), qui, unius eam gloriam *Cyri* eſſe propriam, fatetur. *Cyaxares* autem, ut tantam *Cyri* benevolentiam compenſaret, & arctiori ſibi eum devinciret vinculo, ſuam illi filiam, ac, dotis loco, univerſam

g) *Xenoph. p. 15.*
h) *Xenoph. p. 22.*
i) *Xenoph. p. 86.*
k) *Daniel. IV, 27.*
l) *Xenoph. p. 227.*
m) *Ioſeph. A. I. X, 11, 4.*
n) *Xenoph. Lib. VII p. 192.*

verſam Mediam deſpondiſſe perhibetur o), tantaque; ex Babylonia reverſus, comitate erga omnes fuiſſe ac benevolentia, ut ipſum *Danielem*, natione Iudæum, non ad aulam modo ſuam perbenigne arcesſierit, ſed plurimis etiam ampliſſimisque honoribus ornarit p). Hæc omnis præclari illius hominis eſt vita, quam *Xenophon* & *Ioſephus*, duo huius Hiſtoriæ principes, memoriæ literisque prodiderunt. Recentiorum autem ſententias ſi ponderamus, multa omnino, quæ & *Ioſephus* tacet, & *Xenophon*, legimus relata. *Leonard.* enim *Offerhauſius*, *Cyaxarem*, *Aſtyagis* filium, regnum, a *Cyro* ſibi traditum, accepiſſe, q) & in provincias CXX Perſicas cum *Cyro* Satrapas miſiſſe, r) exiſtimat, idque ex *Xenophonte* pariter atque *Herodoto* confirmare ſtudet. Quos ſi diligentius inſpexiſſet, alterum s) vidiſſet de *Cyaxare*, parente *Aſtyagis*, non filio, diſputare, alterum autem illa, quæ ab eo contendit affirmari, vel alto præterire ſilentio, vel ſoli tantum *Cyro* vindicare t). Egregiam vero vitam *Caſpar Abelius* u) nobis tradidit, arbitratus, *Cyaxarem*, Babylonem translatum, a Chaldæis aureis quaſi compedibus conſtrictum quidem fuiſſe, at, iis feliciter debellatis, Babyloniæ poſtea, non Me-

o) *Xenoph. p.* 228.
p) *Ioſeph. A. I. X,* 11, 5.
q) *Offerhauſ. Spicil. Chronol. p.* 266.
r) *Offerhauſ. l. c. p.* 267.
s) *Herodotus I,* 104.
t) *Xenoph. p.* 229 & 252.
u) *Abelius Hiſtor. Monarch. p.* 455 & 457.

Mediæ, imperaſſe. *Aſtyagi* denique, ut, nefario huic errori, cuius nos tædium iam diu tenuit, tandem aliquando finis imponatur, *Aſtyagi*, inquam, primo Perſarum regi, *Cyaxarem* ſucceſſiſſe, ac *Cyro* rei militaris curam detuliſſe, publicæ ſibi reſervaſſe, partim *Marshamus* x), partim *Prideaux*, y) acerrime contendunt. Alios, cum ſatis iam inter ſe pugnent ſententiæ, attingere non placet.

V. Sed, cum ultimam erroris originem indagare, indagatamque diiudicare, teneamur, ſi diſcernere verum a falſo, lucem a tenebris, certum ab ambiguo, velimus, *Xenophontem* illum Socraticum, z) de *Cyri* adoleſcentia diſſerentem, accurate ponderemus, eumque, ne effrenata quadam veteres perſtringendi libidine, a qua ſemper afuimus longiſſime, videamur ferri, non tam noſtri teſtimonio iudicii metiamur, quam vetuſtiorum potius, & præſertim *Ciceronis*, qui, de Cyropædia quid ſentiat, haud obſcure declarat a). *Cyrus ille, a Xenophonte non ad Hiſtoriæ fidem ſcriptus, ſed ad effigiem iuſti imperii.* Vides igitur, *Xenophontem* commemorato in libro fidem illam, quæ, licet probabilibus tantum argumentis nitatur b), ab Hiſtorico tamen requiri ſolet c), nequaquam

 prome-

x) *Marshamus Can. Chron. p. 605.*
y) *Prideaux Connex. V. & N. T. p. 158 Tom. I.*
z) Sic enim appellatur a *Cornelio XVII, 1, 1.*
a) *Cicero Ep. ad Quinctum Fratr. Lib. I. §. 8.*
b) *Claubergius Initiatione Philoſ. p. 48.*
c) *Bierlingius de Iudicio Hiſtor. §. 7 p. 285. annex. eius Pyrrhoniſmo Hiſtor.*

promereri, cum non eum in finem ſit ab illo exaratus, ut, quibuſcum *Cyrus* vixerit, quid domi geſſerit, quid belli, accurate, ut ſe res haberet, ſtudioſeque explicaret, ſed ut rationem imperii bene ſapienterque adminiſtrandi doceret, relinqueretque exemplar, unde ſibi, quod imitentur, duces capiant, unde, fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vitent d). Neque vero perſuadere mihi poſſum, invidia quadam, aut odio, adductum, hæc memoriæ prodidiſſe, cum tantis eum laudibus, tamque egregiis, celebraverit, ut & perutiles eius libros cenſuerit crebro lectitandos e), & ſermonem eius melle dulciorem appellaverit f), & Muſas eius ore perhibuerit locutas, g) nunquam denique eum, niſi honoris gratia, nominarit. Præterea, quantum ad vitam Principis enarrandam requiratur ſcientiæ, prudentiæ quantum & diligentiæ, profecto minime *Cicero* neſcivit, qui & præclara erat inſtructus cognitione civili, & Hiſtoriæ antiquæ ſcientia abundabat. Ipſum inſuper, ut eius ex libris apparet, *Xenophontem* ſæpe legit, eiusque leporem omnibus commendavit. Sed alio, inquis, loco, ampliſſimam ei fidem tribuit, priſtinamque ſententiam mutavit. Lege eum, in hanc ſententiam differentem h): *Xenophon Socraticus, qui vir & quantus, in ea militia, qua cum Cyro minore perfunctus eſt, ſua ſcribit.*

d) *Livius Præfat. p. 2 ed. Gruter.*
e) *Cicero* in *Catone Maiore Cap. 17.*
f) *Cicero Oratore Cap. 9.*
g) *Cicero Orator. Cap. 19.*
h) *Cicero Divinat. I, 25.*

ſcribit ſomnia, quorum exitus mirabiles exſtiterunt. Mentiri Xenophontem, an delirare, dicamus? Num mutavit ſententiam? Imo potius ſuam tacitus confirmavit. Quodſi enim accurate diligenterque, ut decet, rem animo complectare, ſomniis quidem *Xenophontis*, ſeu iis libris, quibus eadem enarravit, at non reliquis, inſtitutionem *Cyri* maioris explicantibus, fidem adiungere *Tullium*, cognoſces. Neque vero illis libris, de *Cyri* iunioris expeditione quos ſcripſit, ſuam hactenus auctoritatem denegavimus, ſed iis, in quibus de *Cyri*, natu maioris, pueritia exponit. Quod enim *Franciſcus Carpentarius*, ut ex *Menagio* i) pariter ac *Fabricio* k) intellexi, cepit conſilium locum *Ciceronis* ſuperiorem, a nobis antea citatum, refutandi, idne perfecerit feliciter, aut, re melius perſpecta, abiecerit, affirmare non audemus. Nos certe, ut ſupra monuimus, nullo vel odio inductum, vel invidia, *Ciceronem* hæc de *Xenophonte* prodidiſſe, ideoque vel ſolum ipſius teſtimonium plurimi valere, imo ſufficere, putamus. Sed, quo maiorem noſtra fidem faciat oratio, adhuc alia ſcriptorum, minime ſpernendorum, teſtimonia afferemus. Succedat igitur *Hermogenes*, l) in eandem, in quam olim *Tullius*, m) ſententiam ingreſſus. Τὸ μέντοι περὶ τὸν Ἀβραδάτην καὶ τὴν Πάν-

i) *Menagius ad Diog. Laert. p. 90.*
k) *Fabricius Bibl. Græc. Lib. III. 4. p. 72.*
l) *Hermogenes de Genere dictionis Xenophont. in huius Opp. p. 1012.*
m) *Cicero Ep. ad Quinct. Fratrem I, 8.*

Πάνθειαν πᾶν ἦθος τε καὶ πάθος πολλὰς ἔχει τὰς ἡθονὰς μυθικῶς πλαθέν. *Univerſa quidem morum commotionumque Abradatis ac Pantheæ deſcriptio, fabuloſe confiƈta, multam habet voluptatem.* Iam hæc verba in eadem, cuius de fide in præſentia diſputamus, *Cyropædia* n) leguntur. Suffragatur præterea *Auſonius,* o) libereque conſentit. *Vellem, ſi rerum natura pateretur, Xenophon Attice, in ævum noſtrum venires, tu, qui ad Cyri virtutes exequendas votum potius, quam hiſtoriam, commodaſti, cum diceres, non qualis eſſet, ſed qualis eſſe deberet. Si nunc in tempora iſta procederes, in noſtro Gratiano cerneres, quod in Cyro tuo non videras, ſed optabas.* Tandem, ut nihil, quod ad auƈtoritatem *Cyropædiæ* minuendam videatur ſpeƈtare, alto ſilentio prætermittam, in medium proferam, *Platonem,* p) cuius locum cum alias ob cauſas, tum eo potiſſimum, ad extremum reſervavi, quod obſcurius ſane teƈtiusque *Xenophontiæ* fidem *Cyropædiæ* infirmat, Μαντέυομαι δὴ νῦν περίγε Κύρυ, τὰ μὲν ἀλλ' αὐτὸν ϛρατηγὸν ἀγαθὸν εἶναι καὶ φιλόπολιν, παιδείας δὲ ὀρθῆς, ὐκ ἧφθαι τοπαράπαν, οἰκονομίαι τε ὐδὲν τὸν νῦν προσειχηκέναι. Fateor omnino, libenterque præ me fero, ne verbo quidem unquam *Platonem* feciſſe *Xenophontis* mentionem q); ut vero, cum hic ſæ-

penumero

n) *Xenoph. Cyropaed. VI p. 168, 169.*

o) *Auſonius. Burdigalenſis* in *Panegyriſtis,* a *Frobenio* editis A. 1520, *p. 547.*

p) *Plato Lib. III de Leg. Tom. II Opp. p. 694. a.*

q) *Gellius N. A. XIV, 3.*

penumero *Cyri* vitam ſummis laudibus extollat, tantasque eius virtutes, quemadmodum ſtatim pluribus perſequemur, enumeret, ut iis nunquam omnibus præditus fuiſſe videatur, omnino *Platonem* exiſtimo *Xenophontem* vituperaſſe, quod talem *Cyri* vitam deſcripſerit, qualem egerit ille nunquam. Quid? quod *Diogenes Laertius* r) in libro, qui, ipſius iudicio auctoris, Φιλόσοφος ἱςορία omnino inſcribi debebat s), *Platonem*, diſtinctis verbis prodidit, *Xenophontis Cyropædiam* in fabulis numeraſſe. Equidem probe ſcio, ab *Athenæo* t) pariter ac *Diogene Laertio* u) *Platonem* accuſari, ac ſi de principatu eloquentiæ cum *Xenophonte* contenderit. Quodſi *Plato*, invidia adductus, hæc literis conſignavit, æque minus, ac *Cteſias*, qui, *Herodoti* incenſus odio, x) ſcripſit, promereretur fidem. Sed, cum *Plato*, graviſſimus dicendi magiſter, præclaro, ac plurimum laudato y), utatur genere dicendi, tam abiecti fuiſſe animi humilisque, ut *Xenophonti* invideret, quis putaret? z) Nihilo tamen ſecius, cum, *Cyrum*, videret *Plato*, nimiis ſane virtutibus, quibus nunquam inſtructus fuerit, a *Xenophonte* ornari, omnino,

r) *Diogen. Laertius Vita Platon. Lib. 3, p. 78, ed. Menag.*

s) *Meurſius* in *Heſych. Mileſ.* Opuſc. p. 126.

t) *Athenaeus Deipnoſ. p. 576.*

u) *Diogen. Laert. p. 47 vita Xenoph.*

x) *Photius Cod. 34 p. 52 ed. Hoeſch.*

y) *Aelianus Var. Hiſt. X, 21, Ammianus Marcell. XXII ult. Cicero Oratore Cap. 19.*

z) *Invidia* enim *humilis animi eſt nota.* Conf. Illuſtr. *de Berger Eloquentia Publica p. 414.*

omnino; iudice viro elegantiſſimo, *Petro Crinito*, a) oblique alter alterum; non invidiæ quadam libidine, ſed veritatis amore potius ſtudioque, perſtrinxit. Ceterum; ſi quis nolit huic teſtimonio fidem habere, quod tamen vetuſtiores iam aliquos ſcriptores, *Athenæum* præſertim, b) recepiſſe, *Gellius* c) confirmat, nequaquam repugnamus, cum multo plura in poſterum afferemus; quibus noſtram poſſumus ſententiam confirmare. Ex recentioribus autem complures; nimirum *Voſſius*, d) *Rupertus*, e) *Lipſius*, f) *Schroeerus*, g) *Strauchius*, h) *Petavius*, i) *Elingius*, k) *Foxius*, l) *Clauſuiz*, m) aliique, omnem fere *Xenophonti* auctoritatem denegarunt. Vehementer tamen miror, quid ſit, quod & *Io. Alb. Fabricius*, n) vir πολυμαθέστατος, qui ſuum plerumque de Hiſtoricis iudicium interponit, nihil prorſus de fide aſſerat *Cyropædiæ Xenophontiæ*, & *Lucianus*, o) qui fere omnes laceſſit Hiſtoricos, *Xenophontem* δίκαιον συγγραφέα;

a) *Crinitus de Honeſta Diſciplina p. 18.*
b) *Athenaeus Deipnoſ. p. 376.*
c) *Gellius N. A. XIV, 3.*
d) *Voſſius de Hiſtor. Gr. p. 20.*
e) *Rupertus ad Beſoldi Synopſ. Min. p. 65.*
f) *Lipſius ad Politic. I, 9.*
g) *Schrœerus Imper. Bab. l. & Niniv. p. 380.*
h) *Strauchius Breviar. Chronol. p. 767.*
i) *Petavius de D. Temp. X, 9.*
k) *Elingius Hiſtor. Gr. Ling. p. 207.*
l) *Foxius de Hiſtor. Inſtitut. p. 807.*
m) *Clauſuiz de LXX Hebdom. Dan.* in *Supplem. ad Hiſt. Univerſ. Angl. T. II, p. 37.*
n) *Fabricius Biblioth. Gr. III, 4, 71.*
o) *Lucianus de Scribend. Hiſtor. T. I, p. 630.*

γραφέα, i. e. iudice *Fabricio*, p) ἀγαθὸν καὶ ἄξιον appellet, niſi forte vel ſolum ſcripturæ genus, vel eos, quibus expeditionem *Cyri* expoſuit, libros, deſignavit.

VI. Quapropter *Xenophon*, cum, iudice *Cicerone* q), ad effigiem iuſti imperii *Cyropædiam* ſuam ſcripſerit, non ad fidem, ſicut doctisſimi interdum homines habuerunt perſuaſum; efficitur, ut ſine ulla dubitatione ſæpenumero ſit lapſus; multaque omnino literis conſignarit, quæ, ad veritatis obruſſam ſi exigantur acriter, parum profecto reſpondeant veritati. Neque id mirum valde. Dum enim de præclari virtutibus Principis, qui bene olim ac ſapienter velit imperium adminiſtrare, generatim exponit, non tam *Cyri* vitam reſpicit, quam potius, ſicut *Auſonius* r), ſupra commemoratus, confirmat, qualis eſſe debuerit, declarat, ſimul tamen eum, ut magnam ſibi conciliet gratiam, tanquam ſingularis exemplum ſapientiæ proponit, re autem vera animum ad effigiem perfecti principis, omnibusque abſoluti numeris, intendit. Ex quo conſequitur, omnes quidem, quæ modo in bonum cadant principem, enumerare virtutes, omnia vero, quæ contumeliam ei ignominiamque afferant, vitia ſilentio præterire, præſertim cum, ut *Olearius*, s) Polyhiſtor Lipſienſis, meminit, ex ingenio ſuo polita quædam, & nova, &

p) *Fabricius* in *Bibl. Gr.*
q) *Cicero Ep. ad Quinct. Fratr.* I, 8.
r) *Auſonius Burdigal.* in *Panegyriſtis*, a *Frobenio* editis, *p.* 547.
s) *Olearius de Stilo N. T. p.* 158.

& admiranda, depromere valeret. Num enim, omnibus his virtutibus, quas *Cyro* tribuit *Xenophon*, eundem, credis, eluxiſſe, num, eundem ab omnibus, quæ tacet, flagitiis abſtinuiſſe, arbitraris? Commemorat eius ſapientiam ſæpenumero, t) maximisque, ut meretur, laudibus effert. Sed illam, qua fluvio Gyndæ vehementer eſt minatus u), ſtoliditatem omnino tacitus prætermittit. Itaque, ſicut Romanæ Princeps eloquentiæ, ſermonibus literisque iam diu celebratus, *M. Cicero* x), cum præclari ideam oratoris animo informat, talem ſe fingere velle dicit, qualis fortaſſe non fuerit, &, qui neque auribus, neque oculis, neque ullo ſenſu, percipi poſſit, cogitatione tantum & mente comprehendi, ita *Socraticus Xenophon* tam præclaram iuſti, moderati, ac ſapientis, imperii imaginem ſibi propoſuit, non ut *Cyrum*, ſed boni Principis, atque omnibus virtutibus abundantis, exprimat quoddam exemplar. Ex uno enim *Cyro* æque minus omnes potuiſſet colligere virtutes, ac *Zeuxis* ille y) una ex virgine pulchritudinem perfectam, qui, ut eo melius *Helenam* formaret, quinque virgines ſibi propoſuit, iisque unius Deæ imaginem conformavit. Neque enim putavit, omnia, quæ quæreret ad venuſtatem, uno in corpore ſe reperire poſſe, ideo quod nihil ſimplici in genere omnibus ex partibus perfectum natura expolivit. Denique, cum mul-

tos

t) *Xenoph. Lib. I Cyrop. p. 12, 16, toto libro.*
u) *Herodot. I, 189.*
x) *Cicero* in *Oratore Cap. 2.*
y) *Cic. de Invent. II, 1.*

eos in ipſa *Cyri* vita explicanda commiſerit *Xenophon* errores, qui fidem ipſius in ſuſpicionem maximam adducunt, quis nos eidem refragari miretur? Quod ut clarius eluceat, unum afferam exemplum. Commemorat nimirum, z) adoleſcentes annorum decem, more inſtitutoque Perſarum, ex ephebis egredi. Adiicit deinde, a) *Cyrum*, anno ætatis decimo & quinto cum avo *Aſtyage* adhuc vixiſſe, eumque tamen revocatum, usque dum e Media in Perſiam ex ephebis exceſſerit, annum adhuc integrum tranſegiſſe, teſtatur b). Vide, quam præclare rationes *Xenophon* ſubducat. Quodſi ea, quæ ab Hiſtoria *Herodoti* maxime diſcrepant, animo complector, quanta huic *Socratico* tribuenda ſit auctoritas, intelligere poſſum. Utar igitur in præſentia, ne odio quodam ipſius ferri videar, utar *Eduardi Simſonis* c) verbis, quibus ſuum de *Xenophonte* pariter atque *Herodoto* iudicium declarat: *Diſcrepat in multis de induſtria Xenophon ab Herodoto & ceteris Hiſtoricis. Herodotus* d) *Aſtyagem facit ultimum Medorum regem; Xenophon* e) *penultimum. Aſtyagem a Cyro debellatum ſcribit Herodotus* f), *& regno amotum. Xenophon* g) *autem tradit Aſtyagem in regno deceſ-*

z) *Xenoph. Lib. 1 Cyrop. p. 6.*
a) *Xenoph. p. 17.*
b) *Xenoph. p. 21.*
c) *Ed. Simſon Chron. Carhol. III. p. 121.*
d) *Herodot. I, 129.*
e) *Xenophon p. 22.*
f) *Herodot. I, 130.*
g) *Xenoph. l. c.*

deceſſiſſe, regnumque filio Cyaxari reliquiſſe, cum Cyrus adhuc eſſet puerulus. - - - Ne quem turbet hic diſſenſus, meminiſſe oportet, Cyropædiam Xenophontis, non ad fidem Hiſtoriæ, ſed ad effigiem iuſti imperii, atque optimi principis, eſſe conſcriptam; ut recte monuit Cicero. - - Quare, ſi Hiſtoriæ veritatem ſpectemus, Herodoto hac in re potius credendum eſt, quam Xenophonti. Hactenus, *Athenæum* ſecutus, h) *Eduardus*, cuius oratio, etſi fuit prolixa, tamen, cum multum ad rem melius diiudicandam conducat, dedita opera a me fuit adducta.

VII. Magnum quidem, & a doctiſſimis iam pridem hominibus celebratum, i) nomen ſibi peperit *Ioſephus*, id præſtanti ſua doctrina, librisque elegantiſſimis, conſecutus, ut, rerum Iudaicarum memoriam ſi replicare velimus, omnibusque ſuis momentis ponderare, nullius profecto alius, ſive Græci, ſive Romani, quisquis hic cuiasve eſt, ſcriptoris, niſi *Flavii*, inſiſtere veſtigiis debeamus. Sed idem, quo plus in rebus, ad cœtum Iudaicum pertinentibus, eo minus in profanis, fidei meretur, etſi *Cyaxarem*, ſive *Darium* Medum, quem *Aſtyagis* pronuntiat filium, ſummo ſtudio defendat k). Vixit enim *Veſpaſiani* pariter ac *Titi*, celeberrimorum

h) *Athenæus Deipnoſ. p. 576.*
i) *Iuſtin. M. Cohort. ad Græc. p. 14, Euſeb. Demonſtr. Evang. VI, 11, Tzetzes Hiſtor. Var. Chil. V. p. 547.*
k) *Ioſephus A. I. X. ii. 4.*

morum illorum Imperatorum ætate, l) quorum alter, adductis machinis bellicis, Hieroſolyma concuſſit, alter, parente ad reipublicæ gubernacula accedente, in ſe ſuſcepit opus, omnibusque ad bellum perſequendum viribus inſtructus, reginam urbium feliciter tandem fortiterque expugnavit m). Quem quidem annum ſi cum eo, quo *Cyaxares* Babylonem narratur ſubegiſſe, conferas, reperies 630 annorum intervallum n). Ex quo ſatis elucet, *Ioſephum* nimis diu poſt *Cyrum* floruiſſe, minimeque ea, quæ de *Cyaxare* prodiderit, ſuis uſurpaſſe oculis, ſed ea potius vel ex fama accepiſſe, vel ex libris. Quomodocunque tamen ſe res habet, lubrico ſane incertoque nititur fundamento. Ecquis enim eſt, qui neſciat, famam, quo longius procedat, eo plura partim detrahere, imo potius affingere, id quod *Maro*, o) Poetarum princeps Latinorum, de quo nuper noſtrum tulimus iudicium p), confirmat:

l) *Euſebius Can. Chron. p. 206. Gr.*

m) *Ioſeph.* de *B. I. VI, 20, 8, VII, 23, 24 ſeq.* Conf. *Dan. Vilelmi Trilleri*, admirabilis Viri doctrinæ, *Obſervat. ad Grotii Ieſum patientem p. 599 ſeq.*

n) Etenim anno 1456 a nato *Abrahamo Cyrus* Babylonem ſubegit, & anno 2086 Hieroſolyma cepit *Titus*. *Euſeb. Can. Chron.* duobus his numeris evolvatur.

o) *Virgilius A. IV, 174 ſeq.*

p) *Miſcellan. Lipſienſ. Nov. Volum. VII. Part. III pag. 486.*

Fama, malum, quo non aliud velocius ullum
Mobilitate viget, vireſque acquirit eundo,
Parva metu primo, mox ſeſe attollit in auras,
Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit.

Quicum *Livius* q) conſentit. *Fama incerta in maius vero ferri ſolent.* Num igitur *Ioſephum*, rumore ſolo famaque confidentem, eo dignum honore putemus, quem, reiectis tot aliis probatiſſimisque ſcriptoribus, unum omnium maxime audiamus? Neque vero ex literarum monumentis, a vetuſtate acceptis, *Cyaxaris* vitam cognovit. Tantum enim abeſt, ut ullus profanorum veterum ſcriptorum, quos temporis iniquitas nobis longinquitasque reliquit, praeter unicum *Xenophontem*, quem ſine dubio ſecutus eſt auctorem, r) *Cyaxaris* illius fecerit mentionem, ut potius, ſicut ex iis, quae in poſterum dicentur, clariſſime conſtabit, eum omnes cunctis ſuffragiis ex Hiſtoria exterminent, eiiciant, expellant. Quod ſi ex libris Iudaeorum hauſiſſet, his tamen eo magis dubitarem ſuffragari, quanto certius eos ſcio ſummo ſemper profanarum gentium odio flagraſſe, invidiaque adductos, multa iisdem affinxiſſe. At ſacro tamen, inquis, Codici, *Danieli* inprimis, qui multa de *Dario* Medo commemorat, s) acceptum retulit

q) *Livius* XXI. 32.
r) *Petavius de D. T.* X. 8.
s) *Dan.* V, 31, & VI tot.

retulit *Joſephus*. Minime vero. In hunc enim neutiquam ea quadrant, quæ *Dario* Medo a *Daniele* tribuuntur, ut alio a nobis tempore, & magis opportuno, oſtendetur, ipſique diu ſummi homines, *Petavius* t) ac *Scaliger*, u) docuerunt. Ubi vero vates, inſtinctu divino afflatuque perculſus, ubi *Darium* Medum prodidit Babylonem expugnaſſe, ubi cum *Cyro* regnaſſe, cum potius utriusque imperium diſtinguat, x) &, quantum poſſumus conſequi coniectura, ipſum *Darium* Medum *Cyrus*, Babylonis victor, comprehendiſſe videatur y)? Ceterum, quanta *Joſepho*, Antiquitatum Iudaicarum conditori, tribuenda ſit fides, cum *Eduardus Simſon* z) qui multiplicem in iisdem, in hoc etiam, de quo egimus, loco, errorem deprehendit, tum *Ioannes Ludolfus*, a) cui antiquitatum Iudaicarum fabulator ſæpius, quam Hiſtoricus, vocatur, tum *Carolus Daubuz*, b) qui, licet *Joſephi* de *Chriſto* teſtimonium maximopere defendat, ea tamen, quæ in Antiquitatum libris tradiderit, non ſua modo eſſe negat, ſed ex alia etiam lingua exiſtimat converſa, tum *Balduinus* c), cui eiusdem Hiſtoriæ cadaver magis, quam animum, um-

 bram

t) *Petavius* de *D. T.* X. 8. *p.* 92.
u) *Scaliger de Em. Temp. Proleg. p.* 33, & *Fragm.* p. 25.
x) *Dan. VI*, 28.
y) *Beroſus* ap. *Euſeb. Præp. Ev. IX.* 40. *p.* 455, 456.
z) *Simſon Chron. Cath. III. p.* 121, 122.
a) *Ludolfus ad Hiſtor. Aethiop. p.* 250.
b) *Daubuz* in libro, qui inſcribitur: *pro Teſtimonio Joſephi de Jeſu*, *p.* 116.
c) *Balduinus de Hiſtoria p.* 670.

bram potius, quam corpus, exponere videntur, tum *Fabricius*, d) qui eum vehementer inſectatur, tum *Theodoretus* e), qui, quantum hac in re a *Daniele* differat, oſtendit, tum multi præterea & vetuſtiores & recentiores, luculentiſſime confirmant. Nos autem, iacto ſententiæ noſtræ fundamento, animum, *Leopardo* f) monitore, tanquam arcum & in poſterum intendemus, ut, partim *Herodoti*, *Strabonis*, *Diodori Siculi*, aliorumque iudiciis Scriptorum, partim ipſa temporum ratione, adiuti, *Cyaxarem*, ſuppoſitum *Aſtyagis* filium, iam iamque in regali ſolio titubantem, dignitate regia privemus, ſummotumque, ne pluribus fucata ſua maieſtate imponat, e Regum Medicorum numero deleamus.

IV.

IO. IACOBI REISKE CONIECTVRARVM AD HERODOTVM PARS SECVNDA.

Libro III.

Pag. 161 lin. 2 Aut τριήρει leg. id eſt, ἐν τριήρει, μετὰ τριήρεος, ut *p.* 180, 32, ubi vetus & proba lectio πλοίῳ στείλας perperam a *Gronovio* mutata fuit; aut καὶ τριήρη.

Fingo,

d) *Fabricius Bibl. Gr. Lib. IV Cap. 6 p. 254 ſeq.*
e) *Theodoretus in Dan. Cap. V, 31.*
f) *Leopardus Emendat. X, 10.*

Pag. lin. Fingo ego equidem, dictionem τὴν
161 8 ἔλασιν τὴν ἄνυδρον διεκπερᾷν tantundem valere, atque τὴν ἔλασιν ἐκπερᾷν διὰ τῆς ἀνύδρυ, ſcilicet χώρας. *Quomodo expeditionem tranſigeret per regionem aridam.* Διὰ cum accuſativo in verbis compoſitis & decompoſitis paſſim denotat *per*, tranſigere, traducere, *traiicere, per.* Ita apud *Dionyſ. Halicarn. L. IV. Ant. Rom. p. 273, 20,* ed. *Sylburg.* Πᾶσαν ἀκριβῶς διεξήλασε τὴν τυραννικὴν κακίαν, *per omnes omnino tyrannicas nequitias pervaſit.* Si vero ſit, cui hoc videatur coactius, ille debet ἔλασις pro χώρα ἐλάσιμος, δι' ἧς διελαύνεται, accipere.

15 Ἡ ſcribendum absque accentu. Subintelligitur χώρα, aut Ionice χώρη, quod ſi quis addere malit, per me licet. *A Phœnicia inde usque ad terminos Cadytios urbis eſt regio Syrorum.*

44 Σάξαντες ὕδατι, non ἔλξαντες. *Perſæ, quam primum Aegypto potiti fuerunt, eam excogitaverunt & inſtituerunt rationem, facile in Aegyptum perveniendi, teſtas illas vinarias, expromtas, ſeu vacuatas, in Aegypto, mittendo, ſed aquæ plenas, in deſertum, & porro in Syriam.* Dicitur quidem σάττειν frequentisſime de rebus ſiccis, quæ aut in acervum congeruntur, aut in ſarcinam conſtipantur. Attamen etiam

Pag. lin.

161 44 de liquidis, quamvis rarius, dici apparet ex *p.* 298, 18, ubi non tantum *σάττειν σῖτον*, *frumentum coacervare*, *exaggerare*, ſed etiam *ποτά*, *potabilia*, *magno numero comparare*, legitur. Neque enim ibi ab *ἰσάγειν* derivari poteſt, (quod alicui forte videatur,) ut ex appoſita voce *τεῖχος* conſtat. Ipſam noſtram dictionem, *ἀγγεῖον ὕδατι σάττειν*, *vas aqua implere*, velut offercire, ut vacuum nusquam ſit, habet *Lucianus* in Libro *de Dea Syria*.

162 7 Κρανίδα.

18 Ουροταλ ſcribendum, absque ultimo *τ*, quod e ſequentis vocis initio adhæſit; ſi ſcilicet hæc vox ad Hebræam, aut Arabicam, linguam revocari debet. Debere autem, admodum probabile eſt. Eo admiſſo, nihil inde poteſt aliud effici, quam אורוטל, *lux & umbra*; Arabico اوروظل. UtrumqueOrientalibus ſymbolum eſt beneficentiæ; lux, quia illuſtrat, & diſpellit horrificas tenebras, & calefacit quoque; umbra, quia gratum refrigerium in æſtu præbet. Ne quem porro pronuntiatio *Utbal* pro *Vatbal* offendat: (ſolemus enim ו cum Patach, vel Fatah Arabico, ut *Va* efferre, & recte quidem, ſecundum præceptumGrammatices,) notandum, vulgus Arabicum in communi ſermone *wau* vocum initiale ut *U* efferre. Exemplum habemus

apud

Pag. lin. apud *della Valle* in *Itinerario II*, 14,

162 18 ubi narrans, fœminas orientales ſolere acu manus & vultum compungere, & puncturis glaſtum, aliaque colorem atrum efficientia, inſpergere, & ſic manus aliaque pingere, ait, hunc ornatum *Uſcham* appellari. Eſt, quod grammatico modo وشم, *Waſchm*, pronuntiamus.

163 35 Πίλυς καὶ πάρας.

164 18 Jam aliquoties adfuit παρῆσαν pro παρήϊσαν, *accedebant*, vel *præteribant*. Neque improbo. Recte tamen, ſaltem in Grammaticorum gratiam, iota ſubſcribatur quartæ literæ.

171 29 Ἐξαγαγόντα redit ad Σμέρδιν, *exeuntem*, ἐξελαύνοντα. Malim tamen ἐξαγαγὼν, ut ad *Prexaſpen* redeat. Quid ſibi velit *lin.* 30 προσαγαγόντα, non video. Forte πρὸς ἁλιείην ἀγαγόντα, *ad piſcationem*, ut lin. præced. ἐπ' ἄγρην, *ad venationem*.

173 39 Τελέσαι eſt idem, atque ſi dixiſſet ὥστε τελέσαι. Videtur mihi dictio τελέσαι πρὸς τὸν πατέρα idem atque τελέσαι εἰς τὴν τάξιν καὶ τὸ ἀξίωμα τοῦ πατρὸς, *accedere ad gradum, dignitatem, exiſtimationem, quam tenuit pater.*

45 Poſt σεωυτὸν punctum collocandum, & leg. ἀγαθὸν γὰρ πρόνοον εἶναι. *Eſt enim bonum & utile providere.*

175 27 Καὶ Φιλίην. Conf. lin. ult.

176 6 Ἢ reſpicit ad μᾶλλον omiſſum, & ſub-

Pag. lin. intelligendum. Solet enim ellipſin pa-

176 6 ti. Vid. *p. 519, 17. Dionyſ. Halicarn. p. 369, 19,* & *402, 4,* ubi etiam *Sylburg.* hoc ſchema notavit. Eſt tamen hæc noſtra dictio *Herodotea* ſic, ut vulgatur, valde dura, & ſane mallem, aut μᾶλλον inſertum ante ἤ, aut huius loco μὴ legere.

34 Μὲν pro μιν leg. aut ſane μὲν μιν.

178 27 Τȣ͂ θώρηκος μᾶλλον ποιέει. *Ob hæc dignum admiratione thoracem adhuc digniorem eadem facit unusquisque annulus.*

3 Σφι leg. pro οἱ.

179 11 Pro ἐόντες leg. aut πολεμέοντες, aut certe ἔχοντες. Addubito tamen adhuc nonnihil, num ἔχειν τινὶ æque in uſu ſit, atque ἔχειν ἐπί τινι, vel ἐπέχειν, aut ἐνέχειν τινὶ, aut ἔγκοτον ἔχειν τινὶ, *ſimultatem, odium clandeſtinum & iniuriarum memor, animum malevolum, erga aliquem fovere.* Conf. *p. 346, 33,* & *Heſych.* v. Ἐνεῖχον & Ἐνέχει, & ad priorem locum Cl. *Alberti.*

34 Ne quis idem, quod ego aliquando, patiatur, (obhæreſcebam enim ad hunc locum, & offendebam pedem,) monendum, περὶ per tmeſin ab ἐχόμενος ſeparatum eſſe.

pen Poſt ταύτης comma, & poſt κελεύοντος *lin. ſeq.* punctum, collocandum.

180 1 Ἀπελαυνόμενος ὦν ἤιε.

42 Οὔκων) F. ȣ͂ νόον, vel, quod idem eſt, ȣ͂ νῶν.

Pag.	lin.	
		Πλεύσειν) Putem παραδέειν ἔωσιν. *Tune videns tyrannidem ad alios euntem, & domum paternam diſcerptam, æquo animo ferre potius cupis, quam ipſe veniens habere?*
181	1	
182	45	Καὶ ταύτην.
183	13	Rectius omittatur ὄρυγμα cum Codice Medicæo, quem, mirum, cur *Gronovius*, unaque morem ſuum, hic deſeruerit. Eoque omiſſo, deinceps ſcribendum *lin.* 14 τούτου, pro τοῦτο, nempe *montis*, alti tot & tot orgyas.
	17	Διὰ hic notat *præter*, *iuxta*, vernacule *darneben hin*. Et hinc intelligas, quare in antecedentibus ὄρυγμα ἀμφίστομον appellaverit *foſſam gemini oris*, unius alteri proxime appoſiti. Non enim putem, *Herodotum* eo reſpectu foſſam ἀμφίστομον appellaſſe, quod unum os haberet in monte, apud principium ſuum, & alterum in urbe, ubi deſinebat. Id enim per ſe cuivis patet.
184	19	Μεταδιώξαντες eſt idem, quod μεταπεμπομένους, *poſt eum mittentes, qui eum adducerent*, id *arceſſentes*. Διώκειν eſt proprie idem atque διοίγειν, διοιγνύειν, διοχεῖν, *tranſigere, traiicere, transvehere*.
	27	Τοι (pro τι).
185	1	Offendebat me aliquando hic locus, ut conicerem ἀπαίτη, pro ἀπάσῃ, & συμφορῇ pro Scholio haberem, quod librarius

Pag.	lin.	
		librarius intruſerit. *Indignabatur, ſe*
185	1	*falſa interpretatione ſomnii deceptum fuiſſe, ægre ferebant errorem.* Rurſus conjiciebam τῇ ἀκουσίῃ συμφορῇ, *calamitati, cuius ipſe ſibi, ſed inſcius & invitus, auctor fuiſſet.* Sed forte recte habet vulgata, & ſignificat *tota calamitas*, tam illam veterem *Smerdis* fratris cædem, quam recentem *Smerdis* magi rebellionem. Conf. *186, 21.*
	40	Ὑπαραιρημαι
186	16	Μη δ', diviſis vocibus.
	35	Μή μευ.
	41	Mira dictio & improbabilis ἐς τὰ ὀκτὼ ἔτη τῆς πληρώσεως pro ἐς τὴν πλήρωσιν τῶν ὀκτὼ ἐτέων, aut ἐς τὰ ὀκτὼ ἔτη πλήρη.
188	3	Καιρὸς ἐγίνετο.
	ult.	Φθιὰς ἐμή.
189	4	Ratio grammatica requirit ἐξηγέεο pro ἐξηγέο. Quia tamen conſtanter hæc forma imperativa verborum contractorum in εω ſic apud Noſtrum, nempe uno tantum ε, ſcripta reperitur, ut *p. 225, 18,* etiam *p. 490, 41,* λυπέο, & *p. 553, 13,* φοβέο, incipio dubitare, an non ea forma Ionica ſit.
	3	F. διακναιέσθω, vel potius διακνάσθω, id eſt, *confodiatur, lanietur, gladiis,* διαφθειρέσθω. Conf. *p. 191, 15.*
	36	Κάλλιον] Subint. ἢ νῦν.
	38	F. ὅτε γε ἀρχόμεθα νῦν ἐόντες.

Πέρσαι

190 8 Πίςεσι περιλαβόντες καὶ ὁρκίοισι.

24 Τι delendum.

192 31 Ἐμφύεται. Adhæſit ἐν e fine præcedentis vocis. Deinde quoque ἀνθρώπων legendum eſt.

ult. F. τοῦτο (nempe τὸ ὀλιγαρχικὸν, aut τούτου, nempe τοῦ ὀλιγαρχικοῦ,) τὸ ἄριςον. Forte quoque pro ὅσον leg. ὡς σφαλερὸν, vel ὡς οὐκ ἐςὶ τοῦτο τὸ ἄριςον.

194 26 Μηχανὴν ἀνευρόντων.

31 Προδραμὼν, *procurrens ultra ceteros.*

196 26 Ταλάντων, vel ταλάντου.

197 21 Σίτου γὰρ δύο καὶ δέκα μυριάδας.

200 24 Οἱ αὐτοὶ, aut αὐτοῖσι.

201 15 Τῶν θηλέων ἀπειπεῖν καὶ παραλύεσθαι, ἐπελκομένους οὐκ ὁμοῦ.

202 3 ἧ, pro ἡ.

9 Οὕτω δὴ οἱ τὸ π...

203 19 Ἔτι, pro ἐκ, ut *p.* 202 antep.

37 Ἀπὸ κλιναμένης, duabus vocibus. Et ſic putem quoque *p. 280, 1,* refingi oportere.

204 3 Καὶ οὔ γε βαρβ.

4 Οὐ poſt γενομένου delendum.

10 Λέγεται δὲ φυλάσσεσθαι ὑπὸ τῶν γρυπῶν, ὧν ἁρπάζειν; *dicitur tamen* aurum *a gryphibus cuſtodiri, quibus illud ſurripiunt Arimaſpi.*

14 Aut ἃ cum accentu ſcribendum, id eſt *quæ*, aut hoc ipſum ἃ inſerendum eſt,

Pag.	lin.	post ἐσχατιάς.
204	20	Ἐν κράτεϊ ἐόντων. Huius conjecturæ rationem expoſui in Schediaſmate, ante biennium edito, *de Sail al Arem, ſeu diluvio Sabæo & ruptura catarrhactæ Marebenſis.*
205	8	Grammatici iubent ἰέναι ſcribi. Attamen tam frequenter occurrit εἶναι in ſenſu *eundi*, ut dubites, an ea omnia loca ſint a librariis corrupta. Obſervavit etiam *Sylburg*. ad *Dionyſ. Halicarn.* in notis aliquoties.
	pen	Poſt ἔλεγξαι, aut ἐξέλεγξαι, (nam perinde eſt) figendum punctum, quod poſt ταῦτα delendum. Conſtructio enim eſt ἔδοξέ τε δὴ Δαρείῳ ἡ γυνὴ ταῦτα εὖ εἰπεῖν.
206	25	Διὰ τίνα tantillo rectius ſcribitur, quam eſt in *Gronoviano. Propter quem*, non interrogative, ſed relative, δι' ὅν.
	31	Αὐτὸς proprie non habet infinitivum, a quo negatur; niſi huc trahere velis μεταστραφῆναι, & hiat oratio. Eſt inſigne, ſive hyperbaton, ſive anacoluthon, appelles.
207	1	Poſt μοῦνος videtur ἐγνώσθη, aut ſimile quid, excidiſſe.
208	5	Ἀπηγήσιος videtur eum ſenſum habere, *longe aliter, quam decebat tam potentem tyrannum, qualem hactenus deſcripſimus.* Aliquando coniiciebam ἀπίξιος, *longe aliter, quam advenerat.*

Sed

Pag. lin. Sed nunc non probo,

208 20 Ὠφέλει.

25 In κατὰ repetendum a communi ἔκτεινε. Mira hæc & rara dicendi ratio, & forte uni *Herodoto* propria. Similia exempla proſtant *p. 315*, 4, *487*, 8, *510*, *39*, & alibi.

209 39 Νομίζων *in uſu habens* notat, vel, *cum conſueviſſet*, *& hanc ſibi quaſi legem fixiſſet*, *ut Aegyptiis Medicis uteretur*.

210 24 Adiuvandus eſt hic locus commoda interpunctione; cuius neglectus, ut aliis permultis, ita huic quoque loco tenebras offudit, quamvis perſpicuo & eleganti; ſi quis alius in toto *Herodoto* maxime. Rem pingit, non eloquitur; tanquam coram cerneres: Ὑποτύπτουσα δὲ αὐτέων ἑκάστη φιάλῃ τοῦ χρυσοῦ συνθήκη, ἐδωρέετο τὸν Δημοκήδεα οὕτω δή τι δαψιλέϊ δωρεῇ &c. *Earum* (*Darii* fœminarum aulicarum) *unaquæque ſubmittens phialam*, vel *pateram*, *acervo auri*; *donabat Demokedem dono tam lauto & opiparo*, *ut* &c. Accipiebat igitur hic Medicus ab earum ſingulis ſingulas pateras aureas, aureis nummis plenas: Ὑποτύπτειν φιάλῃ (id eſt, μετὰ φιάλης,) χρυσοῦ συνθήκῃ eſt, quod vernacule diceremus, *mit der Schüſſel unter den Hauſſen Goldt fahren*. Dicitur ὑποτύπτειν de iis, qui inſtrumen-

tâ

Pag. lin. ta, vel res quaſcunque planas & latas, ſub

210 24 aliam aliquam rem mollem & cedentem ſubiiciunt; ut cæmentatores macellam (*Kelle* vocamus) in calcem ſubactam, ut anſeres & anates apud *Ariſtophanem* in *Avibus* pedes ſuos in lutum immittunt. Conf. ad eum locum obſervatio Celeb. *Hemſterhuiſii, v. 1145.*

31 Mireris, quare *Gronovius* morem ſuum deſeruerit, locumque reliquerit illi vitioſo & ſenſum turbanti ὅς, quod neque divinus Codex, neque *Valla*, agnoſcunt.

212 24 Εὗ cum ſpiritu aſpero exarandum pro ἑ͂, *ſui ipſius.*

25 Παντ᾽ ὦν (id eſt, πάντα οὖν,) ſcribendum, & comma delendum. Solet *Herodotus* ſuum ὦν eleganter intercalare, neque hic loci momento caret, aut inutile eſt. Idem eſt, ac ſi dixiſſet οὐκ ἐπέδραμε, καὶ διὰ τοῦτο οὐκ ἐδέξατο πάντα τὰ διδόμενα, *non involabat avidus & præceps in oblata bona, & propterea* (quia non erat avidus) *non acceptabat omnia oblata,* vel *dari promiſſa.* Id enim notat διδόμενα.

30 Ταυτά, *eadem*, ſubintell. τοῖς ἄλλοις, *quæ ceteris, Perſis, itineris comitibus, iniunxerat, etiam Demokedi iniungens.*

213 9 Aut ante, aut poſt, ἀπέλησθε deeſt τοῦτον.

pen Aliquando conjiciebam στρατευομένου,

Cambyſe

Pag.	lin.	
		Cambyſe bellum gerente. Rectius tamen, quod interpres videtur aut in ſuo Codice inveniſſe, aut ſaltem conieciſſe, *οἱ δὲ ϛρατευόμενοι.* Certe reddidit *partim negotiandi, partim militandi gratia.* Si tamen bene habeat vulgata lectio, erunt *οἱ κατ' ἐμπορίην ϛρατευόμενοι*, id eſt, *militantes cum*, vel *in, mercatura*, lixæ, mercatores caſtrenſes.
215	ant.	F. *τίς σφι.*
217	35	Ἐξελόντες] f. *ἐξέλοντες.* Conf. ſuperius ad *Lib. I p. 13, 14*, dicta.
218	31	Ἄλλῳ μὲν ὦν οὐκ - -
	32	Ὑποχειρίην.
	34	Ἐνταῦθα δ' ἐν ἐλ - -
219	20	Χαλκιδέων ſuſpectum. Nulla Chalcis, nulli Chalcidenſes, in Aſſyria & Babylonia. Rectius videtur, quod *Valla* legit, Χαλδαίων. Forte Chaldæi vicum Babylonis peculiarem incolebant.
	36	Τὴν ἑτέρην πύλην, *unam e duabus valvis, quibus portæ ſingulæ conſtant.* Conf. ad *I, 187, p. 75*, dicta.
220	2	Μάϛιξι] f. *σμώδιξι*, *vibicibus.*
	19	Forte *συγκειμένας*, *condictos dies*, ut paulo ante. Illud alterum eſſet *interiectos dies.* At pro eo potius *τὰς μεταξὺ* dixiſſet. Niſi quis *ἐγκειμένας* ita malit interpretari, *κειμένας ἐν αὐτοῖς*, *in ipſorum* (*Darii & Zopyri*) *conſcientia conditos*, ut *συγκείμεναι ἡμέραι* ſunt *κείμεναι σὺν αὐτοῖς*, *compoſiti cum ipſis*,

Pag. | lin. | nempe cum partibus contrahentibus, inter ſe paciſcentibus. Vereor tamen, ne illa interpretatio longius videatur arceſſita. Noto adhuc occaſione nominis *Zopyri*, Arabicum illud eſſe, non Perſicum, ut patet e Scriptoribus Hiſtoriæ Byzantinæ, res Arabum naſcentes deſcribentibus, e. c. *Theophane p. 300.*

220 | 43 | Coniiciebam aliquando ἐπιγένηται, *deinceps tempore procedente accreſceret.* Et ſane verbum hoc in ea re uſitatum & proprium eſt. Forte tamen ὑπὲ in ea compoſitione τὸ λαθραῖον καὶ ἥσυχον notat, *ſenſim & ſenſim ſuccreſceret.*

Libro IV.

222 | 11 | Verba Κιμμερίους - τὴν Ἀσίην ſunt ſigno parentheſeos includenda. Sequens enim καταπαύσαντες non poteſt cum ἐσέβαλον iungi, ſed redit ad ἦρχον. Non admodum laudabilis ea ſtructura eſt. Melius ſic dixiſſet: τῆς γὰρ ἄνω Ἀσίης ἦρξαν - - Σκύθαι. Κιμμερίους γὰρ ἐπιδιώκοντες ἐσέβαλον ἐς τὴν Ἀσίην. ἦρξαν δὲ ἔτεα δυῶν δέοντα τριήκοντα καταπαύσαντες τῆς ἀρχῆς Μήδους.

223 | 4 | Non difficulter patior mihi perſuaderi, ut credam *Gronovio*, περιστίξαντες *Herodoteum* eſſe, & notare στιχηδὸν

κύκλῳ

Pag. lin.

223 4 κύκλῳ περιστήσαντες, *in una continua orbiculari ſerie circum collocantes.* Sed & κατὰ debet in περὶ mutari. Recurrit ea dictio *p. 286, 8*, ſed ita comparata, ut *Herodotus*, ſi eam hic quoque loci voluiſſet exprimere, debuiſſet περιστίξαντες τὰ ἀγγεῖα τοῖς τύφλοις dicere.

16 Aut ἀντικατιέμενοι, *ſeſe contra obiicientes*, aut ἀντικατέμενοι, *e regione ipſorum conſidentes in caſtris.*

36 Offendebat me aliquando hic locus, ut crederem, ἀνάγκη, aut χρὴ, aut νομίζειν, ante νεώτατον excidiſſe. Sed uſu deinceps didici, *Herodoto* in more eſſe, ut poſt ὡς λέγουσι non indicativum modum ἐστὶ, vel εἰσί, ſed infinitivum εἶναι, ponat. Vid. *p. 252, 21, 301, 34, 376, 46.*

224 13 Σκότους.

30 Λέγουσι] f. τελούσης, aut ἐχούσης, *tendentis.*

40 Κατοικημένον] f. κεκλημένον.

46 Verba turbata hunc in ordinem debent redigi: - καλεομένην. ἐπειρυσάμενον δὲ· τὴν λεοντῆν (καταλαβεῖν γὰρ αὐτὸν χειμῶνά τε καὶ κρυμὸν) κατυπνῶσαι.

7 Ἐντέλλομαι. Edita lectio videtur vitio typographorum irrepſiſſe.

ult. Videtur *Herodotus* ſcripſiſſe τὸν δὴ μοῦνον μὴ ἀναστῆσαι τὴν μητέρα Σκύθην.

Pag. lin. *Solum ergo Scytham a matre patrio ſolo eiectum non fuiſſe.*

226 14 Πολλοῦ] Videtur πόνου, aut πολέμου, ſcribi oportere. ΠΟΛΛΟΥ & ΠΟΝΟΥ non multum differunt ratione ſcribendi & pronuntiandi. Πολλοὺς quoque & πολέμους confundi, exemplis nuper docuit Cel. *Reimarus* ad *Dionem Casſium*. Deinde quoque δεομένων ſcribendum, quod in vulgari lectione δεόμενον latet. *Non autem pro laborem* (aut *bellum*) *poſcentibus periclitari*, id eſt, pericula ſubire regionis, agrorum, paſcuorum, tuguriorum, gratia, quæ ſi conſervare velis, opus habeas multum laborem impendere, aut arma corripere.

23 Καταλαμβάνειν leg. Dicunt Græci τοῦτο τὸ κακὸν, aut ἀγαθὸν, ἐπίδοξόν ἐστι (hoc enim verbum in præſente *Herodoti* loco ſubintelligi debet,) καταλαμβάνειν. *Hoc bonum malumve eſt in exſpectatione*, vel *opinione*, *deprehendere aliquem*, vel *ſupervenire alicui;* id eſt, probabili ratione ſperandum metuendumve eſt, ipſi hoc malum bonumve obventurum. Conf. *335, 40.*

227 32 Ὡς ἔχω συμβαλλόμενος, *quantum coniectura poſſum aſſequi.* Converſo quoque modo dicunt Græci ὡς ἔχων συμβάλλομαι, & ſimpliciter ὡς συμβάλλομαι.

Delen-

Pag.	lin.	
228	4	Delendum ὡς ut vitioſa repetitio proxime præcedentis ſyllabæ.
	5	F. Πυθέσθαι οὐδέν. Καὶ γὰρ οὐδὲ Ἀριστέης &c.
229	31	Diſtinctione iuvandus hic locus, puncto poſt εἵνεκα deleto. Nam ἕτοιμος redit ad ἵππος. Paratus eſt illis equus, ait, doctus ſuper ventre cubare, pronus, quo ſit humilis inſeſſuro, eoque facilior & expeditior inſeſſus. Non habebant illi ſtapedes, recentiorum inventum.
230	1	Male me habet hic locus, σακκέουσι ἱματίοισι. Vertunt, *excolant id veſtibus*. Atqui debuerat *Herodotus* modum indicare, quo Scythæ fructum hunc aptum eliquationi fecerint. Non enim ſponte ſuccus eius effluit, ſed fructu demum conculcato, contuſove, aut vulnerato. Cogitabam igitur aliquando ἑλκέουσι μαχαιρίοισι; *vulnerant cultellis*. Alio tempore σώχουσι χερμαδίοισι, *conterunt lapidibus pugillaribus*. Conf. *p. 245, 37*. Sed amplio adhuc. Suffecerit, alios monuiſſe, & ad ulterius cogitandum invitaſſe. Si proba ſit vulgata lectio, notetque id, quod interpretes volunt, (& ſane poteſt σακκέουσι ἱματίοισι pro ἐν ἱματίοισι, *percolant eum per pannos*, accipi,) neceſſe eſt, aliquid hic excidiſſe, ut ἑψήσαντες, aut συντρίψαντες, vel ſimile quid, *coctione*

Pag. lin. *trituve præparatum percolant per pannos.*

231 19 Diſtingu. χειμῶσι ἐν τῷ, τὴν μὲν &c. *Differt ipſorum hyems ab hyeme ceterarum gentium in hoc. Eo tempore, quo debebat per rerum naturam pluere, non pluit, quod in cenſum veniat.*

233 7 Aut excidit τῶν, *quorum*, ante αἱ μὲν, aut potius *lin. 8* τιθεῖσαι leg.

19 Num ὠκυτοκίου, *pro monſtrato medicamento partum accelerante.*

23 Ἀγείρειν eſt *confluere, & ſolennes proceſſiones in honorem alicuius Numinis Sanctive per plateas cum cantu aliisque ritibus religioſis inſtituere*; quemadmodum, ut exemplo vulgari utar, ſcholaſtici memoriam S. *Gregorii* & S. *Martini* celebrant quotannis. Dictum ſic a *colligendo*, *cogendo*: quia talium proceſſionum principalis finis erat, in tranſitu pro Numine, aut Sancto, ſuo ſtipem emendicari. Patet inde, quare agyrtæ ſic appellati fuerint. Conf. *Sylburg.* ad *Dionyſ. Halicarn.* *p. 91, 3.* Paſſim hic Auctor utitur phraſi ἀγείρειν ϛρατὸν ἐκ τῶν πόλεων, *oppidatim cogere milites.* Vid. *p. 288, 36, & 723, 11.* Ad hunc modum eſſet integra dictio ἀγείρειν κέρματα, *ſtipem oſtiatim cogere.* Tota dein actio ab hac præcipua, cuius cauſa cetera peraguntur, dicta fuit ἀγείρειν & ἀγυρμὸς, *collectare, coemendicatio.*

Diſt.

Pag.	lin.	
		Diſt. τῷ βωμῷ τὴν σποδὸν, ταύτην &c.
233	30	F. λέγοντα ſcrib. pro λέγων. *Fabel-*
	36	*lam, quæ perbibet.*
235	15	Ἐπεὶ] f. ὅτι.
	ant	Γε leg. pro τε.
236	19	Οὕτως.
	20	F. τὰ γε ἄλλα ἀνεύρηται ἡ θάλασσα ὅμοια περιεχομένη τῇ Λιβύῃ. *Ita quoque. Aſiæ ſi partes orientales exceperis, ceteras profecto ambire deprehenſum eſt mare, pariter atque Libyam ambit.*
237	35	Μὲν οἱ] leg. μεγάλοι. *magni fluvii.*
239	1	F. ὥστε αὐτὴ μεγάθεϊ.
	9	Τε poſt ἐστὶ delendum.
240	17	Miror, quaré *Gronovius* lectionem editionis *Galei* ἐπιχολωτάτη non annotaverit, ad quam vocem ille notat: *Videtur Valla aliud legiſſe, quam ἐπιχολωτάτη. Vertit enim* aridiſſimum. Non multum abſum ab eo, ut credam, hanc lectionem veram & genuinam eſſe; idque ob hanc rationem. Ait *Herodotus, in diſſectis eorum animalibus apparere, talem herbam eſſe* ἐπιχυλωτάτην, aut ἐπιχολωτάτην. Tantiſper enim controverſa eſt lectio. Herba iam, quæ multum generoſi ſucci gignit, ſe in vivis animalibus ſatis prodit, ut opus non ſit, mortem & diſſectionem eorum exſpectare. Cutis enim talium nitet & differta eſt. At, ſi quæ herba multum

Pag. lin.

240 17 bilis creat, nequit hoc, niſi aperto abdomine, & extracta fellea cyſtide, intelligi. Non enim, ſi quod animal grandem follem bilis habet, inde conſequitur, illud quoque iracundum eſſe atque ſævum. Et quis dicat, ibi nata animalia ferocia & iracunda non fuiſſe? Plantæ autem acres, amaræ, alcaleſcentes, & oleoſæ, bilem gignunt. Et conſtát, in Ponto abſinthium frequentiſſimum & optimum olim proveniſſe.

34 Πέρὶ] f. παρὰ, *per omnia templa*, locave alia templis ſimilia. Aut & *per omnia ſacrificia*, celebrationes rituum ſacrorum. Conf. *241,33*.

40 Βρόχῳ περὶ ὧν ἔβαλε. Elegans tmeſis verbi περιέβαλε per interiectum, *Herodoto* adamatum, ὧν. Eundem quoque tmeſin in deliciis habere, nemo ignorat, qui paululum ipſi conſueverit. Eſt quoque elegans hypallage περιβάλλειν βρόχῳ τὸν αὐχένα, *circumiicere cervicem funis orbiculo*, pro περιβάλλειν βρόχον τῷ αὐχένι, *cervici orbiculum reſtis circumiicere.*

241 3 Γαστέρας] Quæ hic Noſter de Scythis narrat, eadem de Arabibus Beduinis narrat *al Meidanius*. Ambo ſunt nomades, & mores ambobus multum ſunt ſimiles.

10 Diſtinguo & lego ſic: θύουσι δὲ καὶ τάλλα, πρόβατα δὲ καὶ ἵππους &c.

Diſtin-

Pag. lin. Diſtinguo ſic: - - ὧδε. Κατὰ νόμους ἑκάστοισι - - *Secundum nomos*, id eſt *provincias*, *diſtrictus*, *civitates*, *pagos*. Conf. *142, 30*. Eorum multa, quæ Scythis in uſu eſſe, hic perhibet *Herodotus*, etiamnum hodie apud Tataros obtinere intelligatur ex *Oleario* aliisque, qui Tatariam peragrarunt.

241 13

14 Mireris hanc ligni profuſionem & intemperantiam in regione, quam Noſter paulo ante tam eius inopem dixerat, ut ad victimas coquendas non ſufficeret, ſed oſſa victimarum igni pabulum ſubſterni deberent. At magis adhuc mireris cumulum ſarmentorum aliquanto minus, quam tria ſtadia, altum. Supra habebamus pyramidem ſtadiis menſuratam. Adeone etiam aerem & in aerem edita ſtadiis metiebantur Græci, ut plana, quæ pedibus calcabant? Hodie ſane ſolemus turrium proceritates ulnis & orgyis, & decempedis, non miliaribus, metiri. Horrificus acervus ſarmentorum, tria ſtadia, ſeu octodecim pedum millia, altus! Id ſi re vera ſcripſit *Herodotus*, per me quidem licebit eum patrem patratum Gaſconum deinceps appellare.

25 Θεοῖσι] leg. *θύεσι*. Eſt autem θύος omne, quod offertur Deo, ſeu victima, ſeu fructuum primitiæ, ſeu mazæ, vel polenta, ſeu ſuffitus. Hic loci eſt θύε-

Pag.	lin.	
		σι idem atque ἱερείοις, aut ſecundum *Herodotum* ἱερηίοισι, *victimis.*
241	ult.	Dubio vacat, ἐκσείει probam lectionem eſſe, quam *Gronovius* in notis ait in margine Medicæi Codicis inveniſſe. Maculam eandem eius filius, *Abrahamus Gronovius*, Vir Clariſſimus, *Æliano*, Animalium enarratori, loco aliquo e Codice quoque Medicæo eluit. Præterea pro κεφαλῆς putem κορυφῆς legi oportere. Quid deinceps ſit σαρκίσαι, fateor, me ignorare. Quod donec edoctus fuero, proponam, quod mihi videtur, legendum ſcilicet eſſe μετὰ δὲ, ῥαπίσας βοὸς πλευρῇ, *deinde vero percutit & tundit identidem coſta b villa corium, & depſit porro manibus, eaque ratione* ἐργάσας (ita leg.) *ut emollivit frequenti attritu & ſubactu, habet deinceps loco mappæ manibus detergendis.*
242	22	Ποιεῖ δὲ — ἣν οἱ διάφοροι.
	29	Coniiciebam aliquando οἱ δὲ συγχαίρουσι ταύτην τὴν ἀνδραγαθίην βλέποντες. *Illi autem de gaudio eius participant, & congratulantur ipſi, tanta videntes fortitudinis documenta.*
243	17	Καταφήσωσι.
244	34	Ἥμισυ poſt δύο delendum.
	36	Diſtinguo ſic: ἕτερα δύο, καταπήξαντες τρόπῳ τοιούτῳ πολλὰ ταῦτα, ἔπειτα τῶν ἵππων κατὰ μήκεα (non una,

Pag. lin. una, ſed duabus vocibus). Conf. *Ioſaphati Barbari Itinerar. alla Tana p. 21, 6, fine*, edit. *Aldinæ*. Spectaculis, qualia *Herodotus* hic loci Scythica narrat, ſimilia vident, quotquot curioſi noſtratium peregrinatores Theatrum Anatomicum Leidenſe inſpiciunt, aut ſaltem figuram eius, ænea tabula expreſſam, in *Orleri Beſchryvinge der Stadt Leyden p. 147.*

245 3 Κύκλῳ περὶ τὸ σῆμα.

23 Μὲν quid ſibi velit, non exputo. Conieci aliquando σκεύη, item ἱμάντας.

31 Θυμιῆται. Quod editum eſt, id errori typographorum imputo.

34 Τῇ πυρίῃ πυριῶνται, *balneo vaporis ſeſe balneant, iſta balneo vehementer delectati.*

pen Aut ἀπολεξάμενος ſcrib. aut κατ' αὐτὸν, id eſt, καθ' ἑαυτὸν, ἐν ἑαυτῷ, ἀφ' ἑαυτοῦ. Mallem tamen ἀπολεξάμενος καθ' ἑκάστην, *in unaquaque addiſcens ſapientiam*, & *ſibi* velut apicula mel e floribus *delibans atque deligens.*

246 1 Πλέων δὴ δι' Ἑλ.

44 Αὐλὴ, *ipſa*, non αὔλη.

247 21 Βορυσθενειτέων, ſcilicet ἄστει.

37 Aut διεδρήστευσε leg. aut διεπρήκτευσε, eodem ſenſu. *Velut* δρηστὴρ & πρηκτὴρ, *famulus* & *agens*, διάγγελος, *ad illos tranſcurrens renuntiavit.* Δρᾶν & πράσσειν idem eſt. Hinc quoque δρηστὴρ,

Pag. lin. στὴρ, vel δρηστὴς, & πρηκτὴρ, atque πρηκτὴς, idem, *agens*, qui mandata ſibi ab aliquo negotia peragit. Hinc δρηστεῖν, δρηστεύειν, & πρηκτεῖν, πρηκτεύειν.

248 34 Μέγα μεγάθεϊ.

250 35 Παισὶ ſuſpectum eſt ob ſequens ἀπ' ὧν ἀπαρχήν. Non neſcio, pueros ſeu mancipia, robuſta, & venuſta, conſueviſſe olim a viris Orientis principibus donari, ſi quem honorare, aut compenſare ipſius merita, vellent. Et is hodiernum quoque ibi terrarum mos eſt. At, quomodo quis delectas e pueris primitias Deo conſecret, non video, niſi unum eorum alterumve Deo donet. *Herodotus* autem negat, *Mandrockem* id feciſſe; curaſſe potius, ut pro primitiis, ab iis deſumtis, pictura ſibi fieret, quam dedicaverit. Poteſt quis picturam conducere pro ἀπαρχῇ pecuniæ, non pro ἀπαρχῇ παίδων. Quid ſi ergo Noſter non παισὶ, ſed ταλάντοισι, ſcripſerit? Regium munus decem talenta, neque inferius pretio decem puerorum.

251 35 Ταῦτα δὴ.

254 1 F. ἀνυμένου, aut ἀνομένου. *Ibi vero, ubi ſinus* (introrſum - receſſus) *ille terræ iſtius deſinit*. Conf. *p. 390, 17*.

255 1 Aut ſervanda vulgaris lectio, ἰθυμαχίη, idque potius, aut ἰθυμαχῇ in accuſativo, legendum. Sed rarior ea forma in derivatis, a μάχη. Solent enim potius

Pag.	lin.	
		in μαχος deſiniere, ut σύμμαχος, πρόμαχος, ἄμαχος, &c.
256	3	Poſt μοῦνοι τούτων videtur οἱ ἀγριώτατοι excidiſſe. Certe deeſt aliquid, aut latet vitium in ἀνδροφαγέουσι. Num ὑδροφαγέουσι, *vorant hydros*, aut ἐνυδριοφαγέουσι, *vorant lutros*, (*Fiſchottern*,) aut λυκοφαγέουσι, aut aliud quid?
256	45	Τῆς γῆς videtur vitioſum eſſe. Quid, ſi μοίρῃ una voce pro illis duabus ſcriberetur?
259	40	Diſtinguo & lego locum hunc ſic: ἦν μέν τοι ἐπίῃ καὶ ἐπὶ τὴν ἡμετέρην, ἄρξῃ τε ἀδικέων, καὶ ἡμεῖς οὐ περιεισόμεθα. *Si vero invadat etiam noſtram terram*, & incipiat iniuſtum ſe monſtrare prior, *tunc & nos non inſuper id habebimus*, neque animo feremus æquo. Et tunc poteſt ἀδικέων vel nominativus participii, vel genitivus pluralis nominis adiectivi, eſſe, ſubintellecto χειρῶν. Poſſunt quoque poſtrema ſic conſtitui: ἄρξῃ τε ἀδικέων καὶ ἡμέας, ἡμεῖς οὐ περιεισόμεθα.
260	4	Καὶ τούτους μέν.
	10	Βασιληίων] f. μοιρέων.
	14	Ἀπιόντος.
	21	Ἦ δή.
	33	Προέχοντες. Nam Scythæ pro *Dario* unius diei iter præhabebant, προεῖχον. Aberant ab eo diætam, & ſemper poterant ab ipſo tantundem abeſſe, ſi ambo

bo

Pag.	lin.	
		bo exercitus, Perſicus & Scythicus, eadem ſemper ratione promoverent. At Perſæ, aggreſſores, unius itinere diei minus habebant, μεῖον εἶχον. Ut Scythæ ἐπλεονέκτευν, ſic ipſi ἐμειονέκτευν.
262	42	Poſt ἢ τῶν Σκυθέων deeſt τὴν τῶν Περσέων. Opponat quis, hanc ellipſin, etiam ſi verbis non exprimatur, ſatis e ſequentibus intelligi. Verum nihil eum dicere arguit præcedens ἵππος τὴν ἵππον. Cuius oppoſitum & quaſi ἐπεξήγησις in vulgatis altero membro claudicat.
264	44	Δηλαδὴ, ἢ αὐτὸς.
266	35	Λελυμένη τῇ γεφύρῃ.
	46	Videtur poſt ἐόντας, aut Ἴωνας, nominativus pluralis participii alicuius præſentis, ut νομίζοντες, λογιζόμενοι, θέντες, &c. deeſſe, *utpote conſiderantes Ionas tanquam liberos*. Hoc patet e ſequentibus, ὡς δούλων Ἰώνων τὸν λόγον ποιεύμενοι.
267	27	Δὲ leg. pro δὴ, & viciſſim δὴ pro δὲ *lin. 34.*
	31	Ἐκ delendum.
268	ant	Ἐπὶ τούτους. Forte quoque ἐστέλλετο, *ſe ipſum comparabat itineri*. Si retineatur ἔστελλε, conſtruendum erit cum λαὸν, & ἔστελλε λαὸν ἔχων erit idem atque ἔστελλε λαὸν ὃν εἶχε.
269	23	Mira dictio. Debebat proprie dixiſſe οἱ δὲ ἄνδρες (οὐ γὰρ ὑπέμεινε σφι τὰ τέκνα)

Pag. lin. τέκνα). Ergo aut, ſublatis ſignis parentheſios, iungenda ſunt omnia, & unó tantum commate, poſt τέκνα poſito, coercenda; aut ἱδρύσαντο debet de Lacedæmoniis in univerſum omnibus accipi, *exſtruebant Lacedæmonii ipſis templum*; vel (ita enim quoque poteſt ἱδρύσαντο reddi) *dabant ipſis veniam exſtruendi*. Sed prius rectius, nempe ſigna parentheſeos tolli debere. Habetur ſimilis locus *p. 285, 12.*

269 25 F. ſic ſcripſit *Herodotus*: καὶ μετὰ τοῦτο ὑπέμεινε, Τωὐτὸ τοῦτο καὶ ἐν τῇ Θήρῃ συνέβη τοῖσι &c. *Et poſt id fatum manebant ipſis liberi in vivis. Id ipſum quoque contigit horum poſteris in Thera.*

270 1 F. οὐκ ἀποικίην. *Obiectabat, exprobrabat ipſis Pythia, quod coloniam in Libyam non deduxiſſent.*

272 3 Μεταξὺ ἀπολιπὼν quid ſibi velit, non ſatis aſſequor. Si recte habet, non poteſt aliud, quam hoc, notare: *interea, dum Pythia carmen ſuum adhuc recitabat, relinquens illam* &c. Vix tamen putem, *Herodotum* hoc voluiſſe; &, ſi vel maxime voluiſſet, debuiſſet ſaltem μεταξὺ θεσπιζούσαν ἀπολιπὼν dixiſſe. Quid, ſi μεταξὺ ἀλύων, *abibat verſus Theram, per viam huc illuc evagans*. Sive de corpore, ſive de animo, accipias, perinde erit; aut circuma-

Pag. lin. cumactus huc illuc pedibus; neſcius, quo erat, & quorſum velit; aut animi æſtu jactatus præ conſilii inopia.

272 6 Ἀγνοεῖν τὰς συμφορὰς num ſignificare queat *ignorare originem calamitatum*, quod dedit interpres, & ſententia videtur flagitare, viderint alii. Ego equidem non puto. Forte ἀγνοεῦντες ἐς τὰς συμφορὰς, *inopes conſilii ad hæc mala, in his malis.*

41 Delendum punctum poſt χώρων. Iungendum enim τὸν κάλλιστον non cum præcedente πρὸς ἑσπέρην, ſed cum ſequente ἵνα μὴ ἴδοιεν, *ne viderent pulcherrimam, ſi usquam ulla alia, regionem, tranſeundo.*

26 Ἄστυ omnino rectum eſt, neque debebat ſollicitari. Libya enim non tantum regionis erat, ſed & urbis capitalis, Cyrenarum, nomen, ut ex *p. 273, 9*, patet.

ult. Ζώης] Unde hoc nomen? cuius in præcedentibus nulla facta eſt mentio.

273 11 Videtur interpres non πόκα, ſed πρόκα, *protinus*, legiſſe. Haud ſane male.

26 F. μετὰ ταῦτα.

274 26 Παρὰ τοῦτον.

276 17 Πρόσχημά τοῦ στόλου.

280 1 Ἀπὸ κλινομένης, diviſis vocibus.

3 Ἰὸν redit ad γίνεται, *fit iens*, id eſt, *it magis & magis in calorem*, ὅσον ἐς μέσας νύκτας πελάζει, *quo magis &*

magis

Pag. lin. *magis ad mediam noctem appropinquat.* Ita legendum puto, & punctum poſt χλιαρὸν commate muto.

81. 33 Τετραέτεα.

283 2 Aut κατάψευστα leg. id eſt, *animalia, de* quibus mendacia iactantur, vel εὐκατάψευστα, ut eleganter emendat Cel. *Dorville* ad *Chariton. p.242*, id eſt, *de quibus facile quis mendacia comminiſcatur*, abſque ut poſſit ob locorum diſtantiam aperti mendacii argui.

6 Ὄρυγες. Res nota de Oryge. Vid. ad *Aelian. Hiſt. Animal.* Neque dubito, hanc emendationem a *Bochart*o aliisque, quibus animalium hiſtoria curæ fuit, occupatam eſſe. Sed velim ſcire, quid e ſequentibus efficiendum ſit, τῶν τὰ κέρατα. Si notare debent id, quod in Latina interpretatione eſt, probabiliter non a *Valla*, ſed a *Gronovio*, profectum, ſaltim deberet τοὺς πήχεας eſſe. Neque video, quare dicenda ſint iſta cornua magis *ad normas fidium in cithara*, quam ad ulnas menſorias inde parandas, fuiſſe adhibita. Et præterea quid faciunt huc Phœnices? ubi potius Libyum nomen exſpectaſſes. Verbo, locum hunc valde corruptum eſſe, mea quidem eſt opinio. Forte dixit aliquid *Herodotus* de *cornulus triulnaribus* τριπήχεα (pro οἱ πήχεες). Quid, ſi ſcripſerit τῶν τὰ κέρατα τοῖσι με-

Pag. lin. γίϛοισι τριπήχεα φύοντα?

28 25 Αἱ γυναῖκες] Eſt aliquid ſimile in hiſtoria recentiore Mororum Almaravethorum.

39 Εἴη δ' ἂν πᾶν. Sed ratiocinium *Herodoti* videtur mihi claudicare. Nam ex eo, quod alicubi terrarum e lacu pix extrahitur, non conſequitur, alio in loco e lacu auri ramenta extrahi.

284 38 Aut ποτεῦσα (id eſt, ποτοῦσα.) aut πιεῦσα, (id eſt, πιοῦσα,) legendum, eodem ſenſu.

39 Ἐκφορέων leg. Eſt genit. plural. a ſingul. ἐκφορὰ, vel Ionice ἐκφορὴ: *proventuum, fertilitatis, quam terra monſtrat in producendis fructibus.*

285 12 Delenda ſigna parentheſeos. Cohæret enim τᾶν cum πλῆθος. Conf. *p. 269*, 23, ubi ſimilis locus.

286 15 Ἀποσιεύμενοι, ut *p. 271*, 22.

38 Ἐποίησαν vitioſum eſſe, liquet. Quæ enim & qualis dictio ποιεῖν τινα ἀνάστατον παρά τινα, pro *mittere aliquem, e patrio ſolo exactum, ad alterum aliquem.* Forte igitur ἔπεμψαν, aut ἐπόρισαν, vel ἐπόρευσαν, ſcribendum.

42 Οὐ μὴν οὐδέ.

V.

CHRISTOPH. AVG. HEVMANNI OBSERVATIONVM AD MINVCIVM FELICEM FERCVLVM QVARTVM.

Cap. XXVIII.

1. *Quam autem iniquum ſit*] Ita eſt in MS. Male editio Romana: *Quantum autem vitium ſit*.

1. *de incognitis*] In MS. *de* abeſt: quod optime repoſuit *Lud. Carrio*. Nec ſcripturam illius Codicis, quem depravatisſime conſtat ſcriptum eſſe, defendere debebat *Daviſius*. Reſpicit *Felix* illud *Ciceronis Lib. I de Offic. Cap. 6*: *Ne incognita pro cognitis habeamus, hisque temere aſſentiamus*.

1. *et nos enim idem fuimus*] Pro *fuimus* reſcribit *Wopkenius* feliciter *fecimus* in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I p. 43*. Præcedit enim *quod facitis*. Quod vos *facitis*, inquit, idem nos ipſi *fecimus*, cum adhuc eſſemus idololatræ.

2. *ab iis*] Duo hæc verba delenda cenſeo.

2. *ventilari*] An forte *venditari*?

2. *& nunquam*] Rectius *&* omittitur, ſubauditurque. Sic hoc ipſo in *Capite n. 7*: *Fama ſemper ſparſis mendaciis alitur, oſtenſa veritate conſumitur*. Et *Cap. XXIII, 6*: *Si Dii creari poſſent, interire non poſſent*, cetera.

2. *indicii*] Sic in MS. recte, non *iudicii*, quod eſt in editione Romana. Vide, ſis, quæ ſcripſi ad *Lactantii III, 15, 11.*

3. *malum autem adeo non eſſe*] Hæreat hic lector, neceſſe eſt. Mihi quidem, quin aliquot verba exciderint, dubium non eſt.

3. *quod non ante fuerit*] Subaudi *Chriſtianus.*

4. *aliquos*] Delendum videtur.

4. *nec audiendos*] Hoc eſt, ne audiendos quidem. Sic *nec audire Cap. XXIX, 1,* pro *ne audire quidem.*

4. *in totum*] Sic & ſupra *Cap. XXIV, 5.* Etiam *Lactantius* ita loquitur *Epit. LXI, 2, & LXIII, 1, Plinius* item *XXV, 2, & XXXIII, 1, & XXXV, 2,* imo & *Celſus Lib. I Cap. 3* extremo.

4. *miſerantes*] Manifeſtum, ſcribi oportere *miſerentes.* Nec ab hac ſententia me dimovent, quæ *F. O. Menckenius,* Vir eruditiſſimus, protulit in ſuis *Obſervationibus Lat. Linguæ p. 621.*

4. *ut torqueremus*] Sic MS. At Romana iam in editione reſcriptum *ut urgeremus.* Recte. Ac ſtatim *n. 6* hoc *urgere* uſurpatur iterum.

4. *confitentes*] Hoc eſt, eos, qui, ſe Chriſtianos eſſe, confitebantur. *Cyprianus* ad *Demetrianum: Cum ſponte confitear, Chriſtianum me eſſe, quid tormenta admoves confitenti?*

5. *malo preſſus & victus*] Vix dubito, veram

ram ſcripturam hanc eſſe: *dolore oppreſſus & victus.*

6. *nos ſenſiſſe & egiſſe, quæ ſentitis & geritis*] Vel cum Anonymo Pariſienſi propter ſequens *geritis* reſcribendum eſt *geſſiſſe*, vel, quod mihi præplacet, propter antecedens *egiſſe*, pro *geritis* ſcribendum *agitis.*

6. *iudicaret*] Hoc eſt, iudicium exerceret.

6. *urgendi magis*] *Magis* hunc locum tueri non poteſt. Vidit iam *Cellarius*, *Minucium* ſcribere debuiſſe *urgendi eſſent.* Mihi vero credibilius eſt, eum ſcripſiſſe *urgendum eſſet.*

6. *impiatis*] Vide dicta ad *Cap. XXV, 6.*

7. *hominum fama*] Ita pro MS. *omnium fama* reſcripſit *Gronovius* in *Cap. VII Obſ. eccl. p. 81.* Facilius vero credetur, *Minucium* ſcripſiſſe *communis fama.*

7. *inſparſis*] Legendum *inſperſis.*

7. *oſtenſa*] Eleganter pro *& oſtenſa.* Lege, quæ paulo ante dixi ad *n.* 2.

7. *ſit & negotium dæmonum*) *Sit* pro *ſic* acute reſcripſit loco indicato *Gronovius.* Adiectum autem *eſt* non debebat in *et* mutare, ſed tollere.

8. *totos*] id eſt, univerſos. Vid. ſupra ad *Cap. XXIII, 6.* Sic & *Tertullianus Lib. I ad nationes Cap. 11: Sane vos totos aſinos & cum ſua Epona omnia iumenta & pecora & beſtias, quæ perinde cum ſuis præſepibus conſecratis.*

8. *cum veſtra Epona*) MS. *cum veſtra vel Epona.* Quomodo *vel* irrepſerit, docuit *Heraldus.*

raldus. Non igitur debebat *Gronovius*, filius, *Veſta* ſcribere pro *veſtra*. Solam enim *Eponam* hic nominatam eſſe a *Minucio*, laudatus modo *Tertulliani* locus, qui ei fuit ob oculos, facile perſuadet. Inſpice & alterum ſimillimum locum *Tertulliani Apolog. Cap. 16.* De *Epona* vid. & *Tomaſini* liber *de Donariis Cap. 31.* Non *Eponam*, ſed *Equonam*, dictam fuiſſe Deam hanc, audacia non ferenda ſtatuit *Barthius Adverſ. Lib. XXVI Cap. 11*, & *Lib. XXXVII Cap. 1.*

8. *devotatis*) Ita reſcripſit *Meurſius* pro MS. *devoratis*. Cui coniecturæ hoc eſſe poteſt patrocinio, quod etiam in *Plauti Caſina II, 6, 36*, pro MS. *devorabit* Critici non dubitarunt edere *devotabit*: quo verbo etiam *Cicero* eſt uſus in *Paradoxi primi Cap. 3.* At, cum ad *Minucii* locum hoc verbum non quadret, ſubſcribo *Rigaltio*, *decoratis* reponenti. Quis enim dubitet, aſino, *Iſidem* pretioſe ornatam geſtanti, circumdata item fuiſſe minoris pretii ornamenta? Quid? *Coronatos* & *ornatos* aſinos tales memorat *Ovidius Faſt. VI, 311*, & *347.* Quare nec *Nic. Heinſius adoratis*, nec *Heraldus denotatis*, nec *Wopkenius Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I p. 43 religione decoratis*, reſcribens, audiendus eſt.

8. *& leonum & canum vultu*) Male quidam ediderunt *vultus*. Totum vero locum ſic lege & interpretare: *De capro etiam & homine mixtos, & de leonum & canum vultu*, (ſubaudi *mixtos*,) *Deos dedicatis*. *Tertullianus Apol. Cap. 16*

Cap. 16 voçat *canino & leonino capite commiſtos.*

10. *ſtrepitus per pudenda corporis expreſſos*) Vocem naſi, hoc eſt, ſternutationem, aliquid portendere, adeoque divini aliquid habere, credebant ethnici. Quid iam mirum, eos & voci alvi, h. e. ventris crepitibus, θεῖόν τι tribuiſſe? Singularis de *Deo Crepitu* Diſſertatio exhibetur in *Iourn. des Sçavans T. LXXX p.*232 *ſeq.* Vid. & *Voſſius Lib. III de Orig. Idol. Cap.* 5, *Cotelerius* ad *Recognit. Lib. V Cap.* 22, *Petrus Zornius* in *Miſcellaneis Duisburgenſibus T. II p.* 665 *ſeq. Mosbemius* ad *Origenis Lib. V adverſus Celſum p.* 546.

10. *contremiſcunt*) Editio Romana habet *extremiſcunt*. Male.

10. *fabulatur*) Supra ſcilicet *Cap. IX*, 5.

11. *Iſta enim impudicitiæ eorum forſitan ſacra ſint*) Tollendum eſſe *impudicitiæ*, quis monentem me non audiet? Adeo res manifeſta eſt.

11. *ſexus omnis*) Deleo *omnis*, quod facile irrepſit, cum ſequatur *omnibus*. Cave, *omnis* mutes in *fèmineus*. De utroque enim ſexu loquitur Auctor noſter.

11. *impudicitia vocatur urbanitas*) Similiter *Curtius V*, 1, 38: *Apud matronas & virgines Perſarum comitas habetur vulgaris corporis vilitas.*

11. *homines malæ linguæ*) Hoc ſibi quid velit, docet *Elmenborſtius* ad *Arnobii Librum ſecundum*

cundum p. 56. Lege, ſis, etiam, quæ protuli ad *Cic. Orat. poſt red. ad Senatum Cap. 5.*

12. *peſſimi*) In MS. eſt *mali.* Neutrum ſcripſit *Minucius*, qui ita fatur & eleganter & perſpicue: *id in ſe facinoris admittunt.*

12. *nec cogi ſervitus durior*) Docte hunc locum e Iure Civili illuſtravit *Elmenhorſtius.*

Cap. XXIX.

1. *Nec audire*) Pro *ne audire quidem.*

1. *etiam pluribus turpe defendere eſt*) Hoc eſt, etiam turpe mihi foret, ſi pluribus defenderem Chriſtianos adverſus iſta opprobria.

1. *de vobis proberetis*) Id eſt, exemplo veſtro, uti recte interpretatur *Wopkenius* in *Obſ. miſc. Crit. T. X Lib. I p. 44*, ubi & *Lactantii* locum *Lib. I, 5, 1*, defendit, qui in editione mea mihi corrigendus videbatur: quem meum errorem ipſe non ita multo poſt agnovi.

2. *Deum credi - - terrenum*) Hoc eſt, aut meruiſſe noxium hominem a nobis haberi pro Deo, aut hominem terrenum a nobis credi potuiſſe Deum eſſe. Quid *merere* hic ſignificet, ſupra videas ad *Cap. V, 13.*

4. *Aegyptii ſane*) Pro *ſane* reſcribi *Saitæ* vult *Iaç. Gronovius.* Aſſentiatur, qui volet.

5. *honor verius*) Scribo pro ſcopo *Minucii honor verus. Verus*, id eſt, iure debitus, nec enormis. Sic *verum & falſum timorem* dixit *Cicero* in *Orat. I Catil. Cap. 7.*

6. *Numen vocant* De hac appellatione, quod ſatis eſt, dixi in *Poeciles Tomo III p. 484 ſeq.*

7. *horremus*) In editione Romana *prima*

(quam

(quam ſemper ſignifico), eſt *optamus*. At *Fulvius Urſinus* edidit *oramus*. Quod ſi in MS. legitur, commendabilior fit *Andr. Rivini*, Profeſſoris quondam Lipſienſis, emendatio, a *Cellario* prolata probataque. Reſcribebat is *nec horremus*, ut reſpondeat verbis *Cæcilii*, *Cap.* 12 dicentis, *non adorandas* eſſe Chriſtianis *cruces*, *ſed ſubeundas*. Ac mihi quoque placet *Riviniana* correctio. *Bellarmini* ſuper hoc *Minucii* loco diſputationem erudite pariter & acriter retudit *Dallæus Lib. V de obiecto cultus religioſi Cap.* 4.

7. *quid aliud, quam inauratæ cruces ſunt?*) Pluribus illuſtrat locum hunc *Lipſius Lib. I de Cruce Cap.* 9.

8. *palmulis*) Interpretationem huius loci quærat, cui ea opus eſt, in *Fabri Lexico*.

8. *cum homo porrectis manibus*) Illuſtrat hunc locum *Binghamus Antiq. eccl. Lib. XIII Cap.* 8 *ſ.* 10.

Cap. XXX.

1. *Illum iam velim convenire*) Obſcurat locum hunc, dum illuſtrare cupit, *Wopkenius* in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I p.* 44. *Convenire aliquem Ciceroni* nihil aliud eſt, quam adire ad aliquem, cum quo ſis collocuturus. Dicit igitur noſter *Minucius*, *ſe illum iam velle alloqui, cumque eo diſputare*, *qui*, cetera.

1. *de cæde*) Deleo *de*, illatinum quippe. *Magicis coenis aliquem initiare*, dixit *Plinius* XXX, 2.

1. *fata vulnerum*) Reſcribo *tanta* (id eſt,

tot,) *vulnera*. *Tanti*, *quanti* pro *tot*, *quot* hoc tempore dicebatur frequentiſſime. Vide, quæ dixi ad *Lactantii I*, *3*, *21*. Reſpicit vero Noſter calumniam ethnicorum, ſupra recitatam *Cap. IX*, *7*, ex quo loco hæc verba repeto: *infans cæcis occultisque vulneribus occiditur*.

1. *rudem ſanguinem*) Phraſis *Tertulliani Apol. Cap. 8*.

1. *nemo hoc poteſt*) Rurſus imitatur *Tertullianum*, eodem loco ita fatum: *Qui iſta credis de homine, potes & facere. Qui non potes facere, non debes credere*.

2. *procreatos*) Non inſcite *Nic. Heinſius Adverſ. Lib. III Cap. 2 p. 409* ſuſpicatur, unum hic excidiſſe verbulum, atque ita legit: *modo procreatos*.

2. *nunc adſtrangulatos*) Lego *nunc in aqua ſtrangulatos*. Dux ad hanc emendationem *Tertullianus* mihi fuit, ob oculos verſatus noſtro *Minucio*. Ille autem ſic in *Apolog. Cap. 9*: *Natis liberis in aqua ſpiritum extorquetis, aut frigori & fami & canibus exponitis*.

3. *merito*) Rarus huius verbuli uſus. Significatur, non eſſe mirandum, quod ei, cetera. Eodem ſenſu iterum uſurpatur *Cap. XXXI*, *3*.

4. *Gallos*) Excidit verbum *conſtat*, vel ſimile. Durius enim eſt, cum *Wopkenio Obſerv. miſc. crit. T. X p. 44* reſcribere *Gallis*, atque *ritus fuit* ἀπὸ κοινοῦ ſubaudire.

4. *humanas, vel inhumanas*) Aut *vel inhumanas* gloſſema eſt, aut *vel* ponitur pro *vel potius*. Sic *Cicero Phil. II Cap. 12*: *Sed ſtuporem hominis*,

minis, vel dicam pecudis, attendite. Idem *de Amic. Cap.* 12: *Gracchus regnum occupare conatus eſt, vel regnavit is quidem paucos menſes.* Et *Lib. IV ad famil. Epiſt.* 13 extrema: *Sed hæc tu melius, vel optime omnium.*

4. *ſacrificiis*) In MS. eſt *ſacrificii:* quod tuetur *Daviſius*, ſubaudiens *cauſa*. Sed recte monet *Wopkenius Lib. II Lect. Tull. Cap.* 17 *p.* 230, & in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I p.* 44, hanc ellipſin probare *Daviſium* invita Minerva Latina. Mihi videtur ab aliena manu profectum eſſe hoc verbum, adeoque eiiciendum. Imo, cum in editione Romana ſit *ſacrifici*, facile credetur, a quopiam adſcriptum fuiſſe hoc verbum in margine ad verbum *Romani*. *Iac. Gronovio*, *ſacri vice* reſcribenti, nemo, credo, ſuffragabitur.

4. *obruere*) Non eſt infinitivus, ſed præteritum indicativi.

5. *ipſum*) Subaudi *Iovem*.

5. *ſacrum*) Editio Romana habet *ſervum*. Sed in MS. eſſe *ſacrum*, teſtantur *Heraldus* & *Rigaltius*.

6. *non diſſimiles & qui*) Lego ſic: *Non diſſimile eſt, cum.* Vid. *Tertullianus Apol. Cap.* 9 *p.* 98 *ſeq.* editionis *Havercampianæ*.

7. *nos audire*) Dele turpe hoc additamentum. *Nobis*, inquit *Minucius*, *homicidium nec videre fas*, id eſt, ne videre quidem. Quo ſenſu & ſupra *Cap. XXVIII*, 4, & *XXIX*, 1, dixit *nec audire*. Scilicet non licebat Chriſtianis intereſſe ſpectaculis gladiatoriis; ut ipſe docet in-

fra

ſra *Minucius Cap. XXXVII, 11.* Eodem modo *Theophilus* ſcribit *Lib. III ad Autolycum Cap. 15: Etiam monomachias ſpectare nobis interdictum eſt, ne videlicet vel viſu participes cædis reddamur.*

7. *ab humano ſanguine cavemus*) Apud *Euſebium Lib. V Hiſt. eccl. Cap. 1* martyr quædam, *Qui fieri poſſit*, inquit, *ut Chriſtiani infantes comedant, quibus ne ſanguinem quidem animantium deguſtare licet?*

7. *edulium pecorum*) *Edulia pecora* vocat, quibus veſci licebat: ubi *Horatius Lib. II Sat. 4 v. 43 edules* dixit *capreas*. *Tertullianus Apol. Cap. 9* vocat *epulas eſculentas*, & *Plinius Lib. VIII Cap. 55 eſculenta animalia.*

Cap. XXXI.

1. *coitio*) In MS. eſt *cotio*, e quo quidam fecerunt *concio*: quod & habet Romana editio. Acutius vero viderunt, qui reſcripſere *coitio*. Eadem felicitate uſus *Gronovius* apud *Livium Lib. III Cap. 35*, pro *concionem* repoſuit *coitionem*. Idem *Livius Cap. 65* eiusdem *Libri* commemorat *coitiones tribunorum adverſus nobilium iuventutem ortas*, pauloque poſt *ſedatas*.

1. *infamiæ averſione*) Reſcribo *adſperſione*, vel, ut monachi ſcribebant, *aſperſione*. Ac ita iam emendavit *Wowerius*. *Corn. Nepos* in *Alcibiade Cap. III, 6: Adſpergebatur etiam infamia, quod*, cetera. *Cic. Orat. pro Coelio Cap. 10: Iſtius facti non modo ſuſpicione, ſed ne infamia quidem, eſt adſperſus.* Similiter *Curtius X, 10, 18: Quos rumor adſperſerat.*

Rurſus

Rurſus *Cicero Orat. in Vatinium Cap.* ultimo: *Ne qua ex tua ſumma indignitate labes illius dignitati adſpergatur.* Iac. *Gronovius*, qui putabat, *haud dubie ſcripſiſſe Minucium* acceſſione, haud dubie erravit.

1. *terrore*) Recte a me reſcribi *terror*, qui non videt, nihil videt.

2. *nata ſunt*) Lego *nota ſunt.*

2. *memoriæ -- veſtræ*) Vid. ſupra ad *Cap. VII*, 2.

3. *promiſce*) Vide, quæſo, quæ ſupra adſcripſi ad *Cap. IX*, 2. Hoc tamen loco Romana editio habet *promiſcue.*

3. *admittitur*) Pro *committitur.*

3. *in filios*) Vidit *Perizonius*, reſcribendum eſſe *in filias*: cui fruſtra repugnat *Daviſius*, cumque eo *Wopkenius Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I p. 45.* Sed nondum perſanatus eſt hic locus, quem valde turpavit librarius indoctiſſimus. Aut vehementer fallor, aut ita ſcripſerat noſter *Minucius*: *neceſſe eſt, vos veſtras incurrere in filias, in ſorores.* Iam *Pricæus* reſcripſerat *incurrere*, ſecutusque eum *Ouzelius*: qui & alios ſcriptores producens, ita locutos, emendationem *Pricæi* ſatis firmat.

4. *fabulam nectitis*) Lego *fibulam nectitis. Inceſti*, inquit, *fibulam nectitis, etiam cum conſcientiam non habetis*, hoc eſt, inſcientes vinculo Venereo connectimini cum filiabus ſororibusve. Video nunc, etiam *Wowerio* in mentem veniſſe *fibulam*: etſi dubitat, an vera ſit hæc correctio. Ego vero non dubito. Male

in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I p. 46* ad τὸ *maneam* defendendum proferre απεροσδιόνυσα. Addo nonnulla de hoc uſu verbi *habere*. Inprimis dignus memoratu eſt locus *Prologi Plautini* ad *Aululariam*. Quod enim ibi *v. 5* legitur: *qui hic* (id eſt, in hac domo,) *habet*, his verbis *v. 21* repetitur: *qui hic nunc habitat*. Plura *Plauti* loca indicavit *Pareus* in *Lexico critico*, & aliorum veterum loca ſimilia *Laurembergius* in *Antiquario*. Eodem ſenſu capio illud *Ovidii Metam. I, 57: His - - mundi fabricator habendum aëra permiſit*: itemque illud *Sulpicii Severi Hiſt. ſacræ Lib. I Cap. 4: Cum multiplicaretur humanum genus; diverſaque loca atque inſulas mortales haberent*. Adiungo *Ciceronem*, qui *Lib. II ad Atticum Epiſt. 9* (alii *10*) ita ſcribit: *Vides iam, quo invidia tranſeat, & ubi ſit habitura*: pro quo nonnulli male ediderunt *habitatura*. Idem *Lib. II de Offic. Cap. 39*, & in *Orat. pro domo Cap. 44*, dixit *laxitatem domus*, & *Plinius Lib. V Cap. 20 totam laxitatem Palæſtinæ*.

2 *in noſtro imo*) Deleo *noſtro*, quod aliquis adſcripſiſſe videtur e *Cypriano*, hunc locum repetente, ſed non plane iisdem verbis, libri *de Van. idol. Cap. V, 6*. Et quam venuſte fluit oratio noſtri *Minucii*: *Nonne melius in noſtra dedicandus eſt mente, in imo conſecrandus pectore?* Nam *eſt* ante *pectore* delendum eſſe, facile apparet. Editio Romana male exhibet *immo*.

2. *reiiciam ei*) Hoc eſt, quaſi cum contemtu reddam.

2. *ingra-*

2. *ingratum eſt*) Gloſſema manifeſtum.

3. *optimam victimam*) Recte reiicit ſententiam *Voſſii*, *optimam* reponentis, *Wopkenius* in *Obſ. miſc. crit. Tom. X Lib. I p. 46.* Minus enim pie facere videbantur, macras qui offerebant victimas: id quod e ſacro etiam conſtat Codice, *Malach. I, 8, & 1 Sam. XV, 9.*

3. *ex hoc Deum credimus.*) Hoc eſt, ex hoc ipſo credimus, Deum eſſe illum, quod, cetera.

5. *ſub oculis*) Lege *ſub oculos*. *Seneca Lib. I de Benef. Cap. 5*: *Non eſt beneficium id, quod ſub oculos venit.* *Lactantius III, 9, 12*: *Nec vident amplius, quam quod ſub oculos venit.* Quo quidem & ipſo loco Codex MS. Gothanus habet *ſub oculis*. Idem *Lib. VII, 9, 2*, eodem, quo *Minucius* noſter, argumento utitur, & ſimul, quod forte accidiſſe credo, eadem illa dictione. *Deus*, inquit, *facit multa, quorum vis quidem apparet, ſubſtantia tamen non videtur, ſicut eſt vox, odor, ventus: ut harum rerum argumento & exemplo etiam Deum, licet ſub oculos non veniret, de ſua tamen vi & effectu & operibus cerneremus.*

5. *In ſolem*) In MS. eſt *in ſole*. *Sigiſm. Gelenius* reſcribebat *ſolem*, omiſſo *in*. Sed rectius reſcriptum ab aliis videri poſſit *in ſolem*. Nam & *Cicero* ſæpe dixit *intueri in aliquem*: cuius loca *Pareus* producit in *Lexico critico*. Verum fruſtra hæc diſputo. Editio enim Romana (puto & MS. Codex, e quo illa expreſſa fuit,) non habet *intueri*, ſed *videre*. Ac ſic etiam ediderunt *Ouzelius* & *Gronovius*. Omnino

 nino

no itaque ſic legendum: *Solem adeo, qui videndi omnibus cauſa eſt, videre non poſſumus.* Quanquam *videre* hic non qualemcunque viſionem ſignificat; ſed inſpectionem diuturniorem. Argute autem dicit *Minucius*, ſolem a nobis non videri, cuius tamen beneficio videamus, quicquid videmus.

6. *Quid? Ipſum)* Editio Romana habet *Quid ipſum*, non interiecto interrogationis ſigno. Iam ſic reſcribo: *Qui* (id eſt, quomodo,) *ipſum.* Sic infra *Cap. XXXVI, 4: Qui poteſt pauper eſſe, qui non eget?*

6. *fulguribus)* MS. *fulgoribus*, itemque Romaa editio. At recte *Meurſius* repoſuit *fulguribus*, recordatus, alibi quoque *fulgura* & *fulmina* coniungi a Noſtro. Scilicet *Cap. V*, *10*, ſcribit, *rutilare fulgura, fulmina præmicare*; & *Cap. XXII, 5: Cum cælum & fulmina & fulgura longe ante fuerint, quam Iupiter in Creta naſceretur.*

6. *tenere)* Sic in MS. eſt, pro quo peſſime editum fuit a nonnullis *tueri.* Nam *tenere* de manibus uſurpatur frequentiſſime, e. g. a *Lactantio Lib. de Opif. Dei Cap. X*, *22*, *23*, & *24*. Pluribus hoc *tenere* defendit *Wopkenius* in *Obſ. miſc. crit. Tom. X Lib. I pag. 46* & *47*. Supra *Cap. XVIII, 8*, eodem ſenſu dixit *Minucius* noſter: *Deus non poteſt comprehendi*, id eſt, manu comprehendi: *tactu purior eſt.*

7. *actum hominis ignorat)* Id eſt, actionem, vel potius actiones. Sic etiam infra *Cap.* *XXXVI*,

XXXVI, 1, loquitur: *Actus hominis, non dignitas, iudicatur.*

7. *Deo cuncta plena ſint*) Debetur hæc emendatio clariſſima *Meurſio.* Nam in MS. eſt ita: *Deo cognita plena ſunt. Rigaltius*, qui adverſus *Meurſium* tuetur, quod ſcriptum reperit in iſto Codice, etiam hic oſtendit, immerito ſe referri inter Criticos. Sectatorem tamen nactus eſt *Iac. Gronovium*, qui & ipſe carbones librariorum amplexari ſolebat pro carbunculis. Nec *Wopkenius Rigaltio* ferre debebat ſuppetias in *Obſ. miſc. crit. Tom. X Lib. I pag. 47 ſeq.*

8. *enim claritudo*) Lego manifeſta ratione *eius claritudo.* Hic quidem *Iac. Gronovium*, qui idem vidit, ſpernere non debebat *Wopkenius* in *Obſ. miſc. crit. Tom. X Lib. I pag. 48.*

9. *a quo nullum poteſt eſſe ſecretum*) Agnoſce, Lector, vulnus non niſi ſumma mentis agitatione ſanabile. Iudica, quæſo, an felix fuerim coniector. Mihi ſcilicet hæc eſſe vera videntur *Minucii* verba: *Quanto magis Deus, auctor omnium at ſpeculator omnium, a quo nil ullis poteſt eſſe ſecretum* (hoc eſt, ſeiunctum,) *tenebris, intereſt cogitationibus noſtris, quaſi alteris tenebris!*

9. *ſed & cum illo*) Ita MS. Ego vero perſuaſum habeo, *Minucium* ſcripſiſſe *ſed cum illo*: quod & reperio in editione Romana. Emphaſis ineſt huic dictioni. Sic *Cicero Orat. poſt reditum ad Senatum Cap. IV: Qui me non modo deſeruerunt, ſed prodiderunt.* Et *Lib. I*

ad famil. Epiſt. 6: Omnibus negotiis non interfuit ſolum, ſed præfuit: ad quem locum videatur annotatio *Manutii. Livius III, 17: Tantum hoſtium non ſolum intra muros eſt, ſed in arce.* Idem *Lib. VIII Cap. 4: Hæc non ſuadenti ſolum, ſed pollicenti*, cetera. Comparabis vero cum noſtro loco & *Senecæ* illud *Epiſt. 41: Prope eſt a te Deus, tecum eſt, intus eſt: ſacer intra nos Spiritus ſedet, malorum bonorumque* noſtrorum obſervator & cuſtos; & illud Apoſtolicum *Act. XVII, 28:* Ἐν αὐτῷ ζῶμεν καὶ κινέμεθα καὶ ἐσμέν.

9. *prope dixerim)* MS. *ut prope dixerim* defendit *Wopkenius* in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I pag. 48*, ita tamen, ut poſtea malit legere *ut proprie dixerim.* Sed mihi quidem neutrum approbavit Vir doctiſſimus.

Cap. XXXIII.

1. *blandiamur)* Legendum omnino *blandimur.* Senſus enim hic eſt: Nec vere nobis obiicitis, ethnici, nos gloriari noſtro Chriſtianorum ingenti numero.

1. *nobis videmur)* Et hic facile quisque mihi aſſentietur, reſcribendum eſſe *vobis.*

2. *tantum - univerſa)* Facile ſenſi, ſcriptum fuiſſe a *Minucio ſtatum - diverſa.* Nam & origo mendi & iuſtitia correctionis manifeſtiſſima eſt: ut mirer, *Daviſium* non ſubſcripſiſſe *Meurſio*, qui iam ante me veram ſcripturam invenerat, ſed *maluiſſe*, ut *Grævii* verbis utar e Præfatione in *Ciceronis Officia*, *corruptum locum corruptius exponere, quam librarii manum accuſare,*

cuſare, & alterius ſolertiam, parva mutatione nebulas omnes diſiicientem, & genuinam lectionem veramque ſententiam reſtituentem, agnoſcere.

2. *indiciis)* Subaudi *aliorum.* Hoc eſt, non eſt ei opus iis, qui ipſi indicent ſtatum ſingularum regni ſui (id eſt, mundi,) partium.

2. *Sed)* Prolepſis, ſive Occupatio. Quo ſenſu (omiſſo a *Turſellino*, & eius adiutoribus,) *ſed* etiam reperitur in *Ciceronis Milonianæ Cap.* 22, & in *Curtii VII*, 1, 32. Eodem ſenſu ἀλλὰ occurrit in *Epictetici Enchiridii Cap*, 15.

3. *priorum - poſteriorum)* Subaudi utrobique *Iudæorum*.

4. *Dei iuſſu, & elementis annitentibus)* Peſſime vero poſt *iuſſu* fixum eſt comma in omnibus, quas vidi, editionibus, atque ita non licuit cognoſcere, & ſignificare *etiam*. Lege: *Dei iuſſu &* (id eſt, etiam) *elementis annitentibus.* Reſpicit Noſter præter alias hiſtoriam de *Ioſua*, ſolem & lunam, imo etiam imbres & grandines, nacto veluti copias auxiliatrices. Pro *obruerunt*, quod haud quadrat huc, ſcripſerim *devicerunt.* Nec *annitentibus* ſatis placet. An forte *aſſiſtentibus*, vel *concertantibus*, ſcripſit *Minucius?*

5. *veteres)* Subaudi *Romanos*. *Troium* innuit *Pompeium* & *Corn. Tacitum*: quorum hunc in Iudæorum rebus *mendaciorum loquaciſſimum* vocat *Tertullianus Apol. Cap.* 16.

5. *Flavii Ioſephi, vel Antonini Iuliani, de Iudæis require)* Rectius Romana editio *Antonii.*

In MS. enim obſcurius legi nomen hoc, teſtis eſt *Rigaltius* αὐτόπτης. Apparet vero error librarii, qui ita ſcribere debebat: *e Flavio Ioſepho, vel Antonio Iuliano, de Iudæis require. Sæpe ex me requiris*, inquit *Quintilianus* in *primo* ſui *Dialogi de Oratoribus Capite*. Romanis autem ſcriptoribus inſeri hoc loco *Ioſephum*, mirari noli. Conſtat enim, & Romæ, & Romanorum in gratiam, eum ſuam compoſuiſſe *Archaeologiam*. Ad *Antonium Iulianum* quod attinet, nihil de eo præter hunc *Minucii* noſtri locum proferre poterat *Fabricius* in *Bibl. Gr. Lib. IV Cap. 6 §. 18 pag. 254*. Poſtea vero in *Bibliotheca* ſua *Latina medii ævi Lib. IX pag. 568* ſuſpicabatur, eſſe illum *Antonium Iulianum*, quem *Ioſephus* teſtatur fuiſſe eo tempore, quo Hieroſolyma a *Tito* evertebatur, procuratorem Iudææ; ac fortaſſe eundem illum, quem inter Latinos Rhetores laudat *Gellius Lib. I Cap. 4*, locisque pluribus. Nec infelix mihi videtur hæc coniectura *Fabricii*. Uti enim *Fronto* Orator adverſus Chriſtianos Orationem edidit, a noſtro *Minucio* bis commemoratam; ſic & *Ant. Iulianus* Orationem quandam ſcribere potuit de Iudæis, eorumque breviter perſequi hiſtoriam.

5. *bis*) Lego ſine dubitatione *iis*. Librarios enim medii ævi conſtat ita peccaſſe ſæpenumero.

6. *comprehendes*) Non eſt, quod dubitemus legere *deprehendes*.

8. *ut impie loquaris*) Supra ſcilicet *Cap. X. 4.*

ANDREÆ

VI.
ANDREÆ ADAMI HOCHSTETTERI,
DOCTORIS OLIM TUBINGENSIS,
ITER LITERATUM,
ALIQUOT EPISTOLIS, NUNC PRIMUM EDITIS, DESCRIPTUM.

Lectori
S. D.
F. O. MENCKENIUS.

Deſtinaveram tibi, Lector optime, gratius fortaſſe, quam hoc ipſum eſt, munuſculum, nec profecto alia quæcunque cauſa ab hoc bene de te merendi conſilio me avocaſſet, niſi in fatis ita fuiſſet, ut morbus iuſto pertinacior ac pæne fatalis continuos menſes ſex a Muſis æque meis, ac omni rerum humanarum cura, me, quantumvis invitum, abſtraheret. Seponendus igitur, qui, ſi per valetudinis rationem licuiſſet, totum me occupaſſet, ad illud uſque tempus labor fuit, quo mihi, ferente ita Dei bonitate, ad veteres amores meos corpore paululum firmatiore, & alacriore animo, redeundi facultas daretur. Cogitanti autem mihi, nullam adhuc *Miſcellaneorum Partem* meæ expertem ſymbolæ in lucem exiiſſe, atque adeo hanc novam, ſi *Menckenianum* prorſus nihil exhiberet, ſui nimis diſſimilem gregis futuram, in mentem, Lector, illud venit, vel ſic honeſto meo tui ſtudio me nunc facturum ſatis eſſe, ſi breviſſimis, ut ſolent, quibus ægra ac difficilis a morbo diuturno vox eſt, te verbis compellarem, &, ex-

cuſata longiore utilia ſcribendi mora, hominis nuper morituri locum occupare iam dudum mortuum iuberem. Cuius propoſiti ne nullam a te gratiam inirem, eam in deligendo vicario ſcriptore cautionem habui, ut, in hunc oculos animumque defixiſſe, minime te pœnitere poſſet. Talem, ni fallor, omnes iudicant *Andream Adamum Hochſtetterum*, Tubingenſibus adhuc Muſis ſacrum ac venerabile nomen, eruditis autem, ſive doctrina, ſive in literas, maxime ſacras, merita, ſpectentur, ita notum, ut, de eo hic commemorare multis, non ſit opus. Is, literato olim, florentibus adhuc annis, in regiones exteras itinere ſuſcepto, tam curioſus rerum, ſive ad literas, ſive ad rem civilem, ſpectantium, ſpectator ac inveſtigator fuit, ut legentibus has ipſas, ad avum olim meum, *Ottonem*, datas, non elegantia minus, quam rerum ſcitu utilium copia, commendabiles, Epiſtolas, vel ex his ipſis rectam diſcere peregrinandi rationem liceat. Eas igitur, numero denas, Epiſtolas, cum quatuor aliis, ſuperato iam itinere, ſed prorſus diligenter, ſcriptis, in tuas, Lector, manus trado, paratas, ut ſpero, ad accipiendum æque, ac ad retinendum. Sunt ex illis nonnullæ, priores nempe *quinque*, cum *ſeptima* & *nona*, olim a *Chriſtiano Gottholdo Wiliſchio*, Annæbergenſis ſcholæ Rectore, non invito parente meo, *Ioanne Burchardo*, a quo illas nempe doctus Vir acceperat, iuris factæ publici in *Arcanis Bibliothecæ Annæbergenſis*, A. 1730 editis, eiusque libri *pag.* 229, 236, 246, 252, 255, 264, & 266; ſed

cum

eum in paucorum liber ille manus venerit, nec ſit exterorum fortaſſe uni viſus, vel ſic, recens a me editæ, videri quodammodo novæ poſſunt, nec mihi dubitandi cauſa eſt, quin cum ceteris coniunctas, maiori, quam ſolas, cum voluptate ſis lecturus. Quod vero inuſilia nonnulla, & ab his, qui rem ipſam in epiſtolis, non inanes formulas, requirunt, cum tædio legenda, quæ nimis religioſe ſervanda duxit *Wiliſchius*, a reliquo, plus elegantiæ habente, corpore reſecta vides, id, multum fallor iudicio, ſi vituperari a te poſſit. Qualis fuerit avus meus, ſi adhuc ignoras, Lector, nec tibi, huius hominis memoriam colendi, argumenta ſuppetunt; horum certe nihil ex epiſtolis amici petes, humanitati, ſi non omnia, at certe plurimum, dantis, avo autem meo pro officio uno & altero ita ſe obſtrictum profitentis, ut nullam laudandi ac honorandi eius prætermittendam occaſionem duxerit. Legenda igitur, non ridenda, damus, id ſedulo caventes, ne, quod tot aliis Epiſtolarum venditoribus, idem nobis, exprobrari poſſit, mercem a nobis, ſi non abiiciendam prorſus, at plurima ſui parte contemnendam, exponi. De rebus enim ipſis, quas amicum ſuum *Hochſtetterus* docet, non eſt mihi timendum, ne cuiquam ſint faſtidio futuræ, quippe a ſuavitate ſua & varietate non minorem, quam a ſcribentis politiſſima narrandi ratione, gratiam habentes. Quas niſi tu legendo probaveris, meo deinde iudicio ipſe parum tribuam, &, quid ſit ſuave in literis, quid utile etiam, & ob id præſtabile, ignorare me, fatebor.

EPISTOLA I.
OTTONI MENCKENIO
S. P. D.
A. A. HOCHSTETTERVS.

Argumentum.

Iter Germanicum deſcribit, de viris doctis ſingularia inſpergens.

Ut de itinere noſtro breviter apud te agam, auctor ipſe exſtitiſti; quare vel mandato tuo audaci facto, qualescunque eius lineas ducere viſum eſt. Viteberga ſatis oportune appuli, quod de *Waltheri* docendi diſputandique ratione ex publico ſpecimine iudicare potui, quale toto, & quod excurrit, anno editum ab ipſo non fuiſſe, cognovi. Sed & *Schurzfleiſchium* ex Parnaſſo audiendi, eiusque Bibliothecam luſtrandi, occaſio data eſt, &, quod caput erat, optimum prorſus virum, *G. Franckium*, compellandi, qui, cum, ex Suevia nos eſſe, & de patre meo, cognoviſſet, multo cum honore nos excepit. Inde pedem Berolinum protulimus, tantoque in honore ab Ill. *Puſendorfio* habiti ſumus, ut cum agnato ipſi *Hedingero* convictu eius, doctiſſimisque diſcurſibus, frui liceret, qui eo iucundiores ſemper erant, quo frequentiori ſale adſpergebantur, iocisque, ex Suevia cumprimis, cuius ille idioma ad miraculum callet, repetitis. *L. Begerus* quoque in Bibliotheca Electorali & re nummaria facilem ſe nobis ideo exhibuit, quod ipſe *Puſendorfius* Bibliothecam nobiscum in aliquot horas luſtraret, & rariora monſtraret. Francofurti ad Viadrum multum cum Reformatorum Theologis

giſ diſceptandum erat, *Strimeſio* præſertim, *Buchio*, & *Ioanne Simonis*, cum neſcio quem Univerſaliſmum obtrudere vellent, nos autem larvam latitanti monſtro detrahendam arbitraremur. Aggreditur Doctor ille *Simonis* Venerquondam præceptorem meum Argentoratenſem, *Seb. Schmidium*, (qui ſuperioribus annis Tractatulum *de fundamentali inter Calvinianos & Lutheranos diſſenſu* Germanice edidit,) eumque proximis nundinis, quod ex ipſius ore habeo, refutatum dabit. Occaſionem refutationi dedit *Maſius* in *Intereſſe* ſuo, ubi Tractatum iſtum *Schmidio* adſcribit, (nam alias ſub nomine *C. E. A. P.* quod mihi Conventus Eccleſiaſtici Argentoratenſis Præſidem, adeoque *Schmidium*, notat, prodit,) & Calvinianis, ceu opus, cui refutando nemo inter illos par ſit, opponit. Contra eundem *Maſium* Tractatum quoque, ſed diſſimulato nomine, in 4 Germanice edidit D. *Io. Chriſtoph. Becmannus*, Vir certe humaniſſimus, qui *Eliæ Grebnizio*, nuper defuncto, in Profeſſione theologica ſuffectus eſt. Viſo Francofurto, Stetinum properavimus, eoque, poſtquam triduo navi ſuper Oderam vecti eſſemus, Cuſtrinumque, urbem Electoris munitiſſimam, vidiſſemus, felices, Deo dante, pervenimus. Ubi compellari, præter D. *Kansdorfium*, & celebrem Homiletam, *Fabricium*, merebatur *Andreas* ille *Müllerus*, qui, quicquid fere rari in Literatura Sinenſi habet, promte oſtendebat, atque inter alia, ſe a Cæſare non ſemel per ſubornatos ſolicitatum eſſe, referebat, ut, mutata religione, ad ſe tranſiret, Clavemque Sini-

tam

eam Vindobonæ conficeret. At ego vero, inquiebat, Clavem Sinicam haud vendo, ut clavium cœlorum iacturam faciam. Progreſſi Gryphswaldiam, *Gerdeſio*, ICto, fautore uſi ſumus, quia filio, Tubingæ olim literis operam danti, iam pridem innotueram. Dolui autem vehementer, cum, Theologos eius Academiæ, D. *Rangonem*, & D. *Iacobum Henningium*, in perpetuo diſſenſu, ſæpe etiam συῤῥάζει, vivere, audirem, quale etiam quid de Roſtochienſibus, *Schomero* & *Wolfio*, conſtat. Poſtquam enim, Straleſundo relicta, Roſtochium perveniſſem, *Schomerus* certe confeſtim de *Wolfio* dixit, quin & Dominos Lipſienſes reprehendit, quod in cauſa *Wolfii* mitius nimisque præcipitanter pronuntiaſſent. Quodſi enim, dicebat, & nos ad ipſorummet exemplum tam præcociter iudicaremus in cauſa Pietiſtarum, quacum agendum ipſis eſt, par demum pari relaturi ſimus. Ita ſcilicet diſſidiorum finis nullus eſt, &, quod de ſuo tempore iam conqueſtus eſt *Hilarius*, dum alter alteri eſt anathema, prope iam nemo eſt Chriſti. Maxime autem lætatus ſum, quod optimum *Fechtium* Roſtochii offenderem, qui, cum multo cum affectu me exciperet, humanitatem tuam mirifice prædicavit. Relicto Roſtochio, Wiſmariam abii, tandemque Lubecam, ubi D. *Pfeifferum* aliosque compellavi, & ſtatum eius eccleſiæ, ſic ſatis diſtractæ & turbatæ, non ſine dolore introſpexi. Optimum vero videbatur, Pentecoſtales ferias Hamburgi celebrare, ut celebres in ea Homiletæ audirentur, unde eo delati, quantum in iſta brevitate licuit, eruditione & pietate præſtantes viros com-

pellavi,

pellavi, quos inter iure numero humaniſſimum Affinem tuum, cui pro officiorum ſponſione plurimum debeo. Cras, Deo volente, Bremam ibo, indeque Amſtelodamum properabo, petiturus cum *Hedingero* meo Angliam, quamprimum ſe occaſio oportuna obtulerit. Tantum ergo mihi audaciæ ſumo, & te, Patrone ſumme, (ipſius enim huic audaciæ auctor exſtas) quam obſequentiſſime rogo, ut ne conſiliis & commendatione tua ad Viros in Belgio & Anglia, quæ petenda primum eſt, celeberrimos, *Caveum*, *Bernardum*, &c. deeſſe mihi velis. Natus es in publica commoda, talemque te univerſo orbi oſtendiſti hactenus, qui expulſa barbarie reſtituere literas nitori ſuo omni ſtudio annitatur. Quodſi per hanc imbecillitatem meam promoveri aliquid in Anglia, vel ſublevari, poſſe laborum tuorum arbitrabere, iube ſolum ac inſtrue, & promtiſſimum me, atque ad obſequia paratiſſimum, ubique & nullo non tempore reperies. Hamburgi, 11 Iunii 1690.

EPISTOLA II.

IDEM EIDEM.

Arg. Pergit in exponendo itinere Germanico.

In inclyta Hamburgo per aliquot dies commorati, multo cum dolore inteſtina eius eccleſiæ diſſidia introſpeximus, dum aliqui, pietatem (venerabile ſanctiſſimumque nomen) præ ſe ferentes, nimio fervore motus turbasque in electo cœtu cient, aliis vehementer repugnantibus, & ſua viciſſim acerbitate, uti fieri ſolet, eosdem exacer-

acerbantibus. Tametſi de urbis huius eccleſiæque ſtatu fere deplorando dicere apud te haud opus eſt, qui eundem longis abhinc annis propius cognoviſti. Eſt ibi *Ioannes Winckle-rus*, numeroſiſſimi ad D. *Michaelis* cœtus Paſtor, qui, cum, de Sabbati inter Chriſtianos moralitate nonnullos dubitare, in eamque rem *Fechtii* ſcripto uti, animadverteret, receptam per tot Secula ſententiam defendere, iſtisque *Fechtii* rationibus occurrere, ſtatuit, quanquam neſcio, an placiturum omnibus argumentum ſit, quod ex *Hebr. IV*, 9, deſumere urgereque in animo habet; confeſſus enim ipſe vir in ſcriptura multum verſatus mihi eſt, Rev. D. *Spenerum* illud capere nondum poſſe. Bremam dein, tenacem hactenus ſuæ libertatis atque amœniſſimam urbem, delatus; perque Dominicum diem in ea commoratus, e Theologis *Cocceium*, *Haſſium*, & *Untereichium*, quem a concionibus vorticordiis tantopere prædicant ſui, cum ſtudio audivi. At ego quidem non memini, me unquam vidiſſe, qui peregrinam adeo concionandi rationem habeat, quæ non aſſueto nauſeam certe facillime movet. Gaviſus autem iure ſum, cum in nullo Reformatorum, quos vocant, templo tantam auditorum multitudinem cernerem, atque in ſummo Regioque templo, cuius Paſtor D. *Lochnerus* eſt, vir plane humaniſſimus. Inde Delmenhorſtiam, Oldenburgumque, properavi: ubi nihil pæne cimeliorum fuit, quod antiquæ ſedi Auguſtus Rex reliquiſſet, quippe qui & corpus iſtud, quod aeri *Winckelmannus* incidi

incidi curavit, Hafniam transferri juſſit. Dehinc per Orientalem Friſiam ad Groningenſes tandem perveni, interque eos Academiam mihi perluſtrandam exiſtimavi. Quanquam ea nunc adeo non floret, quia Profeſſorem in Theologia ſaltem unicum habet, *Ioannem Braunium*, Palatinum, ex edita haud ita pridem fœderum doctrina, aliisque ingenii monumentis, non ignotum. Alter enim, *Ioannes Marckius*, Lugdunum Batavorum evocatus eſt, quod eo minus ægre *Braunius* tulit, quo libentius adverſarium a ſe remotiorem quisque habet. Perpetuæ enim inter illos lites erant, adeo ut ad publica Collegæ adverſus alterum ſcripta res procederet, nec tolerandas *Marckius* cenſeret *Braunii* Hypotheſes, quas enarrare brevitas pagellæ non permittit. Edidit nuperrime *Marckius* Analyſin, ſeu, ut *Braunius* apud me iocabatur, eclipſin in *Apocalypſin*, quæ forte iamdum ad vos perlata eſt. Relinquenda autem Groninga erat, & properandum Leovardiam, ubi elegantiſſimam Gubernatoris ſedem hortumque pulcherrimum, noviſſime inſtructum, atque alia, vidimus, demumque navicula, quam vocant, tractoria Franequeram pervenimus, ibique viros in omni pæne doctrinæ genere præſtantes compellavimus: quos inter & *Nicolaus Blancardus*, qui vetuſtam ruinæque proximam arcem Franequeranam velut præfectus quidam incolit, ſenex admodum ætate, & animo tamen, ut ipſe inquiebat, iuvenis. Vidimus quoque humaniſſimum, tuorumque in rem literariam meritorum admiratorem,

Iaco-

Iacobum Perizonium, qui, una compellatione non contentus, ad alteram nos ac tertiam invitavit. Defuncto nuper *Ryckio*, Lugdunensi Batavo, ſucceſſor, ut ipſe affirmavit, ab Ordinibus denominabatur, ſed, aucto ab Friſiis ſtipendio, Franequeram porro incolere maluit. E Theologis primarius eſt *Ioannes van der Waeyen*, cui cum *Spanhemio* lis nuper fuit, quemque cum *Hubero* litigaſſe conſtat. Legi epiſtolam, quam, hoc demum anno ad eundem ſcriptam, vulgavit *Huberus*, ſatiricam plane, nec niſi de perſonalibus, ut ſic dicam, tractantem, quamque apud me vel eo ſaltem fine aſſervabo, ut oſtendere recenti exemplo poſſim, quam parum inter iſtos quoque charitatis ſit, & quam ne ſacro quidem muneri parcant, ſi quem ex illo ordine adverſum ſenſerint. Succedit Cl. *Vitringa*, qui proxime totius Academiæ Senior exiſtere poterit, etſi trigeſimum ætatis annum vix ſupergreſſus, quia fere vicenarius ad Profeſſionem admotus eſt. Vehementer ille gratus tibi exiſtere cupit, animumque iſtum Opuſculorum ſuorum, data occaſione, exhibitione ſe teſtaturum, promiſit. Maioris iſta momenti cauſa eſt, quæ cum Collega, *Hermanno Alexandro Roellio*, eidem intercedit, & quam in eccleſia motam eſſe, bonus quisque doleat. Statuit nimirum *Roellius*, (de quo iam in *Bibl. Univerſali* nonnihil, ſed obſcure, dictum eſſe, deprehendo *p. 395 ſeq.*) 1) Chriſtum pro morte fidelium non ſatis feciſſe; 2) eundem Dominum Servatoremque noſtrum in Scripturis *improprie* ſaltem Dei filium dici, neque

propter

propter æternam, quæ tamen communi omnium ſeculorum confeſſione credita hactenus atque aſſerta eſt, generationem ita vocari, ſed tantum ob manifeſtationem demonſtrationemque (*Rom. I*, 4,)! & œconomiam illam ſpecialem, in tempore factam, qua ſe in operis redemtorii executione Patri, tanquam filius, mandato genitoris obſequens, exhibuerit. Ego ſane miratus *Vitringæ* moderationem ſum, qui collegæ ſententiam mihi longe mitius, quam ipſe *Roellius*, expoſuit, quippe qui confeſſus inſuper apud me eſt, ſe unam ſaltem perſonalitatem *in abſtracto* in divinis agnoſcere, tametſi tres perſonas *in concreto* ſtatuat; (quod forte omnibus Philoſophis fuerit imperceptibile,) exiſtimare etiam, quod ratio diſtinctionis perſonarum in divinis non ſit deſumenda, ut fieri communiter ſoleat, vel ex generatione, vel ſpiratione, quæ ſummæ Dei perfectioni repugnent, ſed ex triplici, quam vocat, habentia, difficulter ſane, ut plane eloquar ac barbare, explicabili. Fruſtra quoque loca *Pſ. II*, 7, *Mich. V*, 2, *Prov. VIII*, 22, pro æterna generatione hactenus allegata fuiſſe, arbitratur: hec de communi eccleſiæ ſententia ſibi adverſante ſolicitus eſt, ut merito doleam, egregium Virum, & *Vitringæ* quoque magnopere laudatum, eo devenire, unde quidem tam facile extricare ſe haud poſſit. Edidit ante paucas hebdomadas Franequeræ alteram contra *Vitringam* Diſſertationem, integro fere alphabeto conſtantem, quam a *Gyſelario* ſtatim coemi, & oculo volante perluſtravi, neque difficile foret, uberiora

exinde commemorare, niſi, quæ ex ore *Roellii* habeo, potius perſcribenda duxiſſem. *Rhenferdius* valde conqueritur, ſuam cum *Vitringa* de decem otioſis litem pro otioſa haberi, quam tamen ſtudioſe tractari, eccleſiæ poſtulent commoda; quare etiam, ſe de Synagoga Iudæorum peculiari libro propediem tractaturum, deque re eadem latius, mutato tamen titulo, acturum, promittit. Franequera Harlingam ivimus, ibique navem primum in mare, *der Zuyder-Zee*, conſcendimus, ventoque adeo favente uſi ſumus, ut decem forte horarum ſpatio Amſtelodami feliciter, iuvante Domino, appelleremus. Orbis nunc incolo compendium, eoque ibi libentius commotor, quo promtiores hactenus per iuniorem *Wetſtenium*, ob commendatitias tuas amicum mihi factum, ſe ex eruditis nonnulli mihi præbuerunt. Quos inter merito numeraverim *Bibliothecæ univerſalis* conditorem, *Clericum*, & *Philippum* inprimis *Limborchium*, apud quem heri aliquot horas conſumſi, cum inquiſitionis Toloſanæ, adverſus Albigenſes & Valdenſes ab A. 1307 ad 1322 inſtitutæ, genuinum exemplar MStum, quo de hactenus nulli eruditorum conſtitit, quodque neſcio quo fato ex Archivo Gallicano huc translatum eſt, oſtenderet, ac de hiſtoria illius inquiſitionis, de ignoto pæne hactenus diſcrimine inter Albigenſes & Valdenſes, quoad dogmata ritusque & alia non ſpernenda, diſſereret, in publicum cum ipſo Manuſcripto, fideliter expreſſo, a ſe exponenda, quamprimum id *H. Wetſtenio* placuerit, quod qui-

dem

dem hactenus reſcire non potui; quia optimus Vir acidulis Sualbaci utitur. De ingenti lectiſſimi Batavorum militis ſtrage ut multa dicam, haud neceſſe eſt, cum clamoribus omnia lamentationibusque plena ſint, præliumque integrum ſine dubio ab Hamburgenſibus graphice, ut ſolent, deſcriptum exſtet. Faxit modo ter benignum iuſtumque Numen, ut ne vires inde animosque recipiat plus quam barbarus hoſtis, & in dulciſſimam patriam denuo ſæviat. Dici non poteſt, quanto nos gaudio affecerint Friſii, cum, a Gallica claſſe nihil prorſus metuendum eſſe, affirmarent: ſed nunc longe aliter fama refert, ut vix quemquam modo reperiamus, qui ſecuram promittere traiectionem audeat, præſertim cum Gallicana Belgicam Anglicamque claſſes numero prævalere dicatur. Quare exſpectanda tantiſper fuerit opportuna occaſio, quam Deus pro benignitate ſua proxime ſubminiſtret. Vale.

EPISTOLA III.

IDEM EIDEM.

Arg. De Belgio ipſo, deque viris in Belgio doctis, commemorabilia multa hic leguntur.

Superiori ſeptimana Nardam in Batavis petii, ubi cum *Ioanne Leyendekero* Paſtorem (*de iongſte predicant*) agit *Antonius Hyneus*, ex Hebræorum calceis egregie delineatis formatisque, & nupero de natali Ieſu Chriſti Commentario non ignotus. Annos ferme XXXVI natus eſt *Antonius* ille; & in Eccleſiæ miniſterio ultra decennium iam exegit, ruſtico antea cœtui in Zeelandia præfectus in pago Birſal, quem ante 30 modo annos collectæ ſenſim e mari arenæ;

aliisque ſolidioribus particulis, inædificatum eſſe dixit, ſuæ vero, quamdiu ibi fuerit, valetudini valde noxium. Quare *Grævius*, quem patris inſtar ſumme veneratur, ſibi ſuaſerit, ut ſcripto in vernacula evulgato ingenii monumentum ederet, aliumque ea ratione Paſtoratum mereri contenderet. Quæ res tam feliciter ſucceſſerit, ut, edito mox, recuſoque in tertiam vicem, *de Morte Chriſti* libro, Nardam vocaretur, priſtinamque ibi valetudinem recuperaret. Vidi iamdum initia promiſſi Latino ſermone Tractatus *de Ieſu paſſo ac mortuo* apud *Borſtium*, quem adeo augebit *Byneus*, ut IV Volumina in 4to conſtituat, quale unum materiam de Natali complectitur. Perducto ad finem iſto, ut & *de adſcenſione Salvatoris*, *ſanctique ſpiritus effuſione*, Tractatibus, ad Ebræorum veſtes regredietur, ubi *Braunium*, Groningenſem, adverſarium confeſtim habebit, niſi in verba omnia formulasque conſenſerit. Memoravit de cetero idem ille Noſter, ſe cum *Hulſio* in actu ſemel iterumque memorato ad Profeſſionem theologicam, Groningæ nuper ex *Ioannis a Mark* (qui *Compendium Theologiæ*, eiusque aliud ſuccinctius *Compendium*, uti *Wolzogenius*, in Amſtelod. Athenæo Profeſſor, *Burmannianæ Synopſeos Synopſin*, & nonnulla alia, cum *Eclipſi Apocalyptica*, edidit,) ad Lugdunenſes in Batavis diſceſſu vacuefactam, denominatum eſſe, proximeque declaratum iri, cui conferendum iſtud munus ſit. Videri quoque Nardæ merebatur memorabile *Lamberti Hortenſii* epitaphium: ut & Hiſpanicæ

crudeli-

crudelitatis inſigne monumentum, quod ad privatæ cuiusdam ædis, Nardenſium olim curiæ, parietes lapidi inciſum conſpicitur, quo in loco contra datam, tribusque vicibus ad *Hortenſii* manum repetitam, fidem, cives Nardeni, ſub præſtandi Hiſpano fidelitatis iuramenti prætextu in unum coacti, miſere omnes trucidati ſunt, magna etiam eorum pars in cineres favillasque redacta eſt. Munimentum urbis egregium plane ampliſſimumque eſt, ut inter potiſſima totius Hollandiæ referatur. Vallum quippe, terreum ſimul ac lapideum, cuius partes cornuaque omnia accuratiſſime ſibi invicem reſpondent, XXX paſſuum latitudine ſua complecti, cum *Byneo* deprehendi, quæ ingens ſane amplitudo eſt, ad quam conficiundam, præter ceſpites, non niſi láteres Belgarum coctos induſtria adhibitos eſſe, tanto magis miratus ſum. Captus nuper prope Fleuriam eius loci Gubernator cum DCCC ſuorum militum a Gallis eſt, neque hactenus ſolutum pro eo ampliſſimum λύτρον. In armamentario ſingulare & obſervatu non indignum eſſe, iudicavit *Byneus*, ingens illud tormentum, quod in navi ſua *Olivierus van Norden* habuit, cum ſub initium huius Seculi univerſum orbem triennii ſpatio emetiretur, illudque iterum in patriam ſecum aſportaret. Unde verſus, quos eidem adſcriptos legi:

Des aertbodens ronde cloot
Heb ik in drie iaeren
Door a von turen groot
Mit Olivier ronds omgevaren.

Sed hos apud te quid refero? cum nihil plane elegantiæ contineant, niſi quod Belgici ſunt. Octiduum fere effluxit, ex quo illuſtris *Herbordius*, Sereniſſimæ Anglorum Reginæ extraordinarius ad Fœderatos Belgii Ordines Legatus, ex Anglia appulit, exacerbatos illorum ex navali cum Gallis prælio, turpique Comitis *Torringhtoni* mora, animos mitigaturus, remque iis omnem ex vero expoſiturus. Qua re Hagam Comitis properare cum *Hedingero* (qui ſe quam obſervantiſſime commendatum cupit) cras D. V. conſtitui, facturus ibi periculum, an traiicere cum illuſtri Legato poſſim, qui bellica procul dubio navi inſtructus defenſusque ibit. Quæ res niſi feliciter ſuccedat, omnis fortaſſe Anglicani itineris ſuavitas exuenda erit. De *Actis* veſtris, toto orbe celeberrimis, multorum hactenus doctorum iudicia intellexi, ſed ea maxime, quæ optimum, maximoque hactenus cum ſucceſſu, & applauſu literati orbis, continuatum, inſtitutum uno ore celebrarunt: niſi quod Franequeræ *Iacobus Perizonius* dixit, omnia ſibi in iſto opere probari, *maar dat ſyt e partylik weſen*, (quæ, niſi fallor, ipſa hominis verba fuerunt,) cum *Cocceiana* atque aliorum, Lutheranis adverſantium, Theologorum ſcripta recenſeant. Unum hoc eſt Viri humaniſſimi, & a quo officioſiſſimam ſalutem nuper perſcripſi, iudicium: cui vero num tribuendum aliquid fuerit, ipſus iudicabis, Vir Celeberrime. Alias ubi ſententias cognovero, ut ſine mora perſcribam, pietas iubet. Librorum defuncti nuper *Theodori Rykii*

&

& numiſmatum, auctionis more, menſe Septembri, vendendorum, Catalogus ſine dubio a Lugdunenſibus Lipſiam tranſmiſſus eſt, ut & alius *Pechlini*, ubi quidem fertilis Poſtillarum numerus eſt. Heri neſcio quo fato ad *Clericum* veni, ubi varios inter diſcurſus de Latinitate quoque diverſis hodie nationibus uſitata ſermones miſcuimus. Valde autem in Germanos iniquus videbatur *le Clerc*, qui omnem ferme elegantius ſcribendi facultatem ipſis abiudicabat, Belgis ſolum Latii relicta gloria, quos inter ſua confeſſione *I. G. Grævius* eſſet primarius. Ego vero, & ipſum *Grævium* Germanum eſſe, opponebam, Remonſtrantique liberius remonſtrabam, quam Latinitatem fere ſuam Germanis debeant Batavi, quamque potisſimi ex ipſorum literatoribus e Germania fuerint oriundi. Itaque ad Anglos delabebatur, & de *Caveo Galeo*que nonnulla durius eloquebatur; an ipſe adeo bene ſcribat, noſti, Virorum amplisſime. Vale. Dabam Amſtelodami, 22 Iulii, 1 Aug. 1690.

EPISTOLA IV.

IDEM EIDEM.

Arg. Iter ſuum Lugdunenſe deſcribit, de *Iac. Gronovio* varia commemorans.

Quanquam elapſum vix biduum triduumve eſt, ex quo ad faventisſimas tuas reſpondi, cultumque in te meum ac pietatem probare epiſtolio ſuſtinui; non omittenda tamen erat egregia exoptatisſimaque occaſio, audendi ex Lugduno

paria, &, quid tam breviuſculo tempore in urbe literatorum ſatis fertili obſervatum a me ſit, ſuccincte exponendi. Poſtquam ergo heri Harlemum, elegantem prorſus urbem, ſylvaque circumiecta amœnisſimam, aliaque minora oppida, vidiſſem, Lugdunum hoc accesſi, inque eo ſolum hodie *Iacobum Gronovium*, Virum humanisſimum, compellavi. Ille enim, cum tuo ipſum nomine ſalutarem, & de literis nonnullos invicem ſermones agitaremus, dici non poteſt, quo me affectu honoreque affecerit, tale quidem haud merentem, nec exſpectantem. Mirifice autem te amat ac veneratur, &, quam iucunda ſibi converſationis, ante hoc decennium cœptæ, memoria exiſtat, teſtatus abunde eſt. At de *Fellero* quæ ego audivi? Utinam per horulæ quadrantem tecum eſſem, memorareque verba ſingula, mordacia pleraque, & recenſere omnes notas illas atque obſervationes, liceret, quas in ſumtum ad manus intolerabile illud *Felleri* de faſtu Criticorum intolerabile ſcriptum apud me expoſuit. Ceterum non dignabitur reſponſione *Fellerum*, nullorum ſuo iudicio ſtudiorum hominem, qui ſcurra ſibi innocenti, & veritatem tantummodo libere ediſſerenti, inſultare tam nefarie auſus ſit. Mirari ſolum ſe, ſignificavit, quod ſcribere talia permiſſum fuerit homini ab Univerſitate, in qua tot eruditi ſint & literis exculti viri. At chartæ omnia committere haud licet. Quare, cum ore aliquando affari iterum te, volente Domino, dabitur, plura de *Gronovio* & *Fellero*, quem nebulonem confidenter ille vocavit, enarrabo.

rabo. In *Eruditorum Actis*, quæ maximopere ſuo merito laudavit, id deſiderare ſolum ſe pronuntiavit, quod, ſi quos, Lipſiæ, aut in Saxonia reliqua, vulgatos, libros recenſeant, nimium quantum eos communiter prædicent, tituloſque ſæpe quamplurimos adhibeant, quæ quidem ipſe elogia ferre non poſſit. Exempli loco *Reineſianas* Inſcriptiones afferebat, quibus ille nihil in iſto literarum genere imperfectius vitioſiusve exſtare arbitretur. Sub finem diſcurſus, in tertiam usque horam continuati, de *Fellero* iterum querebatur, quod odium in Germanos *Gronovio* imputet, quam quidem accuſationem ipſo apud me opere refutavit. De reliquis, ut & itinere Anglicano, ubi certiora conſtabunt, tuo iuſſu perſcribam. Vale. Lugduni Bat. 25 Iulii, 5 Aug. 1690.

EPISTOLA V.

IDEM EIDEM.

Arg. Pergit iter Belgicum deſcribere, & Anglici initia addit, ſingularia de utriusque gentis viris doctis memorans.

Et iam ſiniſtri quidpiam ſuſpicabar, cum tuæ mihi patriſque literæ Londini redderentur, maximo utique meo gaudio, curarumque haud exiguo levamine, quarum certe non una hactenus me exercuerat. Qui enim non læter ego, cum meam hanc ſcriptionem, aut ineptias potius, tibi, Viro ſummati, non diſplicere, quin etiam non abſque voluptate legi eas abs te, percipio. Occulta ſane iſta felicitas eſt, quam tuo in me

immerentem affectui debeo, quem demereri omni ſtudio cultuque per ætatem omnem devotiſſimo conabor. Ceterum confuſus primum perculſusque ſtupore, in tuis paternisque legi, domum me vocari; ſed quid agendum nunc fuerit, cum Belgio iam exceſſimus, Angliamque, toties optatam, adivimus? Excedere tam cito Anglia, nec prius celebres doctiſſimosque, quos ea alit, homines ſalutaſſe, neque in mores eorum inquiſiviſſe, nec didiciſſe egregiam utiliſſimamque linguam, haud ſane conſultum videtur. Immortales potius divino Numini grates refero, quod ex periculis omnibus, quorum non unum in itinere imminebat, me potenter eripuit, morboque, qui initia iamdum ſumſerat, liberatum, verſari hactenus inter Anglos, etſi non unius notæ morisque homines, conceſſit. Ita vero Lugduni in Batavis actum porro eſt, ut *Spanhemium*, ob ferias abſentem, haud viderem, *Vitriarium* tamen & *Drelincurtium* compellarem. Inde Hagam Comitis petii, illuſtriſſimum atque incomparabilem certe pagum, quo amœniorem locum vix orbis habeat. Viſa hic Hollandiæ curia, Principisque Auriaci ſedes, cum adiacentibus, ad eundem ſpectantibus Principem, palatiis hortisque, *dem Hauß im Buſch & Hundslardyk*, quæ certe regifice omnia exſtructa ſunt. Inter doctos compellavi *Guilielmum Saldenum*, Paſtorem Hagenſem, virum calculo valde afflictum & ſenem: *Ioannem* item *Schelhammerum*, eccleſiæ Lutheranæ per XLVI annos Paſtorem, virum celebrem, & in plus quam ſeptuagenaria ætate vegetum humaniſſimumque,

ex quo de Lutheranæ in Belgio eccleſiæ ſtatu multa audivimus. Magno inprimis gaudio erat, percipere, quod nuperrime Magiſtratus Dordracenus noſtræ addictis fidei templum conceſſerit, feneſtrasque & valvas ipſus in id donaverit: quod ſperandum certe a Dordracenis non erat, qui rigidiſſimæ Synodo locum aliquando præbuere. Eſt etiam Hagæ, ut a *Leerſio*, Roterodamenſi, habeo, *Baſnagius*, qui Hiſtoriam, ni fallor, Operum eruditorum condit, ſed nobis ex ignorantia non viſus. Inde Delftam ivimus, ubi templum Auriacorum tumulis illuſtre vidimus, illudque inprimis *Willielmi Naſſovii* monumentum, quem, ut inſcriptio habet, *Philippus II*, Hiſp. Rex, ille Europæ timor, timuit, non domuit, non terruit, ſed, emto percuſſore, fraude nefanda ſuſtulit. Sed & Roterodami ſubſiſtere aliquantiſper, non una ratio iubebat. Primum vidi Cl. *Petrum Bælium*: quocum confabulari, eiusque maxima humanitate in aliquot horas frui, ſummæ voluptati fuit. Eſt & ibi Propheta *Iurius*, quem mirifice eapropter Meldenſis Epiſcopus exagitare novit. Nihil autem in hoc, aut parum certe, humanitatis deprehendimus; quo ſane more turpem ſuæ genti maculam inurit, quæ omnium alias humaniſſima eſt, eoque ad converſandum promtior, quo doctior. Allocutus quoque ſum *Ioannem Texelium*, G. L. Prof. & Paſtorem, Virum humaniſſimum, ex editis *Lightfooti* Operibus notum. *Baſnagius*, qui *Boſſuetum* aggreſſus eſt, Ultraiectum eo tempore diſceſſerat, quo nos Roterodami eramus.

At

At nunc in portum nobis Helvoetiam eundum fuit. Hic ergo bellicam conſcendimus navem, inque ea ventum faventem in octavum usque diem exſpectavimus, poſteaque, varie iactati, XIX Auguſti, in auguſta Londino felices, Deo dante, appulimus. Tametſi mihi *Hofmanno*que ſuperanda febricula fuit, ex mari ſine dubio corporisque necesſitatum defectu orta. Fecit autem divina bonitas, Medicique ſtudium, ut paucos intra dies convaleſceremus, capereque initia luſtrandi Londini poſſemus. Quare Weſtmonaſterium protinus excurrimus, ubi antiquisſimum illud, totoque orbe notisſimum, templum atque Abbatia eſt, in qua potisſimos Regum tumulos, (a *Sandrartio* pictos deſcriptosque, e quo libro quæ memoria retinui, multum mihi profuerunt,) multa verendos antiquitate, videas, & alia, quæ vix ſine ſtupore obſervantur. Eſt & ibi, ut noſti, ſepultus *Iſaaçus Caſaubonus*, in cuius epitaphio, quicquid eſt doctiorum, ſurgere iubetur tam colendo nomini. Vidimus inde utramque Parlamenti Cameram, regium ſummumque in aula Weſtmonaſterienſi iudicium, ubi condemnatus a rebellibus fuit Martyr *Carolus*. Sedem item regiam, albam, quam vocant, aulam, & inſigne caſtellum, quod *Towr* appellant, in quo ornatus regni incomparabilis, multumque ab Auguſtiſſ. *Williamo* & *Maria* auctus, oſtenditur. Ex viris celebribus compellari meruit *Rich. Baxterus*, cuius tot in vernaculam converſi libri aſcetici proſtant. At valde nunc ſenex ille, nec niſi ultra dimidiam fere horam detentus a nobis, eſt. De Reverendisſimo *Spenero*

ſolicite

ſolicite interrogabat, & num tam vehemens adhuc Luthéranorum a Calviniſtis diſſenſus ſit; Viſus quoque nobis compellatusque eſt D. *Tho. Gale*, cultor tui perpetuus. Is, abſtinere ſe aliquandiu debuiſſe, dixit, a *Porphyrii de Carnium abſtinentia* libro, tum quod ægritudo quædam impediret, tum & abeundum alio fuiſſet. Adhæc plura ſe ex MSS. exſpectaſſe, quam nunc ipſo deprehendat opere: promiſſa tamen ſe propediem ſervaturum. Sed & *Guilielmum Beveregium*, Paſtorem in Cornhill, multæ virum humanitatis, compellavimus: qui vir magnam in diſcurſu modeſtiam præ ſe tulit, nec fere quidquam de ſcriptis ſuis diſſerere nobiscum voluit. Ivimus dein ad *P. Allixium*, a Cl. *Ittigio* allegatum haud ſemel laudatumque. Sedem hic habet in Collegio Sionis, ubi Bibliothecam haud male diſpoſitam, omnibusque patentem, vidimus. Iam quæ viri huius humanitas? Quis in Scripturis omnique ſacra antiquitate inveſtiganda ardor? Quod pacis deſiderium? Tametſi, cum ad diſcurſum tandem delaberemur, ipſeque ob divinorum attributorum humanæ in Chriſto naturæ factam communicationem, a nobis aſſertam defenſamque, Eutychianiſmi nos incuſaret, de pace iam non amplius ſermo eſſet. Multa tamen e diſcurſu didici, quorum me non capiet oblivio. Egregia etiam illa Bibliotheca, quæ in Collegio Medicorum Regio viſitur, in quam cum introducerer, pulcherrimum ſimul theatrum miratus ſum. At de *Guilielmo Cave*, Viro maxime reverendo, quæ diſſeram? Stupeo prorſus, ubi ſummam incredibi-

credibilemque humanitatem recogito, qua me, cum ſexto ſeptimoque huius menſis Vindeſoriæ, quæ 6 ab Londino horis diſtat, ipſum viſerem, pleniſſimo cum affectu excepit! Ita enim aliter fieri haud poterat, quia a te, quo neminem ſe pretioſiorem carioremque in erudito orbe habere, teſtatus ſæpius eſt, viro non humano, ſed qui ipſa eſt humanitas, commendatus fui. Adeò ingenti te affectu proſequitur, ut inter diverſos ſæpe diſcurſus delapſus ad te iterum fuerit, & modo amplecti te, & colloqui tecum, optaverit, modo de tuis ſolicite rogaverit. Ut adeo novus tibi debitor ex iſta commendatione exiſtam, qua fruitus quoque mecum *Hofmannus* eſt, quem ad iter hoc in Angliam ſuſcipiendum *Hedingerus* egoque pertraximus. Cupit ille pro benevola ſui memoria eſſe gratiſſimus, & cum *Hedingero* favori ſe tuo commendat. Vidimus etiam non Oetonienſe ſaltem, quod Vindeſoriæ eſt, Collegium, ſed & regificam arcem, in qua degere vidua *Caroli II* ſolet, alba certe aula multo ſplendidiorem. Inde Hamptoncourtam, quæ 12 a Vindeſoria Anglicis milliaribus diſtat, ivimus, ubi omnem fere veterem ſtructuram deiici *Willielmus* iuſſit, iamque regiam ſibi ſedem per Belgas architectos ædificari curabit. Scripſiſti, ni fallor, ad *Caveum* de iuniore *Larroquano*, quo de doctiſſimo iuvene vehementer ſe dolere dixit Cl. Vir, quod ad Pontificiorum caſtra, referente ita ſibi *Burneto*, tranſierit. Quod quidem factum Lipſiæ inter vos diſſimulavit. Hodie Regiam Bibliothecam, Illuſtriſſimumque

Bayle,

Boyle, vidimus, de quo proxime plura, niſi grave id tibi futurum eſt, exarabo. Iamque proxime Oxoniam ibimus, &. ut ſpes eſt, ibi hyemabimus. Ita vale ex animi voto, Londini Anglorum, 9 Sept. 1690.

P. S. Hodie Sereniſſimum Regem in hac urbe exſpectant. Inviſimus etiam *Stiliardium*, de quo D. *Ammannus* vera memorarat.

EPISTOLA VI.

IDEM EIDEM.

Arg. De Statu Angliæ literato æque ac civili multa ſingularia docet.

Præter nova iſta, quorumque nuper memineram, ſed pauca admodum, Oxonienſium ſcripta, aliud meditatur *Tho. Hyde*, Protobibliothecarius. Is enim ſpecimen mihi paucis abhinc diebus oſtendit edendi Arabico, quo eum ſcripſit *Maimonides*, ſermone libri *More Nebochim*, ſeu doctoris perplexorum, ubi ipſum primo textum propoſuit, notasque, prolixas admodum, nec neceſſarias, vel in duabus, quas videre mihi per Auctorem contigit, pagellis adiecit. Verterat ante ipſum eundem Tractatum ex Hebræo *Buxtorfius*, cuius profecto incredibilem eruditionem *Hydanus* plane non attingit, auſus tamen inſultare ſummo in hac literatura Heroi. Tranſtulerat, ut uno rem exemplo illuſtrem, *Buxtorfius* Ebræam vocem Latino vocabulo *loquentium*, tum *Hydanus* multo verborum apparatu

paratu urget, vertendum *diſputantium*. Audiat, quæſo, iſta Reverendiſſimus *Carpzovius*, quem novi tantopere *Sheringhamio* indignatum eſſe, quod nonnulla adverſus *Buxtorfium* dixiſſet. Optat humaniſſimus *Bernardus*, (cultor veneratorque tui nominis,) ut *Ioannes Andr. Danzius* Alcorano ſuo, quem edit, Maſoram quoque Turcicam adiungat, quæ in MSS. nonnullis exemplaribus Collegii D. *Ioannis* Oxonii compareat. Memini, iam ſuperioribus mentionem a me factam eſſe quorundam Sociniſmi ſeminum, quæ infelix aliquando lolium protruſura haud abs re videantur. Et ita ſane ſcriptis quibusdam, magna hactenus cum libertate inter Anglos publicatis, contra Trinitatem ſanctiſſimi Salvatoris Divinitatemque actum eſt, ut Liturgiam nuper Anglicanam in pugillis ſuis videret nonnemo, quæ Symbolo Athanaſiano tam frequenter uteretur, inepto prorſus, & eccleſiis eiiciendo. Tum & in *Athanaſium* invehitur multis, ut opinor, *Sandii* argumentis, aliisque, quæ ſcrupulos inexercitatis movere facile poſſint. Sed nolo nunc libellos iſtos recenſere, cum alia fortaſſean occaſio ſperanda mihi ſit, qua melius prolixiusque iſta exponantur. Combuſtum publice damnatumque eſt Oxonii Nudum illud Evangelium *Arthuri Burii*, S. T. D. & in Collegio Exetrienſi Lectoris, de quo nunc demum diſputant, meritone ad flammas fuerit condemnatum. Tria autem continet libellus iſte (ἀνέγνων γὰρ καὶ ἔγνων, ſed ἁπλῶς τὸ κατέγνων, *Baſilii* verbo, addere non poſſum): 1) quale fuerit Evangelium a Domino,

eiusque

eiusque Apoſtolis prædicatum; 2) pars additiones alterationesque, a recentioribus ſuper ea factas, recenſet, & conſiderat; 3) demum Sectione damna, exinde nata, ponderantur, methodo ſane haud inconvenienti. Continet tamen nonnulla, quæ ſuſpicionem merito moveant, quia a doctrina τῶν ὑγιαινόντων λόγων recedunt, & ab recepta in eccleſiis methodo deflectunt. Quare merito ſeverior adverſus ipſum inquiſitio inſtituta; de reliquis ego non iudico. Scripſit ea occaſione quædam *Ioannes Walliſius*, magnus ille *Hobbeſii* debellator, atque inprimis ſimilia nonnulla comparationesque pro illuſtranda noſtrorum de S. Trinitate ſententia propoſuit, quæ omnia colligere diligenter aſſervareque viſum eſt. At maiores longe gravioresque motus excitavit *Williami Sherlokii*, Theologi Londinenſis, liber, de præſtando hodierno Regimini Auguſtiſſimo fidelitatis iuramento. Poſtquam enim ille cum Archiepiſcopo Cantuarienſi, & ſequacibus Epiſcopis, integro hoc biennio ſuſcipere iſtud renuiſſet, victus tandem, ut ſcribit, Scriptura rationeque & principiis Eccleſiæ Anglicanæ, ſolenni ſeſe iuramento Regi Reginæque obſtrinxit. Sunt, qui, non tam Scriptura, quam ab uxore, compulſum victumque fuiſſe, arbitrantur, ne officio, quod ſatis ſplendidum, ſub titulo *Maſter of the Templ*, tenet, removeretur. Unde factum, ut libellum hactenus non unum viderimus, lepide exaratum, nec ſine riſu lectitatum. Sed & gravius nonnulli *Sherlokio* ſe oppoſuerunt; &

& obedientiam, quam præſtare hodierno Regimini ſolum volunt, paſſivam defenderunt. Vidi non unum, qui in publico libello *Iacobum* Ex-Regem pro legitimo Monarcha M. Britanniæ haberet, ſuamque erga ipſum obligationem agnoſceret, & eapropter a gentili Poeta omnes, qui ſe ſubmittunt, tanquam periuros culpatos eſſe diceret:

Sunt, qui in fortunæ iam caſibus omnia ponunt,
Et nullo credunt mundum rectore moveri,
Atque ideo intrepidi quæcunque altaria tangunt,
Hic putat eſſe Deos, & peierat.

Ceterum *Sherlokio* & id inprimis obiiciunt, quod, ſtantibus eius principiis, *Richardi* uſurpatoris, *Oliverii*que, & nulla non, regimina approbentur, nosque, ſubditos ab iuramento ſemel præſtito liberantes, perverſos Pontificium mores, tantopere a Proteſtantibus culpatos, imitemur. Eſt & in noſtra Academia *Henricus Dodwellus*, qui iuramentum pertinaciter renuit, iſta ſcilicet doctrina a iuventute imbutus, Magiſtratui, immediate quippe a Deo pendenti, reſiſtere non licere. Quorum quidem hominum ingenia mirari ego ſatis non poſſum, quod auream libertatem, quam ſtrenue adeo tuiti ſemper Angli ſunt, & veterem doctrinam ſuam, Regem propter populum, non populum propter Regem, eſſe, omni veluti conatu niſuque repudient. Memoratum mihi haud ita pridem eſt, inventam nuperrime epiſtolam eſſe, inſolitis a *Labadia*, obſtetrice Regia, characteribus ad

Ex-

Ex-Reginam, *Iacobi* coniugem; ſcriptam, quam noſter *Walliſius*, Steganographiæ taliumque literarum peritiſsimus, explicaverit, inque ea iſta, niſi fallor, deprehenderit: *I am much afraid upon the great undertaking that's on foot. But I hope, through the ingenuity of the Queen, and the prudence of His Maieſties Ladies, we ſhall have ſoon a Prince of Wales.* At quid Princeps Walliæ, famularum regiarum prudentia, reginæque liberalitate, in lucem proferendus? Quid illa ſuper legitimo Principe timuiſſet? Sed tamen hac de re nihil hactenus a Parliamento determinatum eſt. Comes *Torringhtonius*, Angliæ ſuperiori anno Archithalaſſus, idemque in bello contra Gallos infelix cunctator, 10 huius menſis Londino Kentiam deductus, ibique a Capitaneis militiæ navalis in Shattamenſi portu vocatus ad tribunal eſt, ſed eventu, votis forte exſpectationique omnium, Belgarum præſertim, non reſpondente. Re tamen per ſex horas a navali conſilio examinata, nihil certi, quodque magni videretur momenti, deprehenſum adverſus ipſum eſt, idemque adeo liber a cuſtodia culpaque omni pronuntiatus. Quare is, ſonantibus ex utroque navium latere buccinis, tormentisque ipſum ab omni parte ſalutantibus, reverſus Londinum eſt, ſedemque, in ſuperiore Parliamenti curia ſequenti die ſibi aſſignatam debitamque, occupavit. Ceterum nulla hactenus ſpes affulget recuperandi per hanc hyemem in Hibernia Lemmerikii, cum ipſa vix æſtate adverſus locum

munitiſſimum, undisque undiquaque circumdatum, effici quidquam poſſit. Quare vehementer vereor, ne Auguſtiſſimus *Williamus* futuram æſtatem in reducenda ſub obſequium Hibernia conſumere cogatur, neque adeo quidquam in corde Galliarum ſuſcipere queat. Adeo res noſtræ ad vota nondum ſuccedunt: fuiſſent vero ſine dubio ſucceſſuræ, ſi Regem, omni contra hoſtes apparatu inſtructiſſimum, non ſpreviſſemus, nec, noſtris confiſi viribus, ſummum in Cœlis Arbitrum neglexiſſemus. Ille vero, qui omnem ab initio mundi opem attulit, aſſiſtat vel tandem ſub iſta cruce gementibus, noſtramque patriam a barbaro hoſte tueatur. Ad ſtudia mea quod attinet, non parum ego hactenus in addiſcendo accuratius ſermone Anglicano laboravi: ſed & doctiſſimo *Abendana* in Talmude explanando uſus ſum. Inſtructiſſimis autem Bibliothecis uti hactenus ob variam frigidamque ſæpius tempeſtatem non adeo frequenter, atque exoptabam, potui: debui tamen claudi inſtar ſutoris domi nonnunquam conſidere, neque in ſelectiorem Bibliothecam, aliunde, ab humaniſſimo inprimis *Bernardo*, comparatam, tantiſper abdere. *Millius*, Aulæ S. *Edmundæ* Præfectus, ſtrenue in N. T. cum variantibus lectionibus edendo laborat: terminum tamen, quo abſolvendum magnum opus ſit, ipſe ignorat. Sed plura deſino, teque, divinæ bonitati commendatum, valere, ſalvereque plus millies iubeo. Oxonii, 14 Decemb. 1690.

EPI-

EPISTOLA VII.

IDEM EIDEM.

Arg. Pergit literatum Angliæ ſtatum deſcribere.

Cum πολυμαθέστατος *Bernardus* ſcribere ad te vellet, promte meas adiunxi, etſi nullo ornatas cimelio, quale is ſuis antepoſuit. Nempe *Iobus Ludolfus*, ille Samaritanæ Æthiopicæque linguarum inſtaurator, petiit a Cl. Viro, ut iſtam Synopſin conſcriberet, quam ille nunc & tuo, ut vides, iudicio ſubmittit, quo ſtabit, num in *Acta* veſtra ille omnigenæ eruditionis theſaurus inſeri mereatur. Ita vero te ille amat, amant Angli exterique omnes, quibus ratio tam egregii præſtantiſſimique operis conſtat, ut merito & ego de tam felicibus rerum ſucceſſibus gratuler. Iam, ut de novis etiam noſtris nonnulla addam, obſequium iubet & parendi lex, qua tibi obſtringor. Diſſertationes in *Origenem* moliri dicitur *Dodwellus*, Vir, cuius converſatione non melius frui poſſum, quam in ædibus, quas vocant, Coffeanis. Ibi enim frequens eſſe orator ſolet. *Tho. Gale* XV Scriptores veteres Britannicos edit, quos inter maxime meretur memorari liber, quem Angli *Domes-day* vocant, in quo terrarum fundorumque in Anglia diſtributio, *Gulielmi Conqueſtoris* temporibus conſignata, reperitur: unde & antiquum MStum in Theſauro Regio hactenus aſſervatum, ac care habitum fuit. Cl. *Millio*

poſt alios innoteſcere interea laboravi, nec voti difficulter compos factus ſum. Vidi præſtantiſſimam Novi Fœderis editionem, maiore folio, in quaterna complicato, adornatam; ubi textus primo ſacer ponitur, loca deinde parallela magno numero indicantur; tandemque lectiones variantes, ex univerſi pæne orbis eruditi MSS. melioribus, Laudiano inprimis, Alexandrino, ſeu Theclæano, atque Coveliano, ſeu quem ex monte Sinai *Covellus*, Theologus hodie Cantabrigienſis, attulit, Codicibus, copioſe ſubiunguntur. Magni profecto ac herculei laboris opus, iamque, ut vidi ipſe, ad *1 ad Timoth. Epiſtolam* deductum. Num *Thomas Hyde* cum inutili Commentario ſuo ſuper *More Nevochim* orbem ſit oneraturus, neſcio. Vereor tamen, ne proxime nobis obtrudat. Ex Dania acceperunt Amicorum nonnulli triſte nuntium de *Olai Borrichii* luctuoſiſſimo inter tentatam calculi exſectionem obitu. Ceterum e Theologis, præter *Grasht Woetium*, omnibus ferme peregrinis notum, Regio quoque Profeſſori D. *Iane* innotui, qui dignus D. *Alleſtrio* ſucceſſor datus. In ſeptentrionali Scotiæ parte horribilis nuper terræ motus exſtitit, quo rupta ſciſſaque in duas partes præalta rupes vicum, ex viginti & ultra familiis conſtantem, nemine fere fatum effugiente, prorſus deſtruxit enecavitque. Secutus deinde cladem lacus eſt, qui nunc eum, quo vicus ſteterat, locum obtegit. Londini Eccleſiæ Lutheranæ Paſtor Danus, nomine *Metelius*,

in-

ingenti ſuorum ſcandalo ad Presbyterianorum ſectam his diebus delapſus eſt, ea ſolum de cauſa, quod, panem in cœna frangendum eſſe, ſuſpicetur. O ſtolidos homines, qui præter cauſam Eccleſias noſtras, tam miſere laceratas diſtractasque, & ipſi inſolentius affligunt! Quam vero nunc in Scotia homines Presbyteriani, depoſitis omnibus Epiſcopis, in Epiſcopales ſæviant, notum eſt. *Henricus Hide* Comes de *Clarendon*, *Eduardi Hide*, Angliæ quondam Cancellarii, filius, idemque adeo Sereniſſimæ *Mariæ*, Anglorum hodie Reginæ, avunculus, ob tacitas cum *Iacobo* conſpirationes, deque interimendo ſacratiſſimo Rege machinas, ſingulari prorſus Dei nutu detectas, nuper in Caſtellum Londinenſe deductus, ibique ſententiam exſpectare iuſſus eſt. Et iam de magni nominis Epiſcopo paria referuntur. Adeo ingentibus undiquaque periculis Rex optimus cingitur, ut vix ſit, cui tuto confidere poſſit. Sed deteget fraudes iſtas Dominus, unctumque tuebitur. Plura poſt de regni ſtatu conſtabunt, cum, Deo, ventoque favente, Hagam Comitum Rex Auguſtus veniet. Itaque nunc deſino, teque valere ſub umbone Domini, tuorum orbisque univerſi literati bono, obſequenter iubeo. Oxoniæ, 9 Ian. 1691.

P. S. Synopſin Chronologiæ ego deſcripſi, eo quod minus legi *Bernardiana* manus poſſet. Ipſe poſtea D. *Bernardus* relegit, & epiſtolam ſua manu ſubiunxit. Quas ſuper hac re ad

Ludolfum ſcripſit, mihique communicavit, ne nimis onuſtæ hæ venirent, adiungere nolui.

EPISTOLA VIII.

IDEM EIDEM.

Arg. Literaria Anglica notantur.

Tametſi nunc nihil magnopere haberem, quod dignum ſcriptione reputarem; committere tamen haudquaquam potui, quin, exacto ſine literis menſe, ad te recurrerem, atque hos obſequii cultusque mei teſtes iterarem. Is, de quo nuper memoravi, *Io. Millius* in colligendis primorum Eccleſiæ Doctorum monumentis ſtrenue pergit, proximeque S. *Barnabæ* Epiſtolam cum omnium, quotquot in eam exſtant, Commentariis, & ampliſſima *Dodwelli* Diſſertatione (ita enim ſcribere fere ſolet vir iſte, & digreſſionibus mirifice delectari;) eiusque paraphraſi, in lucem mittet. Vidi quoque iam ad prelum parata *Clementis Romani τὰ σωζόμενα*, cum *Millii* animadverſionibus, in quibus vel ſolus labor æſtimari mereatur. Abſoluto, quem vocant, Termino, in rus conceſſit *Dodwellus* noſter, cum quo alias quotidie in Coffipolio (ignoſce voci), domive ſuæ, ampliſſimam loquendi occaſionem habuimus. Prodeunt nunc eiusdem in Hiſtoriæ Auguſtæ Scriptores Prælectiones, magna iam parte ſua impreſſæ. Clariſſ. *Bernardus* aliena, ut ipſe ait, iniuria dormiſcere *Ioſephum* hactenus paſſus eſt. Videbo autem, ut ſpecimen laboris iam impreſſi obtineam,

Vo-

Vobiſque, doctiſſimi Viri, oſtendam. Iam in Chronologia multum occupatus eſt: in quo tamen ſtudio omnium diligentiſſimè verſatus Dominus Aſſaphenſis, Dr. *Lloyd*, Regis Reginæque Magnus Eleemoſynarius. Sanctiſſimi *Pocokii* benevolentia ſummo cum fructu uſus non ſemel ſum. Quicquid enim fere cimeliorum ſecum attulit Vir ſummus, id per intervalla quam promtiſſime oſtendit, nec niſi doctiorem ab ſe dimiſit. Id vero optimum ſenem non parum affligit, quod ab *Iobo Ludolfo* in Epiſtolis Samaritanis corrigatur. Nec enim feliciter ibi *Ludolfum* coniecisse, quivis deprehendet, quanquam & *Pocokius* ipſe, admiſſum a ſe nonnihil eſſe, fateatur. Obſtant ſane *Ludolfianæ* correctioni duo nitidiſſimi Codices MSti, quos ipſe inſpexi, quorumque contra fidem homini Europæo nihil licere arbitror. Iam paratas ſuper eo argumento literas habebam ad Clariſſ. D. *Wagnerum* veſtrum, ſed nolui nunc & ipſi moleſtus eſſe. Velim tamen, ut tuo beneficio memor vivat noſtri. Denique & diſceſſum ab inclyta Oxonia meditamur, proximeque Cantabrigiam ibimus, ubi, quæ dediſti in mandatis, obſequenter exequar. Vale. Oxoniæ, 12 Martii 1691.

EPISTOLA IX.

IDEM EIDEM.

Arg. De doctis Angliæ viris præclara memorat.

Poſtulabat prorſus mea in te pietas, ut, Belgis redditus, ad te darem iſtas, ac de felici reditu

quam breviſſime ſignificarem. Equidem haud abſque ingenti Piratarum Gallicorum metu ex Anglia ſolvimus, cum non diu ante cognoviſſemus, alteram ab iis navem tabelliferam interceptam, barbareque habitam, fuiſſe. Sed, qui nos huc usque protexit comitatusque eſt, Deus O. M. & iſtud, quicquid erat periculi, clementer averruncavit, nosque ſine omni marinæ nauſeæ ſenſu in has oras reduxit. Ante, quam a Britannis diſcederem, Cantabrigiam vidi, inclytam ſane Academiam, Viriſque ac Bibliothecis inſtructiſſimam. Eſt in ea tui obſervantiſſimus *Iſaacus Newtonus*, in Collegio Trinitatis Socius, Mathematicusque ſummus, dicique non poteſt, quam benigne humaniterque non meo, ſed tuo, merito me exceperit. Tametſi dolendum eſt, ipſum ne unum quidem menſem *Actorum*, quæ ipſi te ſubmiſiſſe ad me ſcripſiſti, accepiſſe; ut urgendum plane ad reſtitutionem arbitrer eſſe hominem, cui iſta fuere concredita. Interim ille ſummas tibi gratias agit, & ad omnia officiorum genera ſe obſtringit. Ceterum meretur etiam inter eius Academiæ Doctores numerari, præter *Spencerum*, *Io. Covelus*, Collegii Chriſti Præfectus, qui integrum fere octennium Conſtantinopoli exegit, & anno integro cum doctiſſimo celebrique Hieroſolymitanorum hodie Patriarcha, *Doſitheo*, familiariſſime vixit, plurimaque eccleſiaſticæ Græcorum antiquitatis (nam & horum linguam, uti pleraſque exoticas, ad miraculum callet,) monumenta attulit, de quibus prolixe

me-

memorarem; niſi, longa nunc ſcriptione te morari, piaculum ducerem, hactenusque te literis nimium oneraviſſem. Ceterum ſpem mihi fecit idem Vir Clariſſimus, ſe luculentos de Eccleſia Græca Commentarios vulgaturum, proditurumque non pauca de noviſſimis præſertim Synodis, in Oriente habitis, quæ contra Romanenſes putat non fruſtra poſſe adhiberi. *Io. Spenceri*, Collegii Corporis Chriſti Præfecti; indulgentia factum eſt, ut illuſtri illa Bibliotheca, quæ in eodem Collegio cuſtoditur, fruerer, plurimaque deprehenderem, ad rem noſtram facientia. Imprimis etiam illud poſt longam inquiſitionem deprehendi, ad quod inveſtigandum auctor exſtitit Illuſtriſſimus Excellentiſſimusque Heros, *Vitus Ludovicus a Seckendorf*, cum ex benevolentiſſima commendatione tua ſuperiori anno ipſum viſerem. *Gilbertus* nempe *Burnetus*, in *the Hiſtory of the Reformation of the Church of England Part. II p. 166* probaturus, *Lutherum* ipſum unionem cum Sacramentariis petiiſſe, manuſcriptam *Lutheri* ad *Bucerum* epiſtolam allegat, qua ita ille noſter ſcripſerit: *Nihilo minus* &c. (conferatur, ſi vacat, ipſum *Burneti* opus *l. c.*) At 1) poſt vocem *contrarii Burnetus* omiſit voces *in Sacramento*; 2) non conſtat ex Manuſcripto, fuiſſe Epiſtolam ad *Burnetum*; 3) ita legit Manuſcriptum: Nihil minus (at quantum diſcrimen inter *nihilo minus* & *nihil minus*) *mihi videtur utile, quam ut mediam & novam ſententiam ſtatuamus,*

mus, qua & illi concedant - - - - manducari. Ut enim conſcientiam taceam (NB. hæc omnia *Burnetus*, quia in contrarium militant, omiſit,) *conſiderandum certe eſt - - - & orientur hinc fontes quæſtionum* (vide hic miram in textu *Burnetiano* perverſionem, & conie&turam, ad marginem appoſitam, inanem, ſi ita legamus,) - - - - - - *quia nec ipſi noſtra*. Sed non licet nunc omnia annotare, quæ obſervavi: ſpero tamen, hæc Illuſtriſſimo Viro non fore ingrata. Nunc, ſi Deus velit, Amſtelodamum Ulttaie&umque revidebo; & ſic tandem Germaniam noſtram repetam. Utinam vero Deus patriæ meæ, ſub tantis periculis ha&enus gementi, parceret, & ruinam, quam prævidemus fere, clementer averteret. Faciat is, quod ſuo nomini glorioſum, nobisque ſalutare. Vale. Lugduni in Batavis, 30 April. ſt. v. 1691.

EPISTOLA X.

IDEM EIDEM.

Arg. Iter per Germaniam deſcribit.

Redeundum ad te tandem eſt, poſtquam & patriæ meæ meisque, mihi denique ipſi, ſum redditus: neque enim meus eſſe iure ha&enus videri poteram, ob varias amicorum interpellationes, longiorumque itinerum diverſa incommoda, quæ non niſi dierum aliquot in optatam quietem ſolitudinemque impendio diſpelli poterant. Dum ergo ſentio, & ad me redeo ipſe, ſcri-

ſcribendum plane ad te fuit, tum quod leviculam ſcriptionem noſtram & amares, & iniungeres, tum quod antiqua in te pietas mea hoc, quicquid eſt ſanctioris obſervantiæ, exigere videretur. Ceterum, ex quo ab inclyta multoque mihi nomine cariſſima tua domo diſceſſi, Norimbergam repetii, inque ea Nobiliſſ. inprimis *Iac. Guil. Imhofium* ſalutavi, dignum certe virum ob eximiam, ut noſti, eruditionem, &, quæ comes huius eſſe ſolet, mirificam humanitatem, quem favore omni affectuque complectamini. Auguſtæ Vindelicorum, præter publicam Ill. Reipublicæ Bibliothecam, cui *Georg. Fridericus Magnus*, Annæani ſimul Gymnaſii Rector, præeſt, & quæ ob inſignem Græcorum Manuſcriptorum optimorum copiam iam ultra Seculum literato orbi innotuit, privatam quoque illam luſtravi, quam a B. parente, *Theophilo*, *Gabriel Spizelius*, ad patrium in Eccleſia Diaconatum nuper vocatus, hæreditario iure accepit. Dolui, cum tot a Clariſſ. *Welſchio* relicta maximi vaſtiſſimique ingenii monumenta cernerem, abſoluta partim, partim affecta. Utinam eſſet, qui literariam Turcarum Hiſtoriam, ad prelum iam paratam, ac *Coſmo III*, M. E. Duci, inſcriptam, inſigni literatorum beneficio evulgaret. Dici enim nequit, quanto me opere vel ſola inſpectio eius aliorumque operum delectaverit. Poſſidet quoque *Matthias Fridericus Beckius*, amicus noſter, cuius in *Actis* mentionem factam eſſe memini, vitam *G. H. Welſchii*, quam ipſe ſer-

mone

more Arabico, quem optime didicerat, ante obitum deſcripſit. Alia lubens prætereo, quia rectiſſime iſta omnia noſti, Literarum Princeps atque Antiſtes longe Clariſſimus. Ulmæ etiam noſtrum *Veielium* læti compellavimus, qui, tametſi Ven. *Spenerum* maxime amat, optare tamen ſe dixit, ut tam benignam pro *Bæhmio* ſententiam in publicum non emiſiſſet, vir alias de eccleſia Chriſti literisque elegantioribus optime meritus. Nec enim capere poſſunt Zelotæ noſtri, qui fiat, quod vir piiſſimus, legiſſe ſe *Bæhmium*, neget, & tamen non niſi bene de illo pronuntiet. Tandem & de me lubenter aliquid adderem, niſi hactenus a publico conſulto abſtinuiſſem, nec fere niſi apud cariſſimum parentem in Bebenhuſano, cui præeſt, Monaſterio otio meo indulſiſſem. Quare alias ſuper his literas ad te exarabo; ubi, valere te cum tuis quam rectiſſime, abs te intellexero. Is enim in te tuosque amor meus affectusque eſt, ut vix quieto mihi eſſe liceat, niſi de rebus veſtris certior usque reddar. Ita vale in Domino, & me amare perge. Bebenhuſæ, 20 Iulii 1691.

EPISTOLA XI.

IDEM EIDEM.

Arg. Rerum Wurtembergicarum & ſuarum triſtiſſimum ſtatum deſcribit. Varia literaria ſubiicit.

Redeo ergo tandem ad te, mi *Menckeni*, poſtquam eluctatus nonnihil ſum e turbis tene-

tenebriſque iſtis, quæ me non tantùm atque familiam meam, ſed & univerſam hanc patriam noſtram, oppreſſerant hactenus occupaverantque. Tametſi enim variæ usque huc atque incertæ ſunt res noſtræ, neque dum prævidere omnino poſſum, quid vindex noſtrorum ſcelerum Deus adverſum nos decreverit; reſumere tamen confeſtim animos ſolemus, quoties ſerenior affulget dies, & melius nitere videntur ſoles. Latere nimirum te neutiquam poteſt, quibuscum calamitatibus conflictati hactenus fuerimus, pulſo in corde noſtri Ducatus patrio nuper milite, captoque Principe, qui vindex tutorque rerum noſtrarum eſſe debebat. Nec in eo ſubſtitit barbari hoſtis furor: ſævitum hic in ſelectiſſimas præſtantiſſimasque urbes Vayhingam Calvamque, quæ poſterior in cineres favillasque redacta mox fuit, deſtructo ſimul Hirſaugienſi Monaſterio, quo nullum illuſtrius antiquiusque in his oris fuerat. Et iam de privatis nihil dixi. Obiit ſub idem tempus ſodalis olim meus, idemque Collega dilectus, *Hieronymus Mageirus*, in ipſo flore ætatis. Secutum deinceps fatum *Hieronymi Velſchii*, qui idem Sereniſſimi Principis iuſſu peregrinationem nobiscum ſuſceperat, & cum patruele mea tertium iam ſemeſtre placidiſſimo in coniugio tranſegerat, ut complura alia triſtia omittam; neque enim turbandum te hiſce eſſe cenſeo. Doluiſſes autem vices dubio procul meas, ſi vel interfuiſſes ipſe tam deplorandis caſibus, aut notitia illorum ex literis ad te per-

veniſſet. Verum ita hactenus ſtupui, ut maluerim ſilere atque exſpectare, quid ſtatuere de me porro velit Optimum Numen. Excrevit deinceps officii labor, cum Archidiaconatui admoverer, homo iuvenis, atque in eccleſiaſticis parum verſatus: neque negligenda inter hæc erant philologica ſtudia, Hebraica inprimis, quæ, præter eius Linguæ Profeſſorem, doceri quoque abs me debebant. Sed adverſabantur pleraque muneris negotia genio adeo meo, ut ſæpius optarim, domum ne unquam rediiſſem, niſi divino parendum nutui exiſtimarem, melioraque ſperare divina aliquando Pronoea iuberet. Decreveram ſane nuper, ſi ultra procederet hoſtis, reverti ad vos, ſedemque quærere extra patriam. Et quis novit, quid futurum tandem nobiscum ſit? Ut enim ab hoſte metuendum hoc anno nihil ſit, creſcit in diem lue cumprimis maligna ægrotantium numerus, caritasque annonæ ita nos premit, ut, niſi ἀπὸ μηχανῆς ὁ Θεὸς, pereundum cum temporis ſucceſſu quamplurimis eſſe, quivis facile prævideat. Vides, quo loco res noſtræ ſint, quæque iis indoles. At non, ſi male nunc, & olim ſic erit. Ceterum ex captivitate quidem rediit Adminiſtrator Dux quondam noſter, ſed collata prius, uno alterove ante reditum die, Hæredi Principi *Eberhardo Ludovico* a Cæſare maiorennitate, quam vocant: unde ſunt apud nos, qui metuant, mutationem tam ſubitaneam inteſtina minimum odia motusque excitaturam. Sed ad literaria. Quod tot eru-

ditorum

ditorum hominum votis aſſurrexiſti tam promte, *Actorum*que, quæ tuo ſub præſidio prodiere hactenus Lipſiæ, continuationem aggreſſus es, maximopere gaudeo, Deumque O. M. precor, ut te incolumem ſalvumque in annos deinceps plurimos conſervet, quo te auctore & præſide res omnis literaria ſtet atque conſervetur. Anxius nunc nundinas exſpecto, quo aliquid de continuato illuſtri iſto opere videam. Hactenus timidi, aut ſomnolenti, Bibliopolæ nihil eius attulerunt. Quod autem pro *Sheringhamo* gratias egi, diſplicere tibi utique non debet; feci enim, quod potui & debui. Atque utinam tam felici mihi eſſe aliquando contingeret, ut, quicquid abs te beneficiorum collatum in me eſt, compenſari obſequio ſtudiisque poſſet! Iuſſus ſum de ſacris ſolennibus in Feſto Expiationis Iudæorum *Levit. XVI* aliquid commentari; in quam rem utilis mihi eſt Anglus ille, homo quidem audax, eruditus tamen, atque conterraneo *Guil. Outramo* haud parum doctior. De Miſhnicorum Codicum tralatione, quam hactenus horis ſubceſivis ſuſcepi, ſchedæ iamdum aliquot prodiiſſent, ſi commodum hic loci Bibliopolam nactus fuiſſem. At dici non poteſt, quam ſibi a Gallorum invaſione quotidie metuant. Itaque & in hoc infelix ſum, quod melior abit ætas, ſtudiis hiſce aptior, & ſtare promiſſis nondum poſſum, quibus me erudito haud uni obſtrinxi.

Sermones vero ſacri (pro more Germanorum, qui Poſtillas amant,) libentius accipiuntur, nonnunquam extorquentur, quales illi ſunt, quos idonea occaſione transmittam! Argentorati *Seb. Schmidius* novam S. Codicis verſionem Latinam adornavit, quam propediem, uti ſpero, videbitis. *Iægerus* noſter tertium Decennium Illuſtriſſimo *Seckendorfio* inſcripſit, ſed ſero nimis. Vix mihi ab lacrymis potui temperare, cum Ven. D. D. *Veielius* de ſummi Viri obitu ſcriberet; & maior ſane iactura eſt, quam quæ explicari digne, aut deplorari, poſſit. IX Ianuarii elapſo, ſummum in Theologia gradum amplexus apud nos eſt *Henricus Schüzius*, Theologiæ Prof. Prim. in Academia Upſalienſi. Alia nova non ſuppetunt. Ceterum, ſi literis domeſticum hunc tuum hominem ultra dignaberis, (facies autem id pro amore in me paterno,) ſignifices, quæſo, (quod nemo hactenus noſtrum explicare potuit,) an vita *Hieronymi Wolfii*, ab ipſomet Latine ſcripta, multisque memorabilibus referta, edita unquam a quoquam fuerit. a) Incidi enim nuper in manuſcriptam in Bibliotheca *Mart. Cruſii*, quæ integra apud nos eſt, & plura alia cimelia poſſidet. *Morhofius* vitæ huius, quod ſciam, non meminit,

a) Non tunc temporis, cum hæc ſcriberet *Hochſtetterus*, Vita hæc exſtabat edita; at anno demum 1739 eam ex tenebris, ut ſatis notum eſt, in lucem protraxit, ediditque Auguſtæ Vindelicorum forma 4, *Iac. Bruckerus*, Vir doctiſſimus. Menck.

nit. Denique, cum me pro ſyſtaticis ad te oraret amicus meus, M. *Ioannes Ulricus Frommannus*, ICti famigeratiſſimi filius, committere eidem haſce volui. Sis, quæſo, bonus etiam huic Suevo; ingratum neque me, neque illum, experiere. Eum fere in modum, quo *de Iure pœnarum* ſcripſi, pleraque ad *Puſendorfii de Officio Hominis & Civis* libellum argumenta moralia elaboravi. Si vobis arriſerit hic labor, plenior ille, ſub *Collegii Puſendorfiani* nomine, forſan prodibit. Iamque ita conſummatum id opus eſt, ut nihil ei poliendo deſit. Adſunt & Bibliopolæ, qui flagitant, ſumtusque offerunt. Sed veſtrum prius iudicium exquiro, ac, num dignum habeatis, quod vel orbi erudito polliceamini, vel edatur, moneatis. Ita vale, & huic tumultuariæ ſcriptioni ignoſce. Mihi vero favere ne deſine. Tubingæ, 20 Febr. 1693.

P. S. Cum, elapſo menſe Septembri, patriam noſtram invaderent Galli, omnesque ad fugam ſe pararent; Argentorato ad me venit M. *Heinius*, Riga-Livonus, iuvenis, uti noſti, diligentiſſimus. Mirabar ſane, hunc hominem tantas inter turbas a literario itinere non absterreri, ſed impavidum ruere velut in pericula, donec laborum aliquando præmia nanciſcatur. Iterum vale.

EPISTOLA XII.

IDEM EIDEM.

Arg. Mishnicæ interpretationis ſuæ rationem reddit. Literaria nonnulla addit.

Quod Mishnica tralatio noſtra curæ tantopere tibi fuit, prædicare haud ſatis poſſum. Quid tamen prudentius conſilio iſto, quo Viro cuidam doctiſſimo, ſuppreſſo tantiſper nomine meo, ſpecimen iſtud qualecunque communicaſti? Hæc nimirum unica curandi ratio eſt, ut limatius prodeant, quæcunque a ſacrorum horundem cultoribus ſuſcipiuntur. Agnoſco Viri, quicunque is demum fuerit, (neque tamen inquirere in eiusdem nomen audeo, niſi ſponte id fortean ſignifices,) eruditionem eximiam, nec parum, fateor, pro impenſo labore illi debeo. Id unum miror, quod Mishna IX ſcribit, viſam mihi interpreti difficiliorem redditu fuiſſe phraſin, שהוא חייב באחר, cum, illum, de quo ſermo ibi eſt, ad reſtitutionem primitiarum obligari, diſerte ſcripſerim. Dubium præterea viſum Viro optimo, cur Mishnæ non ſolum ultimæ, ſed & alii, hiſtoricum attribuerim ſtilum: quod nemo facile mirabitur, cum Mishnæ

Mishnæ ſcopus pro conditione ac ſtatu hodiernæ Iudæorum Reip. non ſit, referre, quid fieri debeat, ſed quid factum olim geſtumque ſit. Unde non Iudæos ſolum, Luſitanos inprimis, quibuscum converſatus in Belgio ſum, præceptoremque Oxonienſem, *Iſaacum Abendanam*, Mishnam expoſuiſſe hoc modo memini, ſed & unum inſtar omnium *Sheringhamum* (tuo ad me beneficio delatum) allego, qui hiſtorico paſſim ſtilo in Ioma uſus eſt. Neque vero hæc ſcribo, ut moleſtus tibi ſim: noſti enim hunc animum meum; ſed ut inſtituti mei rationem reddam, eandemque reſciat Vir doctiſſimus, qui tuo forſan alloquio gaudet nonnunquam. Novorum literariorum apud nos nihil pæne prodiit, præter Academici cuiusdam Curioſi Epiſtolam de Sexu Plantarum, quam laudant aliqui, mittamque proxime per *Kühnium*, Ulmenſem. Lites pietiſticæ apud nos ſopitæ, compoſitique Ducali auctoritate Theologorum animi ſunt, quorum unus impreſſo iam dimidia ſui parte libro aggredi *Spenerum* auſus fuerat. *Iægeri* quartum Hiſtoriæ Eccleſ. Decennium in lucem prodibit proxime: in quo maiorem longe diligentiam, quam in præcedentibus, adhibuit, ampliorem-

que

que adeo laudem merebitur. Quod vero ineptiſſimum cuiusdam e noſtratibus libellum de Generatione neglexiſti in *Eruditorum Actis*, tuo præſidio evulgatis, non parum laudant Academiæ noſtræ Theologi, qui ab illo prorſus diſſentiunt. Utinam manum admovere operi præſtantisſimo locorum permitteret intercapedo: quam non egregii laboris ſatiétas me caperet! Sed ſubſiſtendum mihi intra vota eſt, nec ſperandum ultra quod quinquennio abhinc abs te obtinueram beneficium. *Hedingerus* noſter, poſtquam omni apud nos ſpe promotionis excidiſſet, famamque apud non paucos malevolorum ſtudio, ſanitatem in caſtris, & quid non? amiſiſſet, Heri ſui intercesſione apud Sereniſſ. Landgrav. Haſſo-Darmſtadienſem vocationem in Academiam Giſſenſem ad Profeſſionem Hiſtoriarum, ſed exiguo, uti aiunt, cum ſtipendio ſuſcipiendam, obtinuit, elapſaque ſeptimana e finibus noſtris magno mœrore meo diſcesſit. Vides, apud nos quoque regnare invidiam, & bonos plerumque ea premi. Namque nec ego liber omnino abs illa fui huc usque, divina tamen ope inſultus omnes feliciter ſuperavi. Te vero, Vir inclyte, in annos deinceps plurimos ſervet

Deus

Deus O. M. Mea uxor puellam nuper enixa eſt, cui nomen *Catharinæ Barbaræ* datum. Vale, iterumque vale. Tubingæ, 18 Septembr. 1694.

EPISTOLA XIII.

IDEM EIDEM.

Arg. Dedicat ei Stillingfleeti adverſus Deiſtas Epiſtolam.

Quem adiectum his vides *Stillingfleetum*, mole exiguum, ſuo tamen Auctore dignisſimum, complurium inter nos vota extorſere, iusſitque inprimis, ut ederem, *Elias Veielius*, qui in vicinia noſtra eſt, Theologus venerandus. Eum vero inclyto nomini tuo inſcripſi, quo nullum inter eruditos mihi venerandum magis propoſui. In qua quidem libertate ſi quid peccatum abs me eſt, amori cultuique in te meo adſcribes. Vale, Vir deſideratisſime, atque hoc obſervantiæ in te noſtræ monumentum æqui bonique conſule. Et conſules ſane, quoniam identidem me amas. Tubingæ, 20 Martii 1695.

EPISTOLA XIV.

IDEM EIDEM.

Arg.

Arg. Mala nonnulla domeſtica refert. Vota non unius generis nuncupat. Mortem Oſiandri & Kulpiſii annuntiat. Literaria quædam ſubiicit.

Dici nequit, qua nuper animi promtitudine complexus ſim redeuntem e peregrinatione difficili M. *Gruberum*, qui, non valere modo *Menckenium*, & memorem mei vivere, retulit, ſed & ſuaviſſimas abs te literas, 2 Iul. exaratas, exhibuit. Erat, fateor, iniucundum plane atque intolerabile prope dixerim huic animo, literaria hactenus conſuetudine tua privari: quod quidem non tam deletæ ex amantiſſimo pectore tuo memoriæ noſtri, quam tot utrimque viciſſitudinibus, adſcripſi. Ceterum non matrem ſolum amiſi anno ſuperiore; ſed & ſolamen curarum mearum, filiolam natu maiorem: denique, ne quid malis deeſſet noſtris, optimam ſocrum, fœminam eximiam, vidi morientem, quæ matris præpropero fato abreptæ partes videbatur obitura. Servet interim te Deus egregio publico, & meo quoque: qui, dum vixero, huic animo tot in me tua merita, illam humanitatem tuam, iſtum patris affectum, excidere patiar nunquam. Idem, quæ Eccleſiæ noſtræ videntur imminere, pericula averruncet, neque ullam inter nos irritationem obtingere

tingere unquam patiatur, quæ aut moleſta Saxonibus, aut magnopere damnoſa, videri poſſit. De feliciſſimo autem unicæ, eiusque dilectiſſimæ, filiæ tuæ cum Excell. *Wichmanshuſio* (quem cum Cl. *Zoega* Lipſiæ habui amicum) coniugio, tibi & coniugi honoratiſſimæ gratulor toto pectore. Videas, precor, & in ulnis olim geſtes, ac ad pectus comprimas, ex tam auſpicato matrimonio nepotum filios, futuri ſenii delicias; neque quidquam ſiniſtri unquam accidat lectiſſimis coniugibus. Impleat Dominus deſideria cordis eorum, &, quam in Eccleſia dignitatem *Carpzovius*, *Greenius*, *Neumannus*, Anteceſſores, conſecuti ſunt, eandem *Wichmanshuſium* nanciſci propediem videamus. Reddat demum poſt iter cum fructu abſolutum Deus O. M. Cl. Filium, cuius eruditiſſimas Diſſertationes avide legi: quem utinam e Galliis reducem Tubingæ ſalutare aliquando liceat: quod quidem futurum omnino confido, ubi, Argentina luſtrata, patriam repetet. Superiore anno 26 Octobris obiit meritiſſimus de Eccleſia univerſa, patria inprimis, Theologus, *Io. Adamus Oſiander*, Academiæ noſtræ Cancellarius. Huius honori datus a me eſt ſermo de eccleſiæ cathedra, ex optimi Viri voluntate, qui me ardenter usque dilexerat. Eius in *Actis* mentio ſæpius

pius eſt facta, exſtantque complura acutiſſimi ingenii monumenta. Meretur inprimis typo exſcribi Paraphraſis Latina in univerſum S. Codicem, quam, ſuamet manu ſcriptam, ſtudio incredibili concinnavit. Plura ἀνέκδοτα in Concione *p. 48* memoravi. Bibliothecam reliquit incomparabilem, quam domi nunc meæ ſervat filius, *Io. Oſiander*, Principum Wirtembergicorum Regentis & nuper Adminiſtratoris (intimæ admiſſionis)Conſiliarius,&Abbas Regiomontanus. Sed & hoc anno 2 Septembris ad plures abiit *Io. Georgius Kulpiſius*, Conſiliarius Wirtemberg. intimus, & Sacri Conſiſtorii Præſes ſupremus, annos vix XLV natus. Eius in *Actis* nomen ſemel iterumque comparet. Dolendum profecto fuit, hunc virum, a literis abſtractum, Aulæ ac legationum negotiis ita fuiſſe diſtrictum, ut veteres elegantias plane depoſuerit. Mirantur plures magni Viri diſceſſum præcocem. Erat is prope unus, cui omnia Aulæ, legationum, Eccleſiæ, ſcholarum, negotia fuere commiſſa: neque una inter nos mutatio notabilis ad eius nutum contigerat, immiſſis in Academiam & ſcholas, quos nemo alius vocaverat. D. *Iægerus*, Abbas Maulbronnenſis, adverſarium nactus eſt *Etenbuſium* quendam. Ille quis ſit, equidem

ignoro.

ignoro. Caveat tamen ſibi ab hoc venatore, cuius mordax eſt ſtilus, & cauſa defendi poteſt. Reſpondebit *Iægerus*, ut audio, & Epiſtolam, ad D. *Zentgravium* ſcriptam, publicabit. Novis ex Anglia literariis tempus ſubceſivum libenter impendam: hoc inprimis rerum mearum ſtatu, quo Moralium Profeſſionem ordinariam aggreſſus nuper ſum, iubente ita Sereniſſimo, ut ne vacillans e tot eccleſiaſticis occupationibus corpuſculum plane concideret. Eam tu provinciam tot annis ornaſti. Quare redeo ad te doctorem, &, me ſalutaribus monitis inſtrui, obſervantiſſime rogo. Vale, & favore tuo proſequi me perge. Tubingæ, 4 Septembr. 1698.

Pag. 135 *lin.* 4 pro *nunc primum editis* legendum: *ex parte nunc primum editis.*

INDEX DISSERTATIONVM,

QVÆ VOLVMINIS OCTAVI PARTE PRIMA

CONTINENTVR:

I. Io. Christoph. Harenbergii Expoſitio Odæ Davidicæ LXVIII, ad Criticam ſacram exacta. Pag. 1-40.

II. M. Io. Salom. Semleri Obſervatio critica de Dialecto Alexandrina, quam Celeb. Breitingerus pro ſcripturæ Codicis Alexandrini & Tigurini ratione habet. Pag. 40-58.

III. Henr. Avg. Zeibichii Animadverſio prior in locum Xenophontis Lib. I de Cyrop. pag. 22 edit. Leunclav. qua Cyaxares, ſuppoſitus Aſtyagis filius, de ſolio regali deturbatur. Pag. 58-86.

IV. Io. Iac. Rejske Coniecturarum ad Herodotum Pars ſecunda. Pag. 86-114.

V. Christoph. Avg. Hevmanni Obſervationum ad Minucium Felicem Ferculum quartum. Pag. 115-134.

VI. Andreæ Adami Hochstetteri, Doctoris olim Tubingenſis, Iter literatum, aliquot Epiſtolis, ex parte nunc primum editis, deſcriptum, cum Præf. F. O. Menckenii. Pag. 135-187.

* * *

Lectori
S. D.
F. O. MENCKENIVS.

Eſt etiam Miſcellanea *ſcribentibus, hoc eſt, humili & inornato habitu ſuam in orbis literati publico theatro perſonam ſuſtinentibus, illud honeſti laboris præmium propoſitum, ut, ſi lectu non inutilia, aut non iniucunda, ſcribant, aliquem, non invitis his, quos rerum ſuarum arbitros & iudices agnoſcunt, inter bene de literis merentes locum occupent. Habet enim ſuum in omni re humana pretium, habet gratiam & ſuavitatem ſuam, habet ad permulcendos animos lectorum magnam vim, varietas; tantum abeſt, ut ob eam minus placere debeant, quæ in ſe etiam, quo commendari poſſint, non omnino nihil oſtendunt. Eſt igitur, cur noſtri etiam nos operis, quantumvis ab illa librorum noſtri temporis ſpecie externa, & magnifico ſplendore titulorum, remoti, minime pudere debeat, ſi, quæ eo continentur, ſunt eiusmodi, ut legi cum aliquo eorum, qui proficere legendo cupiunt, commodo ac fructu poſſint. Sed de hoc quidem alios decet, minime nos ipſos, arbitrari. Nec multum adeo nos commovebimur, ſi ſuo ita inter ſe iudicio diſcrepare intellexerimus Lectores noſtros, ut aliis ſat bonus iſte labor noſter, aliis ſic ſatis tolerabilis, aliis denique aut mediocris, aut ſaltem a mediocri proximus, dicatur. Nam, ne quid eorum, quæ ſunt vera, diſſimulemus, nunquam in mentem nobis venit, eam gloriam, qua exſpectari maior non poteſt, aut quendam in literis principatum, affectare, quippe quem veris ſcientiarum architectis, nos, in colligendis inſtrumentis, aut poliendo ſaltem, non exſtruendo, ædificio, occupati, lubentes relinquimus. Eſt enim omne hoc ſcribendi genus, in quo ante nos cum magna laude verſatos ſcriptores tot excellentes conſtat, ita vel natura ſua comparatum, ut omnibus omnium ætatum & ſtudiorum lectoribus nec ſoleat, nec omnino poſſit, commendari. Nimirum ea nobis in primis placent, ea præ ceteris*

amamus,

timavius, ea maxime conſectamur, quorum ſtudio a pueritia imbuti, & quibus impigre tractandis ita aſſueti longo uſu ſumus, ut præ his alia, quocunque appellentur nomine, doctrinæ genera aut nihili, aut ſaltem perparvi, æſtimemus. Fieri igitur non poteſt, quin ex tot ac tam diverſis Muſæ non unius fœtibus, quos ſeptem Miſcellaneorum Voluminibus *concluſimus, ſatis multi ita ſint ancipitem fortunam habituri, ut ab aliis cupide & cum voluptate quadam, ab aliis cum faſtidio, & quodam fortaſſe cum contemtu, legantur. Quorum cum illos fallere omnino ſuus amor ſtudiumque poſſit, ut, quas alii omnes vident, ipſi nec videant, nec, ſi videant, agnoſcant, maculas; in horum etiam faſtidiis, intempeſtivis ſæpe ac præpoſteris, parum ineſſe, quod noſtræ noceat famæ, videtur. Iudices, qui de vero omnium ac ſingulorum pretio exiſtiment, ſedeant oportet publicis ſuffragiis electi, in omni eruditionis genere ſine controverſia præclare docti, amore odioque vacui, &, quid pulchrum in re quaque & amabile, quid deforme, & ob id abiiciendum, ſit, optime intelligentes. Sed fortaſſe nemo tanti iudicat laborem noſtrum, ut ferendæ de eo ſententiæ cauſa congregandus ſit ſpectabilis Senatus quidam. Pateat igitur omnibus hæc menſa noſtra, & ex appoſitis hic ferculis quisque ſibi, quod ſuo commodum invenerit palato, capiat, ea nec invitis nobis libertate uſurus, quam in communi vita negare nemini ſolemus. Nobis ſatis eſt, convivas habuiſſe, hosque, ſi non omni deliciarum genere ad voluptatem paſtos, at moderato ſaltem victu ſaturatos ad neceſſitatem, dimiſiſſe. Quales ſi nobis etiam deinde hoſpites contigerint, cavebimus, ne ſua eos unquam ſpes deſtituat, nec, liberali a nobis hoſpitio exceptum, eorum quemquam poſſit pœnitere.*

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA,

AD INCREMENTVM SCIENTIARVM,

AB HIS,

QVI SVNT IN COLLIGENDIS ERVDITORVM NOVIS ACTIS OCCVPATI,

PER PARTES PVBLICATA.

VOLVMINIS OCTAVI PARS SECVNDA.

Cum Privil. Regis Pol. & Elect. Saxoniae.

LIPSIAE,

APVD B. LANCKISII HAEREDES,

MDCCLI.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA

AD [illegible]

SCIENTIARUM,

[illegible]

ERVDITORUM [illegible]

ACTIS

[illegible]

[illegible] ATA.

VOLUMINIS [illegible] PARS SECVNDA.

Cum Privil. Regis Pol. [illegible]

LIPSIAE,

APVD [illegible]

[illegible]

I.

IO. CHRISTOPH. HARENBERGII COMMENTATIO IN PSALMVM XXII.

Synopſis.

§. I. *De inſtrumento muſico* אַיֶּלֶת הַשַּׁחַר. II. *De perſonis, quæ cantantes inducuntur, quatuor.* III. *De verbis: Deus mi, Deus mi, quare me dereliquiſti?* IV. *De tempore, quo Oda hæc fuit compoſita.* V. *De voce* כָּאֲרִי *v. 17.* VI *De animantibus* רְאֵמִים *v. 22.* VII. *Tranſlatio Odæ Ebraicæ in ſermonem Latinum.* VIII. *Affunditur lux nonnullis inciſis.*

I.

Autor Ebræus, qui de inſtrumentis muſicis ſcripſit ex profeſſo, in ea verſatus a) fuit opinione, quæ dictitat, deſignari in inſcriptione huius Odæ per *ajielet haſſchachar* illud inſtrumentum muſicum, quod Arabes

a) In Libro *Schilte haggibborim f. 5 col. 1.*

bes vocant b) *Tanbura*, Galli *Taborin*, ſeu *Tambour*, Itali *Tamborino*, Hiſpani *Tamburo* c), Germani *Trommel*, Latini *Tympanum*, ſeu *Taburcinum*. Noſtri ex inveterato errore tympanotribam appellant *Tambur*. Iudæi vocarunt hoc inſtrumentum האירוס d) & טנבורא e) & טברא f). Poſtremam vocem pariter Arabes g) terunt, ſibi familiarem quippe & crebram. Ex *tabl* & *tabla* videtur enata fuiſſe vox *tanbur* & *tanbura*. Hæc vero vox *tanbur*, ſeu *tanbar*, denotat proprie citharam h), quæ, inſignis oblongiore collo, rotundo ventre, fidibus æneis, plectro pulſatur. Interpres Arabs ſubſtituit hanc vocem *tanbur* Ebraicæ voci *kinnor* in *Ex. XXXIII, 19*, licet alias vox *cannarah*, deſignans citharam, chelyn, tympanum, inſtrumentum manu pulſari ſolitum, Arabibus i) haud ſit ignota. Addi poſſent plura, niſi R. *Abrahamo*, de inſtrumentis Ebræorum muſicis commentato, exigua ineſſet fides. Vox enim *ajielet* eſt in ſtatu, quem vocant conſtructum, collocata, nec ſeparatim ſumenda. Subeſſe utrique voci, eique coniunctæ, nomen inſtrumenti muſici, nemo non dabit & concedet. Solet enim

mentio

b) *I. C. Wagenſeilius ad Sotah p. 964.* Altorf. 1674. 4.
c) *Voſſius de Vitiis ſermonis Latini p. 292.*
d) *Sotah IX §. 14.*
e) *Gemara l. c.*
f) *Schabbat f. 10, a.*
g) *Iac. Golius* in *Lexico Arab. col. 1442.*
h) Idem *col. 1486.*
i) Idem *col. 2069.*

mentio eius in fronte Pſalmorum fieri. Nec ex *caprea*, vel *cerva*, *auroræ*, ſeu *nigroris*, commodus elici poteſt ſenſus. Multum itaque operæ B. *Theodorus Haſæus* k) exhauſit, ut inſtrumentum hoc muſicum definiret. Si quid coniecturis fidere licet ac dare, in voce *haſſchachar*, ſeu *haſſhhabhar* videre mihi videor *askoron*; quod vulgo vocatum fuit *Magadis* & *Magada*. Askoron erat l) *quadratum cubitale*, πλινθεῖον πηχυεῖον; chordis ſupra pertractis defixisque inſigne; quibus motis in gyrum reddebatur ſonitus, ſimilis crepitaculorum ſono. Solebat vero ei tibia, vel cornu, adiungi. Chordarum numerus erat plerumque novenarius. Carmina iambica ſolebant ad ſonitum earum cantari m). Motus, quo ſonus edebatur, ad ſacrum cantum pro more factus fuit radendo per digitorum applicationem. Cantabant ad ſonum huius inſtrumenti viri & pueri vicibus alternis; ſæpiusque plures inducebantur perſonæ canentes. Ratio canendi erat talis, ut quidem vox cantantium concordaret, nec differret invicem gradu tertio, quinto, ſexto, aliove diverſo. Itali adhibent vocem *uniſono*, ut modum illum cantandi deſignent. At pueri octavam ſuperiorem ſcalæ muſicæ notam, quam veteres *dis diapaſon* vocarunt, modulando expreſſerunt, viri vero inferiorem. Hæc cantandi ratio in Canonicorum & Monachorum cantibus adhuc eſt in uſu. Numerus

k) *Bibliothec. Brem. Claſſ. I p. 34 ſeq.*
l) *Iulius Pollux IV, 9, n. 2, p. 187.*
m) *Athenæus Dipnoſoph. Lib. XIV p. 636.*

merus chordarum fuit primum exiguus, ſucceſſuque temporum crevit. *Magadis* inſtrumentum fuit ſeculorum vetuſtiſſimorum. Eius fabrica fuit poſtmodum mutata, ac recentius, quod inde enatum eſt, inſtrumentum appellari cœpit *ſambuca*. Qui Ascoron, fidibus expanſis conſpicuum, eique adiunctum cornu, cantui adhibebat, is plectro inter cantum odæ haud utebatur, ſed digitorum, huc illuc errantium, pulſu chordas titillabat, leniterque radebat. Si Aſcoro iuncta eſſet tibia, ipſi nomen erat *μάγαδις αὐλὸς*, *magadis tibia*, & tibia illa tum dici conſueverat *tibia magadidis*. Si igitur *ajielet* eſt *αὐλὸς*, *tibia*, inſcriptio Pſalmi eſt ſat explicabilis; ſin vero *ajelet* eſt cornu, res iterum eſt in expedito. Arabibus certe n) *ajal* & *jalla* eſt *cornu incurvum, retroque flexum*. In nominibus inſtrumentorum muſicorum non eſt reſpiciendum ad radices literaturæ Ebraicæ. Quæ enim appellationes eis ſemel adhæſerunt inſtrumentis, eæ a gentibus ad gentes tranſierunt, licet ſubinde paulo corruptius. Habent Germani, Galli, Itali, & qui non? nomina quam plurima exotica, quibus inſtrumenta muſica deſignantur. Cur vero *tibiam aſcoro iunctam* deſignari credam per *ajielet baſſchachar*, rationes haſce in promtu habeo. Aſcoros eiusmodi, ſeu magadis, cum tibia coniuncta, fuit adhibita cantilenis. Magadis porro Iambicis carminibus ac elegis fuit data comes. Adhibita ipſa fuit carminibus decantandis reciprocis, ſeu antiphonariis, quibus lamen-

n) *Golius l. c. col. 2766.*

lamenta unus cecinit, ac alter conſolationes & gaudia illis adiunxit, quaſi remedio uſurus. Carmen huius generis Græci vocarunt o) ἀντίφθογγον ψαλμὸν, μέλος ἀντίσπαστον, & id ab instrumento muſico Μάγαδαν, Μάγαδιν, appellarunt, & *Oda XXII Davidica* plures exhibet perſonas, quarum una pars calamitates exponit, altera vero opem Dei prædicat, & gloriam Meſſiæ, ad maieſtatis uſum plenum evecti, decantat. Congruunt voces inſcriptionum, Odis *Davidicis* præfixarum, plerumque interventu voculæ עַל, ad vulgatos ſonos, quibus ætas ſeculorum priſcorum inſtrumenta muſica voluit appellare. Aegyptii ſane & Græci plura invenerunt inſtrumenta muſica, quam Ebræi. Et quid de Lydis, Phrygibus, Syris, Chaldæisque, memorem? Et cur tibi refragarer, ſi vel maxime contenderes, nomina אַיֶּלֶת & הַשַּׁחַר eſſe Phœniciæ originis? *Aſcoros* certe & *aulos* e lingua Græca deduci nequeunt. Nomina technica varie pro gentium dialectis fuerunt pronuntiata. Ex eo contigit, ut *tibia* dicta fuerit nunc חליל, nunc אירה, nunc חילה, αὐλὸς; ἔλυμος vero, aliud fiſtulæ genus, ſit nunc אֵלֶם, nunc עֶלֶם. *Iduthus*, aliud tibiæ genus, vocatur nunc עֲדוּד, nunc עֲדוּת, nunc ידותון. Vox שַׁחַר congruit ad שׁוּר *cantandum*. Ut vero reciprocatio cantus indicaretur, *bb* in medio obvium eſt, non *vav*. Arabes reciprocationem vocis cuiuscunque emiſſæ denotant p) interventu verbi שחר. Ad *aſcoron*, ſeu *magadin*,

o) *Athenæus Lib. XIV p. 635.*
p) *Golius col. 1260.*

magadin, reciprocationes cantilenarum, *μέλη ἀντίσπαστα*, erant ita affixæ, ut *magadis* & *pſalmus reciprocans* pro una eademque re haberentur.

II. De inſtrumento muſico ſatis videtur eſſe dictum. Ad perſonas iuvat progredi, quæ reciprocantem cantum edidiſſe exiſtimandæ ſunt. Cantilena earum eſt *ἀντίφωνος*. Si una earum mœrorem ſuum effundit, altera argumentis ſalubribus mœrorem abſtergit lamentanti; ſi una earum dolores & proiectum infra omnes homines ſtatum ſuum graphice delineat, altera viciſſitudinem calamitatum glorioſam prædicat. In Odis plurimis ſacris plures inducuntur perſonæ loquentes. Commentariorum in Pſalmos autores plerumque hoc momentum dimiſerunt intactum. Mirandum ſane eſt, quomodo ipſi, omiſſo hoc momento, haud fuerint offenſi complexu orationis varie interſecto, qui non niſi per attentionem mentis ad diverſas, quæ inducuntur loquentes, perſonas ad debitam intelligentiæ perſpicuitatem adducitur. *Pſalmus*, de quo in præſens tractationem ſuſcepimus, *Davidi* fuit divinitus inſpiratus, eique propterea tribuitur. Quatuor perſonæ inducuntur cantantes. Prima perſona eſt *Davidis*, in calamitate ſuſpirans, ingemiſcens, luctuoſe vociferans, atque inter hæc opis divinæ, patribus in anguſtiis præſtitæ, memor. En lamentationem: *Deus mi, Deus mi, quid eſt rationis, cur me penitus dereliquiſti? Procul a ſalute mea* (a reductione in amplitudinem ſpatii, qua reſpirare queam,) ſunt *verba lamentatio-*

tationis meæ. v. 2. *Numen meum, clamo interdiu, nec* tamen *reſpondes: & noctu* clamo, *nec ſilentium* q) (intermiſſio vociferationis ad te directæ) *mihi eſt.* v. 3. *Tu* es *omnino ſanctus, reſidens inter laudes* ac exultationes *Iſraelidarum.* v. 4. הֲיְלְלָה Arabibus r) eſt laus Dei & veneratio. Huc usque una cantat perſona ſingularis. Invocat ea ſanctum Iſraelidarum tutatorem, Deum triunum. Meſſiæ non ſunt hæc, quippe qui ipſe erat Iſraelidarum Deus & peculiaris defenſor, ideo ſæpius appellari ſolitus Sanctus Iſraelis. Perſonam hanc *Davidis* excipit perſona alia, plurium vicem ſuſtinens. Videtur chorus quidam ſimul concentum ingeminaſſe hunc in modum: *In te fiduciam defixerunt patres noſtri, fiduciam collocarunt* in te ita, *ut eripueris illos inopinantes.* v. 5. פלט Arabibus s) in coniugatione IV eſt idem ac inopinanti ad liberandum ſupervenit. Pergitur v. 6: *Ad te clamorem emiſerunt, & ex improviſo e calamitatibus fuerunt vindicati.* Inſtar rerum lubricarum e manibus contrectantium evaſerunt & exciderunt. Hæc vis & poteſtas eſt verbi פלט t). *In te fiduciam poſuerunt, nec pudore ſuffuſi receſſere,* non fuerunt porro miſeri & infelices u). *v. 6.* Illud *Patres noſtri* non ſpectat ad Meſſiam, nec ad *Davidem*, ſed ad multitudinem eccleſiæ,

N 4 Deo

q) Arabibus *dama* eſt ultimus vitæ motus ac conatus, mortis limen. *Golius col.* 913.
r) *Golius col.* 2565.
s) *Golius col.* 1823.
t) *Golius col.* 2261.
u) *Golius col.* 210.

Deo preces ſupplices admoventis. Hinc intelligitur, in hac Oda plures perſonas induci loquentes. Tum vero ſequitur perſona ſingularis, quæ miſerrimum ſtatum ſuum exponit. Hæc igitur eſt perſona tertia inter eas, quæ inducuntur loquentes. *Inciſum* huc ſpectat *ſeptimum* & *octavum* ita: *Ego omnino ſum vermis*, *non homo validus*, *opprobrium cuiusque*, *& contemtiſſimus de populo. Quicunque me adſpiciunt*, *ſannas proiiciunt evomuntque in me. Variis contemtionum ac ludibriorum ſignis prodendis ſeſe exercent interventu ſermonis. Quaſſant huc illuc caput* præ gaudio de calamitatibus illius, quem oderunt. Præ gaudio nec ſtare, nec caput firmare, queunt. Ita concutiuntur affectus vehementia. Ex eo Arabibus כעש x) virum debilem, flaccum, languidumque, deſignat. En improbitatem Iudæorum, Ieſu Meſſiæ infeſtorum! Hæc ad Meſſiam ſpectare, nemo inficiari auſit. Inducitur porro perſona quarta, irriſorem Iudæum, Meſſiæ illudentem, repræſentans. En eius *v. 9.* verba: *Advolvit ſeſe Deo ſupremo*, hic *ex improviſo e calamitate protrahet eum. Eripiat eum* ex calamitatum vinculis, *ſiquidem acquievit in eo.* Tum vero Ieſus Meſſias inducitur, denuo tam clare & graphice fata ſua luctuoſa recenſens, ut Evangeliſtam *David*, ſpiritu divino afflatus, videatur hoc loco egiſſe. Decurrunt hæc ad *inciſum* usque 23. Hiſce ſubiecta ſunt verba perſonæ ſecundæ, deſignantis eccleſiam Deo devotam, quæ adhortatur omnes

x) *Golius col. 2040.*

omnes ad Meſſiam colendum, ad regnum eius per omnes telluris oras amplificandum, & ad eum undiquaque adorandum. Ab *inciſo 24* hæc incipiunt. In hiſce enim non porro compellat & ſupplex invocat Ieſus exinanitus patrem cœleſtem. Perſona, quæ loquens inducitur, de Mesſia in modum perſonæ tertiæ loquitur, eiusque promerita ſtrictim recenſet, laudesque, ipſi ideo conſecrandas, expromit, ac alios ad eas concelebrandas impellit. Facile hinc eſt intellectu, ab *inciſo 24* ad finem usque *Pſalmi* nec Ieſum, nec *Davidem*, induci loquentem. Hac ratione planum eſt ac luculentum, perſonis conſtare hoc canticum quatuor, *Davide*, eccleſia, Mesſia, & irriſore Iudæo. Cantor, qui eccleſiam exhibet, bis eſt obvius. Eadem ratione Mesſias bis inducitur loquens. Initium facit ipſa *Davidis* perſona. Et hinc quidem ſole meridiano clarius elucet, verba illa, *Deus mi, Deus mi*, non ſpectare ad perſonam, quæ Ieſum Mesſiam, eiusque verba, exhibet.

III. At vero id ipſum momentum pleniori in luce eſt collocandum. Quare expromenda, & cum lectore communicanda, ſunt argumenta, ad ſententiam noſtram evincendam accommodata. Sumo id ſtatim, quod ii haud negant, qui Ieſum fatentur divina gaudere natura. Contendo itaque in limine cauſæ, Ieſum, qua Deum, a patre nunquam potuiſſe deſeri. Una enim æterna & immutabilis, ſibique ſufficientisſima, eſt eſſentia divina, tribus perſonis communis. Filius igitur Dei, qua Deus, nulla calamitate, nul-

lo periculo, nullis doloribus, affici poteſt. Ipſe nullius opis indiget, immutabiliter quippe & æternum beatiſſimus. Ipſe igitur nec deſeri poteſt, nec adiuvari. Quantum vero ad naturam Ieſu humanam attinet, ea per ſeſe haud ſubſiſtit, nec peculiarem exhibet perſonam, ſiquidem unicus eſt Chriſtus, unicus reconciliator; ſiquidem divina Ieſu natura cum humana ſic fuit coniuncta, ut hæc in illius hypoſtaſin fuerit aſſumta. Hæc coniunctio, hæc *unio*, eſt indiſſolubilis, nec unquam divelli poteſt. Ex ea unione conſequitur communicatio proprietatum, & communicatio inprimis divinarum perfectionum cum natura humana, quandoquidem non divina per humanam, at humana per divinam, perfectior reddi potuit. Unionis illius initium ſitum eſt in ipſo initio naturæ Ieſu humanæ, intra uterum *Mariæ* Virginis ſacratum conceptæ. Finis illius unionis nunquam exiſtet, ſiquidem Ieſus Chriſtus permanebit idem ad omnem perpetuitatem, & æternum a ſuis coletur, *Rom. VI, 9, Ebr. XIII, 8, Ap. I, 18, V, 13.* Hinc porro colligitur, humanam Ieſu naturam a gratia unionis cum filio Dei nunquam fuiſſe divulſam, nec unquam diſſolutum iri. Hac igitur ratione deſeri haud potuit Ieſus, ut unio illa perſonalis fuerit ſublata. Id quidem negari haud poteſt, pleno perfectionum uſu Ieſum ſe ad tempus abdicaſſe; at inde tamen haud efficitur, unionem hypoſtaticam & fluentem proxime ex ea communionem naturarum per illam abdicationem ad tempus deſiiſſe. Ex communicatione naturarum pendet quam proxime communicatio idiomatum ita, ut perfe-

ctiones

ctiones filii Dei in ſanctiſſimam Ieſu hominis naturam redundent, & attributa, operationes ipſas, ac paſſiones, humanæ Ieſu naturæ filius Dei pro ſuis reputet, atque cum homine Ieſu unam eandemque perſonam conſtituat. Si igitur homo Ieſus intra tempus illius abdicationis non fuit nudus & ſolus homo, ſed homo in hypoſtaſin divinam aſſumtus, in eadem ſubſiſtens, & cum filio Dei in una eademque perſona inſeparabiliter coniunctus; inde ſequitur, Ieſum intra illius abdicationis tempus nec phyſice, nec moralem in modum, a Deo potuiſſe deſeri. Non potuit filius Dei a patre deſeri phyſice, eo quod eſſentia, utrique & Spiritui ſancto communis, nulli viciſſitudini eſt obnoxia. Non potuit Ieſus homo a filio Dei phyſice deſeri, eo quod unio hypoſtatica utriusque perſonæ ſemper perſtat indiſſolubilis. Operationes vero utriusque naturæ ſunt invicem ita communicatæ, ut fluant per ſe ex communione naturarum, & hæc nitatur unione hypoſtatica. Eam ob cauſam Ieſus homo nunquam excusſit poſſesſionem communicationis attributorum & operationum divinæ naturæ. Quare nec Ieſus homo phyſice a Deo deſertus fuit unquam. Quis enim illum credet a Deo deſertum, qui nunquam non tenet posſidetque attributa divina per conſortionem ac participationem? Eum dicimus moralem in modum deſeri, cui quædam erant promiſſa, quorum ipſe poſtea ſentit defectum, eo quod promiſſa illa haud fuerunt impleta. Quis tam effrons & effrænatus erit rerum æſtimator, ut ſibi perſuadeat, Deum pro-

miſſa ſua violare? Quis contendet, id, quod pacto divino de redemtione generis humani fuerat ſtabilitum, a Deo fuiſſe mutatum, vel interverſum? Siccine veracitas Dei eſt nota? An fuit ullum tempus, quo Ieſus homo nullam ſenſit operationem filii Dei, vel Dei etiam Patris? Edidit ipſe in ipſa cruce & corporis morte miracula. Abdicaverat itaque Ieſus homo ſe non *omni* uſu communicationis idiomatum divinæ naturæ. Hinc ſequitur, ipſum nunquam prorſus caruiſſe operationibus, quæ ex hac communicatione emanant, quantum ad ipſum uſum attinet. Id ipſum, quod ex enuntiatis veris beneficio ratiocinationum collegimus, clare docet ſacer Codex. Ieſus Meſſias ipſe ſic de ſeſe y) iudicat: *Propoſui ſemper Iehovam ob oculos meos, ipſe enim a dextris mihi eſt præſto, ne dimovear.* Reſpexit Ieſus incontinenter ad Iehovam, eiusque certam ſpectavit opem, eo eventu, ut reſpiciendi illa actio haud fuerit fruſtra. Fiduciam ſuam Ieſus in patre collocavit ſemper. *Pſ. XVIII, 3.* Preces ipſe, lachrymas, & clamores, die calamitoſisſimo dedicavit patri, inſtar ſacrificii, atque exauditus fuit a Patre, eo quod Deum honore afficere haud deſiſtebat. *Ebr. II, 7.* Cuius annuit petitis Deus, eum haud deſerit, verax quippe & fidus. Cui Deus adminicula, fini obtinendo apta, iam ſuppeditata, ſubtrahi permittit, eum dicitur *deſerere.* At ad finem, quem Ieſus venerat conſecuturus, per eas vias ipſe devenit, quas præviderat, quas noverat, quas ſuſcipere

y) *Pſ. XVI, 8, Act. II, 25.*

pere voluerat. Quis, quæſo, eum hoc ſenſu a Deo derelictum fuiſſe exiſtimabit? Et quis ignorat, Deum ſuos nunquam deſerere, ſed ipſis in ipſa tenebroſisſima mortis valle eſſe præſto. At vero, inquies, Ieſus ipſe in cruce exclamavit: *Deus mi, Deus mi, quare me dereliquiſti?* Excitavit omnino Ieſus exordium *Pſalmi Davidici XXII.* At illud exordium ſpectat ad *Davidem*, ad incitas redactum. Additur enim illico a perſona alia, quæ loquens inducitur, hoc ſalutis argumentum: *Patres noſtri te confiſi ſunt.* Quis non facile animadvertit, hæc ad omnes Iſraelidas quadrare, qui in partem illius calamitatis venerant, quæ paullo ante fuerat deplorata? Quis contendere audebit, Iſraelidas in partem perpesſionum & dolorum Ieſu veniſſe? In partem ſatisfactionis vicariæ Ieſu ipſi venire nec poterant, nec cupiebant. Calamitates, Ieſu incumbentes, Iudæis placebant, tantum abeſt, ut ipſi liberationem eius cordi habuerint, in id potius intenti, ut *Barabbam* liberarent, & occiderent Ieſum. Secutus igitur eſt Ieſus modum allegandi oracula divinioris libri, inter Iudæos triſtisſimum. Laudabant ipſi verba prima & præcipua, ubi ad reliqua capita expendenda, ad momenta doctrinæ, quæ in contextu conſequenti aperiuntur, animum & quaſi digitum intendebant. Sic noſtri ſæpius provocant ad dictum: *Sic Deus dilexit mundum*, & nihil præterea addunt, ſignificaturi, credentes in Chriſtum fore æternum ſalvos. Eadem ratione Apoſtoli ex illo *Pſalmi II* dicto: *Tu es filius meus, hodie*

genui

genui te; comprobarunt excellentiam & reſurrectionem Chriſti. *Act. XIII, 33, Ebr. I, 5, V, 5.* Nervus argumenti, ut reſurrectionem Ieſu inde evincamus, ex illis verbis allegatis atque excitatis per ſeſe exſculpi cogique haud poteſt. Enunciata, quae conſequuntur, in cenſum ſimul vocanda ſunt. Deus enim filio, pater unigenae, aeternum per actionem ſingularem immanentem, eamque ſempiternam neceſſariamque, genito, qua ſponſori ac mediatori gentes omnes in haereditatem & terras omnes ad ultimos usque fines addixit in peculium, ut in eas dominatum exerceat ita, ut, qui ipſum haud ſuſcipiunt in regem, pereant in via. Excellentia inde Chriſti prae angelis intelligitur, quippe quibus Deus humanum genus haud ſubiecit in peculiare regnum. Reſurrectionis Chriſti veritas inde comprobatur, ſiquidem regnare non poteſt, niſi qui vivit. At Chriſtus, in Iudaea conſpicuo modo haerens, in omnes terras non eſt dominatus. Nec regnavit ita in morte. Et, hanc ipſum oppetiiſſe, nemo negavit. At decuit ipſum in terras omnes regnum capeſſere. Ergo debuit ex decreto Dei reviviſcere. Reſurrectio univerſalis huc haud ſpectat, quippe quae finem regnandi in ſingulas telluris partes & earum homines ſecum trahit & affert. Ergo, Chriſtus ſingularem in modum paullo poſt mortem in vitam rediret, oportebat. Haec & talis fuit Apoſtolorum argumentatio, ſuo pondere ſuaque vi praeſtans omnino & excellens. Eadem ratione omnium Evangeliſtarum & Apoſtolorum allegationes, e V. T. petitae,

niſi

niſi brevior & recta via ſit aperta, defendi, ac in luce collocari, poſſunt. Eadem ratione verba illa Chriſti, *Deus mi, Deus mi*, non ſpectant ad id, quod ipſe erat ſignificaturus. Niſi enim ipſe fiduciam in Deum Patrem collocaſſet, eiusque opem fuiſſet expertus, ei eo ipſo tempore animam ſuam, veluti optimum depoſitum, haud tradidiſſe. Completa erant tunc pæne omnia perpeſſionum momenta, quas Chriſtus ex pacto redemtionis exantlavit. Cantaverunt Iudæi eo die in templo Hieroſolymitano *Pſalmum XXII*. Prædicatæ erant in eo *Pſalmo* ſingulæ actiones, quas Iudæi tunc in Ieſum conceperant ac deſignaverant. E re & ſalute Iudæorum erat, animos illuc applicare. Remiſit igitur Ieſus Iudæos ad *Pſalmum*, ipſis triſtiſſimum, ut penſitarent ipſi æſtimatione ſecreta vaticinium *Davidis*, quo Meſſias fuerat inductus loquens & exponens ipſam perpeſſionum ſuarum molem, atque diras illas actiones, quas die illo ferali in Ieſum exercuerant Iudæi, ac ſolicitati ab hiſce Romani. Non immoror in præſens illi quæſtioni, an Karæi die uno prius ederint agnum paſchalem, quam Iudæi ceteri. Ipſa non admodum pertinet ad tractationem noſtram. Si tamen, ea, quæ ſunt geſta & facta, conſuetudinem vulgatam tenuiſſe, certum eſt, donec id, quod a regula receſſiſſe dicitur, locupletiſſimis teſtimoniis comprobetur; non poſſum non mihi perſuadere, omnes Iudæos ea tempeſtate celebrandum feſtum paſchale die eodem inchoaſſe. Evangeliſtæ profecto ne hilum quidem diſſenſionis, quæ Iudæis inter ſeſe

de definiendo paſchalis feſti initio intercesſerit, meminerunt. Crediderim, diſſenſionem eiusmodi, ſi qua fuiſſet, in ipſam de Ieſu morituro ſententiam aliquid disſidii fuiſſe illaturam. Si quando enim ob primores diſſentientes incertum vulgus in ſtudia ſcinditur contraria, materies disſidii ſolet ultra terminos vagari. At in Synedrii aſſeſſoribus & vulgo, illos aſſectante, tunc mira conſpiratio & concordiæ imago viguit. Denuo igitur affirmo, Ieſum remiſiſſe Iudæos ad *Pſalmum XXII* meditandum, qui prima luce paſchali decantabatur; ut ipſi in memoriam calamitatum ſuarum, divinitus prædictarum, redirent. Sententiam hanc iam *Maturinus Veiſſierius de la Croze* & *Iſaacus de Beauſobre* mihi præiverunt. Et ea ſola nodum extricat, quem Antiſcripturarii nobis hic nectunt ac obiiciunt.

IV. *Davidi* Oda hæc fuit inſpirata, eum de malis, ſibi illatis, ac ea, quam patiebatur, deſertione, cogitaret, Deique expeteret opem, ac exemplo perpesſionum, gloriæque, eas inſecuturæ, fulciretur, quas Mesſias erat toleraturus, quam Mesſias erat reportaturus. *David* fuit ita de glorioſo calamitatum ſuarum exitu præmonitus, & ſolatio uberrimo ſublevatus. Incidunt hæc in id tempus, quo *David* per *Abſolomum* coactus fuit Hieroſolymis & ſede regia excedere, quo ipſe ſibi a Deo hominibusque videbatur deſertus. Agnovit id ipſum Vir Celeberrimus, *Chriſtophorus Auguſtus Heumannus* z). Nolim vero Pſalmum

z) *Diſp. de Pſalmis medicis p. 636 Tom. I Sylloges P. III.*

mum omnem ad *Davidem*. ſenſu literali trahere, myſticoque ad Meſsiam. Nam diverſæ inducuntur in Oda perſonæ. Meſsias inducitur ſuas ſibique proprias calamitates exponere, quæ ſunt eiusmodi, ut in *Davidem* haud quadrent. Non enim *Davidis*, ſed Meſsiæ, manus pedesque fuerunt transfoſsi *v. 17*. Veſtimenta Meſsiæ, non *Davidis*, ſortito fuerunt diviſa *v. 19*. Ad ſolum Meſsiam hæc diviſio, per ſortem facta, ſpectat. *Matth. XXVII, 35, Io. XIX, 24.* Meſsias, non *David*, nactus fuit regnum, per terras gentesque omnes diffuſum. *v. 28*. Regnum hoc vocatur regnum Iehovæ, ne dubitemus, eum, qui calamitatibus fuit glorioſe ſuperſtes, eſſe Iehovam. Quæ hic de Meſsiæ glorioſo ſtatu ediſſeruntur, non ad alium, ac Meſſiam, ſpectare, auctor eſt *Paulus Ebr. II, 12.* Id pro ſolatio erat *Davidi*, quod Meſsias, ex eius poſteris naſciturus, ſimilibus maioribusque calamitatum molibus erat ſeſe ſubiecturus, paullo poſt maxima gloria decorandus. Ut enim filius *Davidis*, Meſſias, generatim ſimilis fuit ſtatui *Davidis*; ita *David* imaginem Meſſiæ generatim in ſtatu calamitatis & gloriæ exhibuit ſpectandam. An Odam literis *David* conſignaverit inter æſtus calamitatum, an eam in monumenta retulerit, victoria potitus, ac in ſedem repoſitus regalem, non quæro. Utrumque videtur affirmari poſſe. Nonnihil enim aliquando *David*, ſcriptis iam rum, addidit poſthæc Odis ob decantationis muſicæ momenta, lætitiæ redditus, licet rebus ipſis ſenſuique Odarum nihil detraxerit. Inde nonni-

hil differentiæ ortum eſt in *inciſis nonnullis*, quæ tamen additio rem ipſam & ſenſum haud mutat, teſte una & altera Oda, quæ bis in Veteri Inſtrumento legitur. Sive autem ſenſu myſtico, ſive literali, verba illa: *Deus mi, Deus mi, cur me dereliquiſti*, ad Meſſiam trahamus, id tamen utrinque reſtat pro certo, Meſſiam in cruce a Deo patre ac eſſentia divina non fuiſſe deſertum. Exſpirat illa inconvenientia in eo, quem dedimus, modulo expoſitionis, quo iis ſimul obviam itur, qui ex hac deſertione Meſſiæ admiſſa in ſcrupulos prolapſi ſunt, erroresque admiſerunt nefarios. Exemplo ſit *Bertoldus de Rorbach*, Germanus, qui Seculo XIV Herbipoli varia docuit, quæ eiurare fuit coactus. Spiræ, in dogmata eiurata relapſus, traditus fuit magiſtratui, ac A. 1359 igni eſt publice combuſtus, teſtibus *Nauclero* & *Mutio*. Docuit ipſe a) inter alia, Chriſtum in cruce ſic fuiſſe a patre derelictum, ut præ nimio dolore de ſalute animæ ſuæ dubitaverit, atque maledixerit matri virgini Mariæ, nec non terræ, quæ ſanguinem ſuum ſuſceperit. *Rorbachius* pravam adhibuit ratiocinationis formam, haud multum abludens a quibusdam Iudæis, qui, auditis illis verbis, *Eli*, *Eli*, ſcurriliter indicarunt, Ieſum in eo eſſe, ut Eliam advocaret. An ex hac ſcurrili illuſione poſſit tuto concludi, invocationi Sanctorum Iudæos tunc fuiſſe ita addictos, ut eam Deus in ipſis approbaverit b), in præ-

a) *Natalis Alexander H. E. Sec. XIV Cap. 3 Art. 17 p. 109.* Pariſ. 1699, fol.

b) Sic docuit Emin. *Proſper de Lambertinis Tomo I de Servorum Dei Beatificatione & Beatorum Canonizatione Cap. XII §. 2 p. 87.*

præſens haud vacat quærere. *David* certe, in ſummas conjectus anguſtias, & *Abſolomum* fugiens, ad ſolum Deum ſuum ſeſe preceſque ſuas convertit. Deus ipſi promiſerat regnum perenne, ratione ſtirpis, & perpetuum, ſi vitam *Davidis* reſpexeris 2 *Sam. VII*, 12, 16. Hanc promiſſionem videbatur Deus ſuſtuliſſe, *Abſalomo* regnum occupante. Eapropter *David* ingemuit: *Quare me deſeruiſti?* At haud deſiit *David* eſſe Rex, nec ipſe regnum, licet paullulum collabefactus, amiſit. Deus ei datam ſervavit promiſſionem, eamque inter imagines calamitatum, quibus *David* ſuccumbens, ad tempus videbatur ſibi a Deo, eiusque promiſſione, deſertus, non violavit. Id ipſum ſtatim meminit *David*, memor ſanctitatis Dei ac opis, patribus, Deo fretis, inter vexationum mala præſtitæ. Ita *David* ſtatim ad auxilium divinitus certoque ſperandum ſeſe erexit. Ita Chriſtus, diriſſimis plagis appetitus, fiduciam in Patrem non ſepoſuit, quia ob omniſcientiæ ac præſcientiæ non deficientem poſſeſſionem norat eventum perpeſſionis exantlatæ glorioſiſſimum, promiſſo Dei innitentem. *Matth.* XVI, 21, *Luc.* XVIII, 31 - 33, *Matth.* XXVI, 64.

V. Diſputatum diu eſt inter Theologos, an Iudæi vocem כָּאֲרִי *v*, 17 corruperint. Patres Græci, qui ignorabant fontes Ebraicos, non valuerunt hævos & adiectiones translationis Græcæ Alexandrinæ tueri adverſus Iudæos. Nodum itaque illi non ſolverunt ſcienter, ſed ſecuerunt enſe *Alexandri*, confugientes ad duriora quævis;

& Iudæis corruptionem fontis Ebraici exprobrantes. Ea conſuetudo tranſiit ad doctores c) eccleſiæ, quotieſcunque crux Criticorum in fontibus Hebraicis incidebat. Eo ſuffugio multi doctorum Chriſtiani orbis, ad hanc vocem commentati, uti conſueverunt. Nubem ſic ſentientium produxit B. *Auguſtus Pfeifferus* d), quibus adiungendi ſunt *Antonius Hulſius* e), & *Daniel Gerdeſius* f). Poſterior, ad conſuetudinem Iudæorum quorundam accedens, vocem כארי exponit per voces *ſicut ille leo*, ſcilicet *Pilatus*. Vox vero illa eſt participium prius in Kal, abiecto Mem. Aleph reſidet ibi ex veteri punctatione, ut alibi, qua longius *a* per Aleph inter conſonantes exprimebatur. Ita legitur שָׁאטִים *Ez. XXVIII*, 24, pro שָׁטִים. Ita legitur רָאֲמָה *Zach. XIV*, 10, pro רמם. Mem vero in fine pluralis numeri maſculini ſubinde fuit abiectum, ut in *Creti* & *Pleti*, in לַכָּרִי *2 Reg. XI*, 4, 19, pro לַכָּרִים, alibique. Forma Chaldaica pluralis numeri in fontibus Hebraicis non eſt inſolita g). Chaldæi autem כְּאַרְיָן habent

c) *Raymundus Martinus* in *Pugione fidei P. II Cap. III p. 222 ſeq.* Lipſ. 1687, fol.

d) In *Dubiis vexatis ad h. l.* loco LX *p. 577 ſeq.* & *Exerc. VIII Decadis ſelectæ, Dubiis* ſubiunctæ, *p. 170 ſeq.*

e) In *Pſalterii Davidis* Editione nova Lugd. Batav. 1650, 12, ad *Pſ. XXII*, 17.

f) *Miſcellan. Duisburg. Faſc. III n. 10, Supplem. ad Nova Erud. Acta Tom. II Sect. 1 p. 47.*

g) M. *Bartholomæus Mayer* in *Philologia ſacra P. I Cap. II p. 76 ſeq.* Lipſ. 1629, 8.

bent pro כָּרִים ex כָּאַר, ſiquidem pro קָם habent ſuum קָאם. *Dan. VII, 18.* Abiico Mem in fine, tunc cetera ſunt in expedito. Verbum כּוּר h), כָּרָה, eſt *fodere, transfigere. Catinus*, כּוּר, in ſuperiori parte eſt effoſſus & apertus, æque ac כּוֹר, *corus*, aridorum menſurà maxima. Perſidis Regum tiara, ex inferiori parte perfoſſa quaſi & excavata, dici conſueverat ex *kur* & *byſſa* kyrbaſias i), kyrbaſia. Alexandrinus Interpres Græcus voci *kaari* ſubſtituit ſuam ὤρυξαν, *foderunt*, teſtis ſententiæ, ætate ſua admodum tritæ. Quamprimum vocem *kaari* per illud *ſicut leo* convertimus in Latinum, enuntiati totius plana & explicabilis ſententia intercidit. Suffecerint hæc inſtituto noſtro.

VI. De animantibus רְאֵמִים fit mentio *v. 22.* Animans *reem* Iſraelidis notum fuerit oportet, Arabibus nomen illud ſatis eſt familiare, Iudææ confinibus & lingua ſemper uſis, quæ ad Hebraicam in vocibus radicum indicibus admodum congruit. Arabs Damir *orygem* vocat *rim*, & *oryges* appellat *aram*. Conſonat Paraphraſta V. T. Chaldæus uterque antiquiſſimus, qui *reem* vocat *rimana*. Talmudicis doctoribus placuit vocare oryga *kares*. Docent ipſi, Karſin eſſe ſpeciem capreolarum ſilveſtrium. *Reem* eſſe *unicornem*, voluere Græci interpretes Alexandrini & Vulgatæ auctores, quos hoc loco alibique ſæpius recentiores Interpretes cum *Luthero*

 ipſo

h) *Golius col. 2078.*
i) *Pollux Onomaſt. VII, 13. Heſychius* in Κυρβασία.

ipſo ſecuti ſunt. Oryges enim olim k) credebantur unico præditi eſſe cornu. *Ariſtoteles* hanc opinionem per terras plurimas diffudit. Ipſe enim ſic docuit l); Μονοκέρων δὲ καὶ διχηλὸν, ὄρυξ. *Unicorne vero, idemque biſulcum, animal eſt oryx.* Auctoritas *Ariſtotelis*, ſiquidem ipſe *Alexandri Magni* fuit præceptor, orbem faſcinavit. Quis vero credet, Philoſophos excellentiores ævo illi defuiſſe? Num *Philippus* digniſſimum & præſtantiſſimum filio magiſtrum delegerat? Falſum utique eſt, orygi unum modo eſſe cornu. Ægyptus & Libya orygibus quidem abundant m), at hi duobus, interdum quatuor, cornibus ſunt armati. *Paulus Lucas* n) de eis ex inſpectione ſua prodidit iſthæc memoriæ: *Inveniuntur in Ægypto multæ feræ capræ, ſeu damæ, quas ſcriptores priſci vocarunt orygas. Ipſæ plerumque agminatim tranſcurrunt montes. Quantum ad pilos & caudam attinet, ſimiles ipſæ ſunt capreis. Anteriores pedes ſunt perbreves, & pedibus cervorum, inter abietes obviorum, conſimiles. Collum, barba vacuum, eſt longum ac atrum. Cornua prominent recta ad apicem usque extremum, qui paullulum eſt incurvatus. Sonus, quem edunt, haud abſimilis eſt ſono, quem edunt capræ noſtræ.* Indi quondam Regibus ſuis quotannis donarunt

k) *Cholin f. 59, 2.*
l) *Hiſt. Animal. Cap. I p. 851 de partibus animal. III, 2, p. 1147.*
m) *Ælianus Hiſt. Animal. VII, 8, XIV, 16.*
n) *Itinerum P. II p. 172.*

narunt o) orygas quadricornes, qui Regibus fuerunt ſpectaculo, invicem pugnantes, ac alter alterum proſternentes. Duo oryges valent tanto robore, ut currum movere & agitare queant. Sunt, quorum magnitudo accedit ad taurorum magnitudinem. Hos capros ſilveſtres ac montanos, cornupetas, efferos & pugnaces, *Vulgatorum* Bibliorum auctores appellarunt *unicornes*, *Devt. XXXIII, 17, Num. XXIII, 22, Iob. XXXIX, 12, Eſ. XXXIV, 7*, atque hoc loco. R. *Salomo Iſaacides, damam* ſubeſſe, putat, non prorſus a ianua aberrans. Cornua orygum erant ſymbola victoriæ multiplicis ex hoſte. *Pſ. XCII, 11.* Oryx enim ad mortem usque animantibus, ſibi repugnantibus, reſiſtit. *Pſ. LXXVIII, 69, Iob. XXXIX, 12, 13.* Orygum cornua, in numis Pyliorum p) & alibi obvia, fuerunt potentiæ excellentis ſymbola.

VII. Agite, accedendum eſt tandem ad translationem Odæ divinioris Latinam. Nonnihil lucis ad eam ex illis, quæ iam ſunt dicta, redundaturum eſſe, arbitror.

1. *Præfecto Muſices* (ſacræ) tractanda eſt *ad inſtrumentum muſicum, cui nomen eſt Ajielet basshhabbar, cantilena, Davidi auctori inſpirata.* Probabilem attuli (*§. I*) coniecturam, ut illud inſtrumenti definirem.

2. Perſona *Davidis* inducitur cantans hunc in modum: *Deus mi, Deus mi, quid eſt cauſa, cur me dereliqueris? Procul* abſunt *a ſalute mea*

o) *Ælianus XV, 14, 15.*
p) *Hub. Goltzii Num. T. III Tab. 10 fig. 5.*

verba lamentationis meæ, inquietem, nec exſa-
tiatum animum, indicantis.

3. *Numen venerabile meum*, *clamo de die, nec reſpondes*; clamo *de nocte, nec quies mihi eſt*. Non intermitto te orare opem, licet petitis meis nondum annuas.

4. *Tu utique es ſanctus, ſedem nactus ac tuens inter laudationes, quas Iſraelidæ tibi impartiunt*. Huc usque *David*.

5. Sequitur perſona alia, quæ totum refert populum Iſraeliticum. *In te fiduciam collocarunt patres noſtri*, ipſi omnino *fiduciam ſuam haud intermiſerunt*, *& eripuiſti illos* e calamitatibus *inopinantes*.

6. *Ad te vocem ſtrenue emiſerunt, & calamitates effugere valuere: in te fiduciam defixerunt eo eventu, ut ſtatu lætiori fuerint affecti.*

7. Excipit eam perſona tertia, & ea Meſſiæ. *Et ego ſum vermis, nec viribus valeo*, ſum *opprobrium cuiuscunque, & deſpicatiſſimus populi.*

8. *Omnes, qui me adſpiciunt, ſannas in me evomunt, variis ludibriorum ſignis prodendis ſeſe labello exercent*, immo *quaſſant huc illuc caput* præ gaudio, irriſioni iuncto.

9. Succedit perſona quarta, deriſionis plena. *Advolvit ſeſe Deo ſupremo.* Hic *ex improviſo e calamitate eum protraxerit. Eripuerit eum, ſiquidem acquievit in eo.*

10. Redit perſona, Meſſiam referens. *Tu me eduxiſti ex utero, fiducia plenum me reddens ad ubera matris meæ.*

11. *Verſus te iuſſus fui eſſe coniectus inde ex viſceribus*, quibus latui incluſus: *inde ex utero matris meæ* ſuper te coniectus fui. *Tu es Deus meus*, princeps omnium.

12. *Ne te ſubduc mihi procul, ſiquidem calamitas; me in anguſtias coniiciens, inſtat. Omnino non eſt, qui opem ferat*, inter homines. Hi enim univerſi me infeſtant.

13. *Circumdederunt me iuvenci multi. Validiſſimi* taurorum *Batanea corona me cinxerunt.* Cidaris metuenda!

14. *Diſtenderunt erga me os ſuum*, tanquam *leo, rapinæ dilacerandæ inhians & rugiens.*

15. *In modum aquæ profuſus ſum, & ſepararunt ſeſe oſſa mea. Eſt cor meum inſtar ceræ liqueſcentis intra viſcera mea.*

16. *Exaruit inſtar fictilis teſtæ vis mea, & lingua mea agglutinata eſt palato faucibusque meis, ac pulveri mortis adiudicaſti me.* Virgilius: *Vox faucibus hæſit.*

17. *Omnino circumdederunt me canes* (homines impudentisſimi), *turma iniquitati operantium circumſederunt me. Perfodiunt manus meas pedesque meos* illi iniquitatis exercendæ adiutores.

18. *Numerare valeo ſingula oſſa mea. Ipſi ad ſpectandum ſe parant, fruuntur adſpectu, quo in me feruntur.*

19. *Diſpertiuntur inter ſeſe veſtes meas, & quantum ad veſtem ſuperiorem meam attinet, proiiciunt ſortem* de eius poſſesſione.

20. *Tu vero, Deus, ne procul eſto. Prin-*

ceps meus, ad opem mihi ferendam, quæſo, feſtina.

21. *Vindica, quæſo, me a gladio, & ex ore canis vindica eam, quæ mihi eſt unica.* Deſignat matrem, quam præcipue & unice in numero hominum dilexit. Plerique animam credunt denotari, alii eccleſiam.

22. *Ad liberam reſpirationem me deduc ex ore leonis, & ex cornibus orygum me allocutione tua exime.*

23. Beneficiis gratiarum actio eſt ſubiungenda. *Recenſebo nomen tuum* (beneficia, quæ mihi præſtitiſti, infinita,) *fratribus meis. Inter cœtum* tibi *ſacratum* ſtudioſe *in laudibus tuis enumerandis occupatus ero.*

24. Redit perſona ſecunda, eccleſiam referens. *Vos, qui Iehovæ reverentia ducimini, ſtudioſe laudate eum* (Meſſiam). *Vos, quotquot eſtis progenies Iacobi, gloriam eius veneramini: & timete eum paventes, quotquot eſtis progenies Iſraelis.*

25. *Statum conſtrictum & anguſtum non deſpicatui habet, nec averſatur ſtatum afflictum calamitoſi, nec procul eſſe patitur vultum ſuum* (benignum) *ab eo, ſiquidem illi, ipſum invocanti, deſiderata impertit.* De vocula כי, ſic initio inciſi poſita, expoſui iam alibi in his *Miſcellaneis Vol. VI P. I p. 6 ſeq.*

26. *Ex argumento de ea eſſentia, quæ tu es, laudatio mea* conſtabit *in cœtu magno. Vota mea perſolvam inſpectantibus eis, qui illum reverentur* (Meſſiam),

27. *Cibo haud deſtituentur egeni, immo potius ad ſatietatem usque implebuntur. Laudabunt Iebovam, qui quærunt & conſultant ipſum.* O vos beatos, qui eſtis tales! *Vivet & recreabitur animus veſter ad perpetuitatem usque.*

28. *Preces ſupplices afferent & convertent ſeſe ad Iebovam omnes telluris oræ extremæ. Immo, obedientiæ in documentum, procumbent adorantes in conſpectu tuo* (in honorem tuum) *omnes familiæ gentium.* Affectus magnitudo reſpectum allocutionis commutat.

29. *Omnino Iebovæ proprium eſt boc regnum, & ipſe dominatur in gentes.*

30. *Edent & procumbent adorantes omnes, copia rerum affluentes in terra, in conſpectu illius. Incurvo corpore reverentiam teſtificabuntur omnes, qui in pulverem deſcendunt, & is, cuius animam Deus non recreavit.* Mors Meſſiæ tantorum beneficiorum eſt cauſa.

31. *Poſteritas colet ipſum in modum ſervorum. Commemorabitur* id *in bonorem Domini ſupremi populo, ex eadem familia egreſſo.*

32. *Venient* poſteri & *divulgabunt ſapientem eius benignitatem multitudini* hominum *in lucem ſuſceptæ. Omnino* eam *exbibuit* benignitatem mortalibus, ideoque reverentiam, obedientiam, & laudes, promeruit. Ipſe fecit.

VIII. Intellexit *Raimundus Martini* q), per tranſennam ſpectans, in *inciſo ſecundo* id haud memorari, quod expoſitio affert vulgaris. En eius verba: *Non quæſivit boc Chriſtus a Deo ſuo*

q) *Pugio fidei P. III Diſt. 5 c. 16 p. 677.*

ſuo ignorando, vel conquerendo, vel Deum arguendo; ſed ut audientes excitaret ad ſalubrem ſuæ paſſionis conſiderationem & fidem, cuius prædictus Pſalmus expreſſiſſimam continet qualitatem. Mirum id ſane eſt, quod Iudæi, hanc Odam ad Mesſiam ſuum congruere, negantes, non viderunt, ipſam genuino Mesſiæ noſtro convenire. Si quid coniecturis dandum eſt, noluerunt Iudæi ingens ſuum nefas agnoſcere, quod in Ieſu noſtro ludificando & interimendo admiſerunt. Id enim vivis coloribus in hoc *Pſalmo* eſt delineatum. Illud ſane obſcurum eſt, quod in *Midraſch Tillim ad Pſ. LXXV, 11*, cornua orygum, quorum fit mentio in *Pſalmo XXII, 22*, vocantur *cornu Ieruſalem*. In *Echa Rabati ad Thren. II, 3*, cornua orygum illa vocantur *cornu ſanctuarii*. Omnino ſynedrium & Iudæi infeſtarunt Ieſum Mesſiam efferis orygum cornibus. Miſerabile omnino fuit ea ætate ſanctuarium, ſi illud cornua orygum ad vim faciendam adhibuit. Si vero libet originem erratorum, quæ in translationes huius Odæ pasſim propagata ſunt, perſpicere, nos ad Interpretem Alexandrinum Græcum, ex quo vetus Latina Italica facta eſt, accedere decet. Nævus iſte eſt Alexandrini perpetuus, quod vocem למנצח converterit per *εἰς τὸ τέλος, ad finem*. Loco inſtrumenti muſici, *ajielet haſſhhahhar*, poſuit *ἀντίληψιν τὴν ἑωθινήν, auxilium matutinum*, ſeu *eoum, v. 1.* Iudæi iam olim hic variarunt. Alii nomen *ajielet* per *robur*, alii per *cervam*, alii per *opem*, alii per *inſtrumentum muſicum*, quod haud

haud valuerunt definire, expoſuerunt. Robur & virium principatus alibi dicitur אֱיָל & אֱיָלוּת Pſ. LXXXVIII, 5, XXII, 20. At ea ſignificatio hic in cenſum haud venit. In *inciſo ſecundo* inſertum eſt in exemplaribus nonnullis poſt ὁ Θεός μου, ὁ Θεός μου, illud πρόσχες μοι, *animum ad me attende*. Non niſi gloſſema eſt hoc Grammatici, contextum ſuppleturi expoſitionis cauſa. Vetus translatio Italica & Evangeliſtæ, ac fontes Hebraici, ſuperfluum id gloſſema repudiant. *Inciſo tertio* vocem שַׁאֲגָתִי Alexandrinus convertit in παραπτώματά μου ſenſu prorſus perverſo. Verbum שאג ad leones *rugientes* proprie ſpectat. Ac inde ad lamentationes hominum inquietas transfertur. Credidit Alexandrinus, cum rugitu leonum, prædis inhiantium, conferri peccata. In *inciſo tertio* לֹא דוּמִיָּה לִי idem viſum eſt Alexandrino ac οὐκ εἰς ἄνοιαν ἐμοί. Videtur hic ſubeſſe mendum, ac legendum eſſe οὐκ εἰς ἄνεσιν ἐμοί, *non ad remiſſionem animi mihi quidquam ſupereſt*. Silentium in ruditatem & mentis vacuitatem transferri haud poteſt. *Inciſum quartum* Alexandrinus ita fecit Græcum: *Tu in adyto*, ἐν ἁγίῳ, *ſedem habes*, *laus Iſraelis*. Accentus expoſcunt aliam prorſus interpretationem, eamque, quam dedimus, confirmant. Alexandrinus, moræ impatiens, qualitercunque ſenſum aſſequi ſtuduit. *Inciſum quintum*, facilius quippe, recte transtulit Alexandrinus. Idem de *inciſo ſexto* eſt pronuntiandum. De *ſeptimo* idem facio iudicium. Vox בָּזוּי per ἐξουθένημα

fuit

fuit reddita. Malui formam participii *paul* ſequi, faſſus, ſenſui utrinque nihil decedere. In *inciſo octavo* verbum יַלְעִגוּ reddiderunt Alexandrini per ἐξεμυκτήρισαν, *naſo ſuſpenſo irriſerunt.* Res ipſa fuit ſignificata, non vis vocis propria. Indicatur enim per verbum Hebraicum aliquid amplius, ſcilicet ſtudium, per alios facetos & ridiculos ſanniones ludibriis aliquem exponendi. *Inciſum nonum* habet in limine גֹּל. Videtur id poſitum eſſe pro גָּלַל, ut ſenſus ſit, *advolvit ſe Iehovæ.* Alexandrinus habet ἤλπισεν ἐπὶ Κύριον, *ſperare non intermiſit in Iehovam.* Senſui ita nihil ademtum, emphaſi vocis Hebraicæ excepta. Illud חָפֵץ בּוֹ eſt *deamat illum, ille oblectatur, in eo acquieſcit.* Nimium fere hebraizat Alexandrinus, qui iſthæc reddidit θέλει αὐτόν. In *inciſo decimo* illud עַל שְׁדֵי אִמִּי reddidit Alexandrinus ἀπὸ μασῶν τῆς μητρός μου, ut crediderit, idem dici ac *inde ab eo tempore, qua a matre mea fui lactatus.* At indicatur tempus, quo quis a mammis ſuæ matris adhuc pendet. *Inciſo undecimo* perſpicuitatem Alexandrinus reſervavit intactam. In *inciſo ſequenti* reddidit אַבִּירֵי בָשָׁן per ταύρους πίονας, *tauros opimos*, ſenſum ſequens, non affectatus voces. Fœcunditatis ac ubertatis notio voci apud Arabas r) etiam adhæret. Ut vero אַבִּיר & כַּבִּיר apud Ebræos eandem excellentiæ, potentiæ, & magnitudinis, notionem trahunt; ita vox כבר Arabibus s) eſt tritior,

r) *Golius col. 4.*
s) *Golius col. 1994.*

tritior, eidem poteſtati ſubiecta. In *inciſo decimo quarto* nil eſt, quod notem. Idem de *inciſo decimo quinto* liceat pronuntiare; nec non de *decimo ſexto*. Egregia eſt illa metaphraſis, ἡ γλῶσσά μȣ κεκόλληται τῷ λάρυγγί μȣ, *lingua mea agglutinata eſt laryngi meo.* Nam דבק eſt *gluten* & *glutinare*. Illud *v. 17* כארי *ſunt fodientes*. Alexandrinus optime id convertit in ὤρυξαν, & Targumiſta in *momorderunt*. In *inciſo decimo octavo* Alexandrinus codex habet ἐξηρίθμησα, quod reſpondet Hebraico אֲסַפֵּר, ideoque eſt retinendum, ac ſubſtituendum voci ἐξηρίθμησαν, quæ in vulgaria exemplaria irrepſit. Illud vero יִרְאוּ בִי complectitur notionem *videndi cum voluptate*, nec ſatis exhauſtum eſt per illud ἐπῖδον μȣ. *Inciſum decimum nonum* fluit congruenter fontibus. In *inciſo vigeſimo* accentuum ratio ab Alexandrino fuit neglecta, & אֱיָלוּתִי redditum per βοήθειαν, *auxilium*. At ſubeſt notio t) eius, quod principium & principatum conſtituit, ideoque eſt potentiſſimum. Illud חוּשָׁה, *feſtina*, Alexandrinus reddidit per πρόσχες, *attende*, affectus magnitudinem non aſſequens ſatis. Affectum miſericordiæ & opis Arabes u) verbo miſcent, immo avidum rei ſtudium. In *inciſo vigeſimo primo* vocem יְחִידָתִי, *unicam meam*, Alexandrinus convertit in τὴν μονογενῆ μȣ, ſequens ſpecialem ſignificatum præter neceſſitatem. Videtur ipſe dilectiſſimam eccleſiam ob oculos habuiſſe. In *inciſo*

t) *Golius col. 187 ſeq.*

u) *Golius col. 607 ſeq. 613.*

inciſo 22 *reemim*, orygas, in *monocerotas* convertit. Occaſionem erroris ſupra deteximus. Vocem עניתני habuit pro ענותי, ſiquidem eam transtulit per *ταπείνωσίν μȣ*, *humiliationem meam:* aut perſuaſit ſibi, legendam ibi exſtare vocem עֲנִיתָן, quæ tamen nusquam reperitur. In *inciſo* 23 non eſt, quod artem criticam moretur. In *inciſo* 30, nam reliqua ſunt in expedito, legitur *ἡ ψυχή μȣ αὐτῷ ζῇ* loco huius enuntiati, *& is, cuius animam non recreavit.* Eiusmodi homo ſimilis eſt ei, qui in pulverem, ſacco indutus, ſe demittit ob mœrorem. Utraque miſerrimorum hominum imago in fontibus Hebraicis fuit coniuncta. Alexandrinus ibi pro לא legit לו, eo quod in Auctoris ſententiam ſtatim haud valuit pervenire ac penetrare. Ultimum illud כִּי עָשָׂה Alexandrinus traxit ad populum, *quem* Deus *fecerit*. At Auctor Hebræus indicat, Deum eſſe, qui excellentiſſima illa facta, quæ præmittuntur, in effectum perducat, & quis ille ſit, cui tanta beneficia ſint in acceptis ferenda. Arduum ſane eſt interpretis officium, multum ei inſit oportet acuminis, rationis, & linguarum peritiæ, ne offendat usquam, ne libertate ſua abutatur, ne ſubſtituat obſcura, vel aliena. Patientiam is afferat & adhibeat oportet, ne levi brachio rem expediat. Nulla litera ei eſt negligenda. Nulla vox diligentiam eius debet præterire. Cœlum, aër, terra, beſtiæ, venti, pluviæ, arbores, frutices, lapides, maria, flumina, regiones, montes, valles, campi, ritusque Palæſtinæ ac regio-

num circumvicinarum ei haud ignoti ſint neceſſum eſt. Niſi theocratiæ & theologiæ dogmaticæ moralisque ac utriusque incrementorum ratio ei ſit perſpecta, ſcopo ſuo excidet, & paleas tritico immiſcebit. Nonnihil horum requiſitorum paſſim defecit Alexandrino interpreti. Nihilo minus multa ipſe egregie in Græcum vertit. Stilus, quo uſus eſt, nobis eo magis debet eſſe tritus & familiaris, quod is in Novo Inſtrumento creberrime recurſat, & huius arva rivis Alexandrinis uberrime ſunt imbuta. Ex *Odu Davidica XXII* in Inſtrumento Novo ad verbum repetitur *inciſum ſecundum Matth. XXVII, 46, Marc. XV, 34.* Repetitur æque *inciſum undevicesimum Matth. XXVII, 35. Marc. XV, 24, Luc. XXIII, 34, Io. XIX, 24.* Repetitur ex translatione Alexandrina *inciſum viceſimum tertium Ebr. II, 12.* Illud κεκράξομαι, *ſtudio clamandi occupatiſſimus ero*, in N. T. eſt non inauditum, ex *v. 3, Luc. XIX, 40.* Illud, quod *inciſo nono* legitur, nuda & mera eſt irriſionis formula, quæ repetitur *Matth. XXVII, 43*, excepto, quod *Matthæus* pro ἤλπισεν ἐπὶ κύριον, quod eſt apud Alexandrinum, poſuit hoc πέποιθεν ἐπὶ τὸν Θεόν. Eadem illa irriſionis formula uſi ſunt contra Ieſum, in cruce pendentem, vel ſuffixum potius, ſacerdotum primarii, ſcribæ, ſeniores populi, ac turba, ad exemplum peccans. Unus latronum, in crucem actus ad Ieſu latus, degenerum horum mortalium ſarcasmos haud faſtidivit. Quid ad hæc reſpondit Ieſus? Remiſtit irriſores ad *Pſalmum XXII*, ubi irriſionis

 illius

illius formula, myſteriſmus & ſarcaſmus ille profanus, illa capitum quaſſatio, illa labiorum ad probra emittenda exercitatio, liquidiſſime & graphice erat perſcripta. Qui ſeriem eventuum ac irriſionum, & illam Ieſu, eis ſubiunctam, allegationem *Pſalmi XXII*, probe apud *Matthæum* perpendunt, illi cogitatis ſuis vim inferent, niſi expoſitionis noſtræ telam ſequuntur. At quando deerunt nobis cenſores & irriſores? Ieſus ipſos habuit frequentiſſimos, in ſe inſurgentes. Mirum foret profecto, ſi ipſi defuturi eſſent mihi, experto ipſorum artes per omnem vitæ decurſum, quibus ne ſuccumberem, ad altiora ſubinde eniſus fui firmamenta. At Ieſus pœnas luit alienas, ipſe innocentiſſimus. Nemo in contentionem hac ratione adduci poteſt cum eo, nullus hominum cum eo in partem vicariæ ſatisfactionis venit. De irriſoribus, in Ieſum iniquis, dicitur *v. 8:* Ἐκίνησαν κεφαλήν. Eadem dictio de illis irriſoribus repetitur *Matth. XXVII, 39, Marc. XV, 29.* Dictio ἐκ κοιλίας μητρός *v. 11* recurrit *Matth. XIX, 12, Luc. I, 15, Act. III, 2, XIV, 8, Gal. I, 15.* Unde facile patet, quid ſit κοιλία *Phil. III, 19*, ſi conferas loca *Luc. XI, 27, II, 21, I, 44.* Leo rugiens, λέων ὠρυόμενος, recurrit ex *v. 14* *1 Petr. V, 8.* Ἀντίληψις eſt *auxilium* eius, qui parti labanti manum captantem opponit, *1 Cor. XII, 28.* Ταπείνωσις, *ſtatus humillimus*, *v. 22*, recurrit *Luc. I, 48, Act. VIII, 33, Phil. III, 21, Iac. I, 10.* Φοβούμενοι κύριον *v. 24* ſunt in N. T. proſelyti, σεβόμενοι τὸν θεόν, *Act. X, 2, 22, XIII, 16.* Ἐμπλῆσθαι,

ad

ad ſatietatem edere ac bibere, *v.* 27 recurrit *Io. VI*, 22. Πατριαὶ, *familia*, *v.* 28, recurrit *Luc. II*, 4, *Act. III*, 25, *Eph. III*, 15. Γενεαὶ, *populus ab una ſtirpe deſcendens*, legitur *v.* 31, & *Matth. XI*, 16, &c. Qui Deo confidunt, ὀυ κατῃσχύνθησαν *v.* 6. Idem confirmatur eodem verbo *Rom. IX*, 33, *X*, 11, 2 *Cor. VII*, 17, 1 *Petr. II*, 6. Cera τήκεται, *liqueſcit*, *v.* 15. Ea, quæ arſura ſunt, dicuntur τηκόμενα 2 *Petr. III*, 12. Dicitur calamitas eſſe haud procul, θλίψις ἐγγὺς, *v.* 11. Ita dicitur tempus eſſe prope, *Ap. I*, 3, *XXII*, 10, *Luc. XXI*, 30, *Matth. XXIV*, 32. Liberatio ex ore leonis *v.* 22 occurrit. Eadem recurrit 2 *Tim. IV*, 17, *Ebr. XI*, 33. Adorationis cultum alicui corpore proſtrato exhibere, eſt προσκυνεῖν ἐνώπιόν τινος *v.* 28. Eadem dictio repetitur *Ap. XV*, 4, *III*, 9. Quanta autem effloreſcet ſeges dictionum conſimilium, ſi Alexandrinorum voces & dictiones ſingulas ad Inſtrumentum Novum Græcum contenderis? Oſtenderunt eam affinitatem & concordiam haud pauci. Vereor autem, ne ad libros apocryphos V. T. & ad ipſum *Ioſephum* ac *Philonem*, quantum ſatis eſt, reſpexerint. Magnum hic reſtat maris æquor arandum. Apparent rari nantes in gurgite vaſto. Quapropter multa poſteris noſtris ſpicilegia ſunt reſervanda. *Iſaacus de Beauſobre* primus fuit, qui, ut annotationes Novi Inſtrumenti translationi Gallicæ adiungeret ſolidas, apocryphorum V. T. formulas loquendi ac dictionem cum ſcriptura Inſtrumenti Novi contulit ex profeſſo. Eſt, qui *Philonem* iam in

in partes vocat, ſucceſſu egregio haud cariturus.

II.

GOTTLOB FRIDERICI GVDII,
A. M. ET V. D. M. LAVBANI,

DE

PRETIO, QVOD HVMANIORIBVS LITERIS STATVERVNT PATRES,

COMMENTATIO HISTORICO-LITERARIA, AD ILLVSTRANDA HEVMANNI VERBA, IN CONSPECTV REIPVBLICÆ LITERARIÆ

Cap. IV §. 15.

I.

Quorum in *purioris doctrinæ vindicias* iure meritoque adhuc ſuſpicimus merita, eorum quoque in *humaniores literas* amorem atque ſtudium laude proſequi, æquum eſſe duco atque iucundum. Quam ob rem *pretium, quod humanioribus literis laudati eccleſiæ Patres ſtatuerunt*, memoria nunc repetere iuvat. Hos enim ſolidioris eruditionis aſſertoribus annumerandos eſſe, in *Conſpectu* ſuo *Reipublicæ literariæ Cap. IV* §. 15 & ſequentibus indicavit *Heumannus*, graviſſimus illius ſenator, *Exorta luce Evangelii*, inquiens, *nec Chriſtiani literas neglexere, videntes ſcilicet, ſine iis nec defendi ſatis poſſe religionem Chriſtianam, conſervarique,*

vique, nec impugnari ethnicam. Unde, qui præter ceteros in omni literarum genere verſati erant, vacabant ſcriptis apologeticis. Ac dignum obſervatu eſt, eccleſiam primos ſuos ſcriptores doctrina inſignes accepiſſe ab ethnicis, Juſtinum Martyrem, Theophilum, Athenagoram, Tertullianum, Minucium Felicem, Cyprianum, Arnobium, Lactantium.

II. Ecquis vero eſt, qui neſciat, *Patrum* nomine eos inſigniri viros, qui per *priorem* a Chriſto nato *Seculorum pentada*, cui *ſextum* etiam *Seculum* nonnulli addunt, cœtui ſacro præfuerunt, illumque docuerunt. a) *Humaniores* autem *literas* ſtrictiori ſenſu accipimus, quo non niſi eas artes complectimur, quæ ad expoliendas vires, quibus brutis animalibus præcellunt homines, *rationem*, inquam, & *orationem*, quam maxime faciunt b). Haſce, inquam, artes a *Pa-*

a) Doctores enim ſuos, eosque non *Epiſcopos* modo, ſed *Presbyteros* quoque, *Patres* antiquioris ævi homines ſalutabant, docente *Binghamo* in *Originibus eccleſiaſticis Vol. I p. 76.* Recentiori autem ætate eos civitatis tantum ſacræ antiſtites *Patrum* nomine indigitamus, qui *quinque*, vel *ſex*, prioribus a C. N. Seculis docendo & ſcribendo floruerunt. Videatur *Buddei Iſagoge ad Theologiam univerſam p. 555.*

b) *Ciceronis* & *Gellii* ætate univerſa eruditio *humanitas* dicebatur, &, qui eruditioni operam navaverant, *humani* audiebant, obſervante *Heumanno* in *Actis Philoſophorum P. VIII p. 221.* *Teſtis* enim *eſt hiſtoria*, eodem docente in *Conſpectu Reipublicæ literariæ p. 262 §. 53, gentes illas; in quibus literis ſtrenue navata fuit opera, & fuiſſe, & nominari conſueviſſe, ceteris moratiores.*

tribus nullo modo neglectas, ſed magno cum fervore excultas, aliisque commendatas & traditas fuiſſe, præſenti Commentatione ſuculentius ediſſeram. Utinam aures arrigerent, & reſipiſcerent, quibus Chriſtianorum primitiæ *rudioris plebis colluvies*, & *fæx ignari vulgi*, fuiſſe videntur, atque dicuntur; iniqui *Celſi*, *Iuliani*, & *Porphyrii*, ſectatores, qui ruſticitatis & ignorantiæ primævos Chriſti cultores accuſaverunt, ab *Hieronymo* in *Catalogo illuſtrium virorum* maſcule refutati c). Quamvis enim primi ſacræ civitatis ſtatores & doctores neque humanis armis, neque ſcientiis, uſi fuerint, ut Chriſti cultores convocarent; divino afflatu ſat ſuperque inſtructi, ut officii ſui partes felici cum ſucceſſu obire valerent d); eorum tamen ſucceſſores, divino illo afflatu deſtituti, ſcientias non aſpernati fuerunt, ſed in uſus ſacros eas converte-

c) Legatur *Præfatio*, quam *Catalogo* huic præmiſit; cuius ſub finem dictos adverſarios hortatur, *ut una cum ſectatoribus ſuis diſcant, quanti & quales viri eccleſiam fundaverint, exſtruxerint, & adornaverint, eamque ob rem deſinunt fidem noſtram ruſticæ tantum ſimplicitatis arguere*. Videatur quoque *Origenes* in *Apologia R. C. p. 315* verſionis *Moshemianæ*, & *Kortholtus* in *Pagano obtrectatore p. 157*.

d) *Divinam* ſcilicet, monente S. R. *Moshemio* in *Inſtitutionibus H. C. maioribus Sec. I. p. 226*, *providentiam decuit, opera primum eorum ad cæleſtis doctrinæ amplificationem uti, quos imbelles, & arte non minus, quam ingenio, vacuos, fuiſſe conſtat, ne poſteri concitatum eius curſum humanis potius viribus & copiis, quam divinæ potentiæ, adſcriberent.*

verterent, ut divinioris doctrinæ inimicos iisdem confoderint. Nec infauſto cum eventu. Purioris enim doctrinæ nitorem cum humaniorum literarum nitore plus vice ſimplici una ſtetiſſe, & cecidiſſe, ſuperioris ævi monumenta loquuntur.

III. Equidem non heri, aut nudius tertius, de *religionis Chriſtianæ & eruditionis ſocietate* ineunda dubitatum fuit. Barbariei enim patronos *Seculum* a C. N. *ſecundum* iamiam tulit. A quibus haud multum alieni fuerunt, qui *humaniores literas, quamvis vel non prorſus eas damnaverint, ſecularium artium* nomine inſigniverunt. At vero turpiter ſe dederunt omnibus, &, eruditionis, quam vituperare auſi fuerunt, genuinam rationem ſemet ipſos ignoraſſe, manifeſtarunt. Et quem, quæſo, ignotæ rei cupido te-

P 4

e) Obſervante Celeb. *Heumanno* in *A. P. T. I P. II p. 318*, & in *Conſpectu R. L. p. 88*, nec non *Moshemio* in *Inſtitutionibus H. C. antiquioris p. 156. Hoc iam tempore*, inquit poſtremo loco citatus Auctor, *infelix illud bellum inter religionem & philoſophiam, inter pietatem & eruditionem, exarſit, quod per omnia deinde ſecula ad noſtra ductum eſt tempora, nec reſtingui facile, quicquid etiam agamus, poterit.* Illuſtravit ſeditionis huius partem *Io. Henr. Heideggerus* in Diſſertat *de Gnoſticorum & Gnoſimachorum hæreſibus contrariis, T. IV num. 10 Diſſertat. ſelectarum p. 568.* Quæ noſtra ætate ſtudiis, eorumque officinis, ſcholis, inquam, obiecta fuerunt, diluerunt *Adam. Rechenbergius* in Diſſertat. *de Origine & uſu ſcholarum contra Thomam Hobbeſium*, Lipſ. 1684, & *Io. Conrad Bæckmannus* in *Vindiciis ſcholarum in R. P. neceſſariarum*. Vitemb. 1709.

teneat, & ferat? Ergo neque genuinam eruditionem impune laceſſiverunt. Pro illius pretio & emolumento ſtrenue dixerunt & pugnarunt *Patres*, divinioris doctrinæ vindices, f) ab illis nullo modo relicti, veſtigia eorum preſſerunt, & ſalutarem, quam illi profeſſi fuerunt, doctrinam hodieque tuentur. Quamvis enim *humaniores literæ* a profanis hominibus fuerint tractatæ; tamen non erat, cur ipſas literas tanquam *profanas* & *ſeculares* averſarentur, Chriſtiano homine indignas. Per abuſum earum uſus earum non tollebatur. *Paulus* ab iis audiendus fuiſſet, qui 1 *Tim. IV*, 4, ſapienter docuit: ὅτι πᾶν κτίσμα Θεȣ̃ καλὸν, καὶ ȣ̉δὲν ἀπόβλητον, μετὰ εὐχαριστίας λαμβανόμενον. Ἁγιάζεται γὰρ διὰ λόγȣ Θεȣ̃, καὶ ἐντεύξεως.

IV. Laude igitur ſua non ſunt defraudandi, quos adhuc *eccleſiæ Patres* laudamus. Nævorum licet tam in *ſentiendo*, quam in *dicendo*, & *ſcribendo*, ab iis commiſſorum, eos haud abſolvamus g). Quorum tamen plurimos *ſeculi*, quod

f) Videatur *Origenis* laudata *Apologia R. C. p.* 315 verſionis *Moshemianæ*, & *Adami Rechenbergii* Diſſertat. *ad illud Tertulliani: Hæreticorum Patriarchæ Philoſophi*, Lipſ. 1705.

g) *Hoc plerorumque Patrum eccleſiaſticorum*, iudice *Heineccio* in *Fundamentis ſtili cultioris p.* 141, *vitium eſt, ut etiam, cum docere volunt, concionentur, magisque perſuadeant, quam iuſtis demonſtrationibus convincant.* A vero quomodo in ſentiendo aberraverint, recenſet poſt alios *Stollius* in *Vitis Patrum IV priorum Seculorum.* Multos tamen errores dicendi

quod vixerunt, *aſperitati* potius, quam ipſorum ſocordi ignorantiæ, tribuendos eſſe, non ſine cauſa nobis perſuaſum habemus. Per illam enim ſeculi iniuriam neque profanis Auctoribus ad illam ſapiendi & dicendi ſublimitatem adſcendere licuit, quod ſuperiori ævo Romanæ pariter ac Græcæ eloquentiæ principes attigerant h). Quam ob rem non ſine iure exiſtimamus, æquitatis leges requirere, ut lyncei illi Patrum cenſores & inhumani irriſores progreſſus ſuos in ſcientiis & dicendi arte ſeculi ſui felicitati magis in acceptis referrent, quam *Patribus* nævorum notas ſemel atque iterum inurerent. Quippe quos vel *Hieronymus* ſua iam ætate perſpexit, & candide profeſſus eſt i). Præterea eloquentiæ

dicendi potius obſcuritati, quam animo ipſorum, concedendos eſſe, cum *Dalléo de vero uſu Patrum pag. 139* credamus.

h) *Exemplo ſit Seneca*, inquit *Heineccius l. c. p. 144, qui, declamatorio dicendi genere uſus, miram præ ſe fert ſapientiæ ſpeciem: & tamen, ſi, remotis involucris, propius eum inſpicias, non demonſtrationes invenies, ſed acumina quædam parum ſolida, non res, & veritates, ſed verba ſonora, i. e. fulgur e pelvi, vereor, ne idem dicendum ſit de plerisque Patribus eccleſiaſticis, quibus nimius Oratoriæ amor impoſuit.* Conferatur quoque *Clericus* in *Arte critica p. 346* edit. Lipſ.

i) *Victorinum* enim, *Cap. 74* laudati *Catalogi* ſui perhibet, *non æque Latine, ac Græce, noviſſe. Unde opera eius grandia ſenſibus viliora compoſitione verborum viderentur.* *Fortunatum* quoque *Cap. 97 brevis & ruſtici ſermonis* accuſat. *Gregorium Bæoticum Cap. 109 mediocri ſermone ſcripſiſſe*, non diffitetur

quentiæ veniam ſæpius efflagitat materia, quam ſibi ediſſerendam ſumſerant *Patres* k). Novas enim & profanis dicendi magiſtris inauditas res auditoribus ſuis proponentes, nova quoque dicendi forma, noviſque vocabulis, opus habebant. Interim eruditionis laudem ſibi ſat ſuperque aſſeruerunt, quod vel frigida minusque caſta eloquentia ſua idolorum cultores in anguſtias feliciſſime redegerint, ut, qua tandem ratione idolorum ſuorum auctoritati conſulerent, eamque ſalvam præſtarent, iis haud ſupereſſet.

V. Equidem in vindiciis *Patrum*, quas puriori doctrinæ dederunt, ἀκρίβειαν doctrinæ ſuæ veritatem demonſtrandi deſiderant acutiores ſcriptorum iudices l). Feliciores malæ cauſæ aggreſſo-

tetur. *Gelaſium* e contrario *accurati & limati ſermonis auctorem fuiſſe, Cap.* 130 teſtatur.

k) Quo argumento Cel. *Blackwallus* in *Auctoribus ſacris claſſicis p.* 40 & 50, divinorum ſcriptorum dicendi rationem vindicaturus, utitur. *Videbatur*, docente *Inchofero* in *Hiſtoria ſacræ latinitatis p.* 57, *genuina Romani ſermonis maieſtas humilitatem generis Chriſtiani averſari; niſi & Chriſtiani horrore quodam repudiaſſe putarentur, quaſi talibus humanæ ſapientiæ fulcris niti nollent; ut credi poſſet, eccleſiam, Latino ritu fundandam, latinitate velle carere.* Alienam ab his ſententiam fovebat *Iuvencus*, de quo *Hieronymus* ad *Magnum* ſcripſit: *Iuvencus Presbyter ſub Conſtantino hiſtoriam domini Salvatoris verſibus explicavit, nec pertinuit, Evangelii maieſtatem ſub metri leges mittere.*

l) Id quod nec *Hieronymum* latuit, qui *Epiſtola XIII ad Paulinum* optat: *Utinam tam noſtra confirmare potuiſſet, quam facile aliena deſtruxit!* Uberius illud

greſſores, quàm bonæ cauſæ aſſertores, illis audiunt. Quin imo ſpuriis ſæpe argumentis veritatem magis prodidiſſe, quam defendiſſe, dicuntur. At vero venia haud indigni et in hac re ab aliis iudicantur, qui *apologias* illorum ad ſcopi, quem ſibi præfixum habuere, amusſim revocant m); ſcilicet, ut idolorum, quæ colebant pagani,

lud argumentum proſecutus eſt S. R. *Baumgarten* in *Exercitat. hiſtor. theologica de Patrum primitivæ eccleſiæ feliciori ſucceſſu in profliganda gentium ſuperſtitione, quam in confirmanda doctrina Chriſtiana.* Derivavit hunc nævum 1) *ex ignorantia ſacrarum linguarum*; 2) *ſobriæ Philoſophiæ*; 3) *ex nimio Philoſophiæ neoterico-Platonicæ amore; per quem intempeſtivas plane allegorias ſolidiorum loco interpretationum in Scriptura venati fuerunt.*

m) Hunc in modum vindicavit *Patres Cœlius Secundus Curio* in Dialogis *de amplitudine regni cœleſtis p. 144, Eſt autem*, inquiens, *oratoris officium prudentis, & providi, ut, ſi in refellendo adverſario firmior eſſe oratio, quam in confirmandis noſtris rebus, poteſt, omnia in illum tela conferamus; ſin noſtra facilius probari, quam illa redargui, poſſunt, abducere animos à contraria defenſione, ut ad noſtram conemur traducere. Quod cum ita ſe habeat, non mihi videtur vitio dandum divino homini, atque oratori Chriſtiano, eſſe, ſi plus operæ in refellendo, quam in probando, poſuit. Nam cauſa noſtræ religionis ea eſt, quæ non humanis argumentis, aut inventis, confirmanda ſit: ſed fide divinoque inſtinctu amplectenda*, &c. - - - - - - *Quo fit, ut, ſi quis falſum diligenter refutaſſe inventus ſit, is muneri ſuo ſatis feciſſe videatur. Neque tamen non confirmavit veram religionem Lactantius, quomodo iis, qui ſacras literas aut ignorarent, aut contemnerent, confirmanda erat.*

pagani, vanitatem docerent, & Chriſtianorum ſacrorum calumniatoribus os obtunderent, apologias ſuas conſcripſerunt, putantes, fore, ut, honore idolorum debellato, & doctrinæ ſuæ veritate confirmata, proniores exiſterent pagani ad caſtra ſua mutanda, & ad locum veritati relinquendum. Sed non eſt, cur huic docendi rationi vindicandæ diutius immoremur, cum *illud*, quod in *Patribus* deſiderari diximus, *humaniorum literarum* ſtudio & amori nihil deroget, quo illos flagraſſe, affirmatum imus.

VI. Et, ut dictis noſtris pondus addamus, iure meritoque provocamus ad *profectus, quos hisce in literis iam fecerant profanis ſacris addicti*, & quibus demum probe tincti *Chriſto* nomina ſua dederunt *Patres*. Integerrimos Chriſtiani cœtus antiſtites novimus *Philoſophiæ* pariter ac *eloquentiæ* operam antea dediſſe, quam *Chriſti* ſacris ſubſcripſerunt. *Ariſtidem*, accepimus, *Athenis* Philoſophum eloquentiſſimum fuiſſe; eademque laude *Iuſtinum* inter profanos inclaruiſſe. *Tatianus* autem artem rhetoricam non modo didicerat, ſed inſigni quoque cum applauſu docuerat. *Pantænus*, Stoicæ Philoſophiæ ſtudioſus, *Chriſti* ſigna iam ſecutus, *ſecularis literaturæ* calentiſſimus audit. *Minucius*

erat. Nam, cum primis tribus Libris adverſariorum errores ſuperſtitionemque refutaſſet, tres alios quaſi oppoſuit ſequentes, quibus ſuſceptam cauſam graviter appoſiteque confirmat. His porro ſeptimum adiunxit, ut verum finem oſtenderet noſtræ religionis, atque ad præmium immortalitatis omnes invitaret.

cius Felix cauſas dicendo in Romano foro omnium oculos & laudes in ſe converterat. De perorandi arte præceperant *Cyprianus*, *Malchion*, *Arnobius*, *Lactantius*, *Victorinus*, *Afer*, antequam *Chriſti* ſacris adſcripti erant. *Maximus* denique philoſophicam Cynicorum ſcholam cum *Chriſti* præceptis commutavit n). Eruditionem igitur ſuam, quam extra *Chriſti* caſtra iam fuerant adepti, tanquam Ægypti ſpolia in civitatem ſacram laudati modo viri intulerunt, eiusque commodis conſecrarunt.

VII. *Chriſti* deinceps ſacris initiati, tantum abeſt, ut *literis*, quibus antea imbuti erant, *nuncium miſerint*, *ut eas potius ſtudio & amore fuerint proſecuti, & ad ſanctioris doctrinæ propagationem converterint*. Audiamus inſtar omnium *Lactantium*, qui *Lib. I Cap. II* de ſemet ipſo perhibet: *Multum nobis exercitatio illa fictarum litium contulit, ut nunc maiori copia & facultate dicendi cauſam veritatis peroremus. Quæ licet poſſit ſine eloquentia defendi, ut eſt a multis ſæpe defenſa, tamen claritate ac nitore ſermonis illuſtranda, & quodammodo ediſſerenda eſt, ut potentius in animos influat, & vi ſua inſtructa, & luce orationis ornata.* Id quod orationis flumen hodierni quoque *Lactantii* lectores adhuc mirantur, eumque prudentem *Ciceronis* imitatorem fuiſſe, una cum *Clerico*

n) Videatur de horum virorum eruditione *Hieronymus l. c. Cap. 23, 29, 36, 58, 67, 71, 79, 80, 101*, diverſus a *Victorino Petavionenſi*, de quo dixit *Hieronymus Cap. 74 & 127.*

Clerico profitentur o). *Pallii* ne quidem *philoſophici* pudebat *Ariſtidem* & *Iuſtinum*, ſed, eodem tecti, *Chriſtum* colebant p). Tanta igitur cum verborum ubertate, tantoque cum pondere, myſteria ſacra eloquebantur, & de iis tanto cum acumine disputabant, cum eloquentiæ præceptis inhærerent, quæ in profanis ſcholis antea perceperant. Fabulis omnino annumeramus, quæ de *Hieronymi* ſomnio circumferuntur, per quod a *Ciceronis* lectione revocatus fuiſſe dicitur q). Neque exiſtimamus, *Auguſtinum*, manſuetioribus literis ſe puerum fuiſſe formatum, deploraſſe, ſed, quod, eas percipiens, ſanctioris diſciplinæ expers manſerit, in vitiis candide poſuiſſe r). Quandoquidem literarum ſtudia, quæ a teneris didicerant, ſanctioribus uſibus nunc dicata, *Deo*, rationis & orationis auctori, non poterant diſplicere, cui vel ſpolia, tabernaculo ſuo exſtruendo impenſa, non ingrata fuere.

VIII.

o) Videatur eiusdem *Ars critica* P. III *Sect.* I *Cap.* 17 §. 20, & Cel. *Walchii* Diatribe *de Lactantio, eiusque ſtilo*, *Cap.* 8. *Ciceronem* una cum aliis optimæ notæ Auctoribus ſedulo legiſſe *Lactantium*, ille ipſe fatetur *p.* 208 & *p.* 215 *edit. Walchii.* De *Philoſophia Lactantii* doctiſſime præcepit *Ioachimus Iuſtus Rau*, Ienæ, 1733.

p) Teſte *Hieronymo Cap.* 23 & 29. Conferatur Cl. *Walchii*, filii, Commentatio *de Pallio philoſophico veterum Chriſtianorum*, Ienæ, 1746.

q) Diſcuſſit huius ecſtaſeos νοθείαν Cel. *Heumannus* in Program. *de Hieronymi ecſtaſi Anti - Ciceroniana*, inſerto *T.* I *P.* III *Diſſertat. Sylloges p.* 655.

r) Videatur eiusdem *libri Confeſſionum L.* I *Cap.* 12 *ſeq.*

VIII. Quam ob rem operam quoque navarunt omnem, ut *iuventutem humaniorum literarum notitia probe inſtruerent*. *Scholas* eam ob rem condiderunt providi illi ſacrorum antiſtites, in quibus non religionis modo, ſed literarum quoque, præcepta traderentur s). Quamvis enim neque profanos artium magiſtros prorſus averſarentur; quippe quorum aditu Chriſtianos pueros interdixerat *Iulianus ὁ παραβάτης*, ſicut nec Chriſtianis magiſtris profanorum Auctorum interpretationem concedebat t); conſultius tamen iuventuti ſuæ merito ducebant, ut a Chriſtianis magiſtris illa formaretur. Haud obliterata eſt noſtra ætate fama & memoria ſcholæ *Alexandrinæ*, *Caſareenſis*, *Conſtantinopolitanæ*, & *Athenienſis*, quarum tenuia initia Chriſtianorum erga bonas literas ſtudium, & Imperatorum, *Chriſti* ſacris addictorum, auctoritas indies amplificavit, ut bonarum mentium officinæ exſtiterint, ex quibus ſacræ civitatis doctores & cives, tanquam ex equo Troiano, prodierunt, quorum in rem ſacram merita ætate noſtra adhuc maiorem in modum celebrantur u). His

s) Docente Venerabili *Moshemio* in *Inſtitutionibus H. C. maioribus Sec. I p. 245.*

t) Videatur Commentatio noſtra *de Artibus Iuliani Apoſtatæ paganam ſuperſtitionem inſtaurandi, §. 10*, annexa *Pagano, Chriſtianorum fautori & laudatori, p. 228.*

u) Recenſuere harum ſcholarum fata *Binghamus* in *Originibus eccleſiaſticis Vol. II p. 55, III, p. 273, V, p. 105*, nec non *Kenſſelius* in *Hiſtoria originis &*

His enim inſtitutis tribuendum eſt, quod *Nicaeno Concilio* plures laici dialecticae artis periti interfuerint. Siquidem, praeter maiores memoratas ſcholas, haud pauciores minores ſcholas erexere Chriſtiani, ut in iisdem diſcendi cupida iuventus ſine ſoluto didactro erudiretur x); ingenti numero poſtea auctas, cum *Conſtantinus Magnus*, & qui poſt eius fata ad *Romani imperii* clavum ſederunt, Chriſtianorum ſacrorum curam in ſe ſuſciperent y).

IX. Quibus vero in ſcholis docentium pariter ac diſcentium ſtudia ut promoverent & excitarent *Patres*, *humaniores literas publice laudarunt*, & *de meliore commendarunt*. Ecquis *Baſilii*, graviſſimi doctoris, Orationem *de legendis Poetis* ignorat z), eum procul dubio in finem conſcriptam, ut *Iuliani* interdicto occurreret, & iuventutis Chriſtianae ſtudium profanos Poetas legendi tam incitaret, quam moderaretur? Praeclarum opus *Ovidii Libros Metamorphoſeon* appellat

& progreſſu ſcholarum inter Chriſtianos, §. 5 *ſeq.* Inprimis de *Alexandrinae ſcholae origine, progreſſu, & praecipuis doctoribus*, luculenter praecepit *Io. Georgius Michaelis* in *Ikenii Symbolis literariis T. I, P. III, num. 1*, nec non *Io. Auguſt. Ditvelmairi* Progr. *de veterum in ſchola Alexandrina doctorum ſerie*, Altorfii, 1746.

x) Videatur *Bingham Vol. III p. 273.*

y) Conferatur *Balduini Conſtantinus*, ex *Gundlingii* recenſione, & *Keuffelius libro citato.*

z) *De eo, quod in hoc opuſculo pulchrum eſt*, ſingularem Commentationem edidit *Daniel Peucerus*, Lipſ. 1740.

appellat *Lactantius* a), prudentiſſimus monitor & teſtis, Philoſophiæ cultorem quantum elegantiores literæ adiuvent b). Quemadmodum is quoque, profanorum hominum errores refutaturus, ad Auctorum illorum teſtimonia plus vice ſimplici provocavit c); ita is nec aliis diſſuaſiſſe putandus eſt, ut paganorum ſcriptiones legerent, errores eorum eo penitius perſpiciendi, & ſi qua veritati conſona in iisdem repperiſſent, adverſariis ſuis opponendi ergo.

X. Præterea *publicas* in ſcholarum uſum *Biblio-*

a) *Inſtitutionum Lib. I Cap. 5 p. 34.*

b) *Multis*, inquit *Lib. III Cap. 25 p. 374, artibus opus eſt, ut ad Philoſophiam poſſit accedi. Diſcendæ iſtæ communes literæ propter uſum legendi, quia in tanta rerum varietate nec diſci audiendo poſſunt omnia, nec memoria contineri. Grammaticis quoque non parum operæ dandum eſt, ut rectam loquendi rationem ſcias. Id multos annos auferat, neceſſe eſt. Nec Oratoria quidem ignoranda eſt, ut ea, quæ didiceris, proferre atque loqui poſſis. Geometria quoque, ac Muſica, & Aſtrologia, neceſſaria eſt, quod hæ artes cum Philoſophia habent aliquam ſocietatem.*

c) *Lib. I Cap. 18*, multisque aliis locis. Quam confutandi rationem alii quoque doctores ſunt ſecuti. Chriſtianam igitur iuventutem humanioribus literis imbui, & ad profanorum Auctorum lectionem admitti, nolebat *Iulianus*, ne, *ſi linguas hiſce artibus acuiſſent, Philoſophis gentilibus eo expeditius reſponderent, & paganos* τοῖς οἰκείοις πτεροῖς, *h. e. ſuis ipſorum pennis, configerent*, obſervante *Socrate H. E. L. III C. 12.*

Bibliothecas collegerunt, optimis cuiusvis ſcientiæ libris refertas, templis una cum ipſis ſcholis utplurimum contiguas d). Doctoribus neque privatæ Bibliothecæ deerant, quas magno cum labore, magnisque cum ſumtibus, ſibi comparaverant. Reperta enim nondum *arte typographica*, Bibliothecarum collectoribus *notarii* alendi erant e), qui melioris notæ codices deſcriberent. *Origenianæ* & *Pamphilianæ* Bibliothecæ memoriam nobis conſervavit *Hieronymus* f); & *Auguſtini* ſupellex libraria tam ob copiam ſuam, & ſelectum, quam ob conſervationem in *Hipponenſi* excidio, hodieque laudatur g).

XI. Eam ob cauſam quam ægerrime ferebant Chriſtiani, quod *Iuliani* interdicto a frequentandis ſcholis, & humanioribus literis diſcendis, arcerentur h). *Socratem* teſtari ſufficit, qui

d) Conferatur *Binghamus l. c. Vol. III p. 270.*
e) Quorum varia miniſteria deſcribit idem *Vol. II p. 75.* De ſingulari ipſorum uſu ad conſignanda Martyrum acta vid. *Zornius* in *Opuſculis ſacris T. II p. 657.* Servis aliquando a Romanis & Græcis hoc munus codices deſcribendi commiſſum fuiſſe, ex *Pignorio de Servis* recenſent *Io. a Wower de Polymathia Cap. VI*, & *Heumannus* in *Conſpectu R. P. L. p. 37.*
f) In *Catalogo Scriptorum Cap. 113*, *Euzoium* laudans, quod *corruptam Origenis & Pamphili Bibliothecam inſtaurare conatus ſit.*
g) Videatur *Io. Martini Chladenii* Diſſertat. *de Fortuna Bibliothecæ divi Auguſtini*, Lipſ. 1742.
h) Videatur Commentatio noſtra *de Iuliani artibus profanam ſuperſtitionem reſtaurandi*, §. 10.

qui plura rei Chriſtianæ ex eo enata damna recenſet i); diverſam licet ab eo ſententiam foverit *Sozomenus*, eiusdem ætatis ſcriptor, haud omnium calculo dignus k). Quin imo in eo elaborarunt Chriſtiani, ut *Iuliani calliditatem* eluderent. Res enim ſacras caſtiori ſcribendi genere enarrabant, ut profanorum Auctorum vices compenſare, & dicendi exempla eſſe, poſſent illa ſcripta. Laudatur præſertim utriusque *Apollinaris*, patris atque filii, induſtria, in *libris ſacris metro reddendis* collocata; quibus etiam duumviris *Grammaticæ artis* præcepta, nova methodo propoſita, debebat iuventus Chriſtiana l). Atque hiſce veſtigiis longe plures inſtitere, viri humaniorum literarum ſtudioſiſſimi m).

i) *Lib. III Cap. 12, Multi enim,* inquit, *apud Græcos Philoſophi a Dei cognitione non procul abfuerunt, & adverſus Epicureos, & alios contentioſos Sophiſtas, ſtrenue decertarunt; Scripturæ divinitus inſpiratæ artem dicendi minime docent, qua illis, qui veritatem oppugnant, reſiſtere poſſimus. Non poſſumus ad Chriſti præceptum boni nummularii eſſe, niſi adverſariorum armis potiamur,* κ. τ. λ.

k) *H. E. Lib. V Cap. 4.* Cuius ſententiam ſub examen revocavit & refutavit D. *Klugius* in Commentat. qua *ſacra ſecularia Gymnaſii Tremonienſis CCL. natali eiusdem* indixit. Tremoniæ, 1743.

l) Vid. *Commentatio* noſtra §. 19.

m) Poetarum Græcorum Chriſtianorum volumen foras prodiit *Lutetiæ Pariſiorum*, 1609. Poetarum veterum Chriſtianorum ſyllabum præmiſit *Daumius* Vitæ *divi Martini, a Petrocorio* deſcriptæ, *Lipſiæ*, 1681. *Corpus* denique *Poetarum Chriſtianorum XXX, qui in Se-*

XII. Huic literarum & ſcholarum laudabili curæ tantus eruditorum hominum proventus iure meritoque in acceptis eſt referendus, qui puriorem doctrinam proponendo & vindicando eccleſiæ innumera officia præſtiterunt. Utinam ſtudium illud cum ſucceſſu temporis haud deferbuiſſet, ſuperſtitioni locum relinquens, quæ a *ſexto* inde Seculo, usque ad imminens Seculum *decimum quintum*, eruditioni plus damni intulit, quam barbararum gentium incurſiones. Monaſtica enim vita, quam pariebat ſuperſtitio, ſeculis, quæ ſequebantur, indies maiora incrementa capiens, eruditioni interitum minabatur omnem; & ingentem hominum numerum proferebat, qui meliores literas ignorabant, & faſtidiebant, cui ſuperando & depellendo unus & alter, in tenebris meliora videns & ſuadens, longe impar erat n). Ipſas adeo *Academias*, quæ ad *Pariſienſis ſcholæ*, a *Carolo* M. inſtitutæ, exemplum haud exiguo numero erigebantur, irruenti & graſſanti barbariei haud ſufficienter reſiſtere potuiſſe, temporum illorum hiſtoria nos edocet. Quos enim manibus noſtris hodie terimus libros, ætate illa confectos, non *Theologos*, ſed *matæologos*; non *Philoſophos*, ſed *Sophiſtas*; non *Hiſtoricos*, ſed *fabulatores*; non *Poetas*, ſed *nugi-*

a Seculo III, usque ad Sec. VI, in eccleſia floruerunt, *Georgii Fabricii* cura lucem adſpexit, *Baſileæ*, 1564. *Eloquentiæ Profeſſores, eccleſiæ priorum IV Seculorum celeberrimos doctores*, recenſuit *Io. Chriſt. Busmannus*, Helmſt. 1710.

n) Vid. *Heumannus p. 90 & 98.* Ubi in cauſas huius calamitatis inquirit.

nugivendulos, nobis produnt auctores ſuos o). Tantopere nimirum ſui contemtores humaniores literæ ulciſcebantur. Sapere tamen nolebant monachi. E contrario indignabantur, &, quibus poterant, modis perſequebantur eos, qui, redeunte ſalutari eruditionis luce, errorum tenebras diſcutere, & barbariei bellum inferre, ſatagebant; auſpicatiſſimos, inquam, illos *Lutheri* prodromos, qui, illorum ope non parum adiutus, diviniorem religionem puritati & nitori ſuo reſtituit. Quam ob rem nec *Eraſmus* ævi ſui Theologos *fatalem bonarum artium peſtem* appellare dubitavit p).

XIII. Quot autem, quæſo, errores vel unius Græcæ linguæ ignorantia peperit, partosque nutrivit! Ἀναθήματα, & λίθους πολυτελοῦς, quibus templa exornaſſe *Conſtantinus* M. dicitur ab *Euſebio*, in imagines tranſmutat *Bellarminus*, imaginum locum & cultum in templis aſſerturus. Qui *Gregorium* quoque *Nyſſenum* confeſſionis auricularis patronum efficit, voces ἐπιστροφὴν & μετάνοιαν lapſorum pro illa accipiens. Præterea *quadrageſimalis ieiunii antiquitatem* ex *Irenæi* verbis inique redditis vindicare auſus eſt *Chriſtopharſonus*. *Irenæo* enim, ſcribenti, οἱ μὲν γὰρ οἴονται μίαν ἡμέραν δεῖν αὐτοὺς νηστεύειν οἱ δὲ δύο, καὶ πλείονας, οἱ δὲ τεσσαράκοντα ὥρας ἡμερινὰς, καὶ νυκτερινὰς συμμετροῦσι τὴν ἡμέραν αὐτήν; hunc ſenſum is adfingit: *Quidam namque unum diem ſe ieiuna-*

o) Iudice *Heumanno l. c. p.* 120.
p) Eodem referente *p.* 105.

re exiſtimant, alii duos, non pauci plures, multi quadraginta q).

XIV. *Seculo* igitur *noſtro* applaudamus, quod eos rei ſacræ antiſtites tulit, qui humaniores literas curæ cordique habent, easque ſacrarum literarum alumnis commendant. Horum veſtigia legant, qui ſolidiorem eruditionis & religionis notitiam ambiunt. Quibus dictis colophonem mihi impoſituro, occurrit *Mareſii* Epiſtola, ad *Gaudinum* perſcripta r), in qua *humaniorum artium ſtudia* Theologiæ cultoribus, & ob utilitatem, & neceſſitatem, proſequenda prædicat, *liberalia ſtudia*, inquiens, *quæ Grammatica, Rhetorica, Poetica, & aliis eiusmodi, conſtant, cum omnibus, qui literas attingunt, tam ſint neceſſaria, miror, maximam Theologorum partem hodie his admodum leviter defungi, contra morem tamen & exemplum veterum Theologorum, qui omnibus hiſce diſciplinis egregie inſtructi ad ſcientiarum reginam, Theologiam, accedebant, &, quæ ab exoticis Auctoribus ſumſerant, iis veluti ſubſidiis, vel certe tanquam ornamentis, ad ſummum Numen honorandum uti non dedignabantur* - - Sed Lectoribus, integram epiſtolam adiungendo, moleſtus eſſe nolo, cum non niſi eos lectores prævideam, qui

q) Obſervante *Dallæo de uſu Patrum p. 125 ſeq.*

r) In eiusdem *Epiſtolis philologicis*, a *Rechenbergio* editis, *L. II num. 41.* Cui adiungi merentur *Ἀδεισιδαίμονος Φιλορωμαίου vindiciæ adverſus ſycophantas Iuvavienſes*, Colon. 1741, & *Io. Ieremiæ Crudelii* Oratio *de doctrinæ ſacræ, ſtudiorumque humanitatis, mutua & felici coniunctione*, Vitemb.

qui humanioribus literis iuſtum pretium ſtatuere norunt, nec ad eas excolendas me monitore opus habent.

III.

C. IVL. CÆSAR, VIRTVTE GERMANORVM, ROMANORVM DOMINVS,

COMMENTATIO

CHRIST. GVIL. FRANCISCI WALCHII, PHILOS. PROF. PVBL. EXTRAORD. IN ACAD. IENENSI.

Synopſis.

Propoſito argumento §. I, *breviter exponitur, quo modo Cæſar Romanorum imperium ſolus ſit conſecutus,* §. II; *ac probatur, factum id eſſe virtute Germanorum, qui Cæſari tam in bello Gallico,* §. III; *quam in bello civili auxilium tulerunt. Generatim de hac re teſtantur Florus, Cæſar, cuius locus de Norico rege notatur,* §. IV; *Lucanus, cuius effatum fuſius explicatur,* §. V, VI; *item Dio Caſſius, qui itidem illuſtratur,* §. VII. *Speciatim narrantur, quæ Germani in bello Hiſpanico, in Græcia, in pugna Pharſalica,* §. VIII; *& in bello Africano, geſſerunt,* §. IX. *Denique disquiritur. num ſocii Cæſaris illi fuerint, an meruerint ſtipendia,* §. X.

I.

Germanorum virtute *C. Iul. Cæſarem* ad ſupremum honoris & dignitatis delatum fuiſſe faſtigium, id eſt, Romanorum imperium maiorum noſtrorum ſanguine fundatum, brevi hac Commentatione demonſtrare animus eſt. Facinus hoc glorioſum & Germano nomine dignum eſſe, omnes conſentiunt, nec minus laudabile nobis videtur, eius memoriam ab oblivione vindicare. Iucundum quoque bonis omnibus eſſe oportet, veras cognoſcere imperii origines, quod poſtliminii iure ad Germanos rediit. Fateri quidem haud piget, ante nos præſtantiſſimos gentis noſtræ hiſtoricos, Illuſtriſſimum *Henr. Bunavium* a), Comitem decusque imperii, *Io. Ge. Eccardum* b), *Iac. Car. Spenerum* c), & ex Belgis *Aegid. Bucherium* d), idem, in quo verſamur, argumentum attigiſſe; tamen, hoc ea de cauſa factum eſſe, credimus, ut proponerent nobis aliquam ingenii exercitationem, ac viam monſtrarent, in qua longius progredi, nos oportet. Faciamus itaque rei ſatis arduæ propter maiorum gloriam periculum; non autem plura per hiſtoricorum paucitatem præſtare poſſumus, quam ex illis, qui ſuperſunt, Græcis Latiniſque ſcriptoribus habemus.

II. Cum nimis longum & contrarium noſtro

a) *In der Teutſch. Kaiſer- und Reichshiſt. Tom. I p. 123 ſeq.*

b) *De origine Germ. Lib. I §. 97 p. 216.*

c) *Hiſtor. Germ. pragm. Part. I Lib. III Cap. 3 §. 8.*

d) *Belg. Rom. Lib. I Cap. 6 p. 15 ſeq.*

ſtro inſtituto ſit, rem ab initio ordiri, & fuſius narrare, quibus artibus, ſive belli, ſive pacis, quibusque præſidiis tam virtutis, quam fortunæ, *C. Iul. Cæſar* id conſecutus ſit, ut ſolus Romanis imperaret; ſtrictim ea libet notare, quæ ad illuſtrandum noſtrum argumentum faciunt. Brevibus, de quibus hoc loco diſceptari poſſit, proponemus quæſtiones, quidque de iſtis ſentiamus; nec excitabimus quidem veterum ſcriptorum, *Suetonii, Cæſaris, Plutarchi, Lucani*, multo minus recentiorum hiſtoriæ Romanæ Auctorum, effata, ne nimis copioſe differentes a recta via declinemus. I) Certum eſt, quod *Cato* ille ſapiens dixit, *Pompeii, Cæſaris*, & *Craſſi*, amicitiam & vinculum, quo, ſublatis omnibus ſimultatibus, colligati ſunt, magis perniciosum reip. exſtitiſſe, diſſidiis & publicis *Marii* ac *Sullæ* odiis; II) ſummæ *Cæſaris* felicitatis initia eo tempore poſita ſunt, quo, facta inter Triumviros provinciarum diviſione, utramque Galliam obtinuit; nec iniuria *Pompeius* imprudentiæ, aut negligentiæ, arguitur, quod *Cæſari* tempeſtive ſe haud obiecerit; ſed tantum ad eum ornandum, viresque eius amplificandas, contulerit; III) dubium Hiſtoricis eſſe ſolet, num virtute ac rerum geſtarum magnitudine, an prudentia ac divina illa, quam *Cicero* prædicavit, liberalitate, qua Romæ opportuniſſimo tempore utebatur, an ampliſſimo fortunæ munere, id conſecutus ſit, quod expetivit; recte tamen illi ſentire nobis videntur, qui omnia hæc in aliis quidem diviſa, in *Cæſare* vero coniuncta,

Q 5 fuiſſe,

ſuiſſe, arbitrantur e); IV) ut diſtincte expliceemus, ingenio ac civilibus artibus, calliditate quippe, animi magnitudine, & conſtantia, prudentia perſpicaci, eloquentia, ſolertia, ingenti magnificentiæ apparatu, ſimulato conſervandæ libertatis ſtudio, virtutis opinione, hisque ſimilibus, id effecit, ut civium oculos in ſe converteret, animos vero ſibi adiungeret, eorumque favore ac populari aura contra Senatus auctoritatem commode uti poſſet; V) hæc tamen non ſuffeciſſe, credimus, ad perficienda ea, quibus divinitus fuit deſtinatus. A quo tempore, *Pompeio* auctore, hoſtis patriæ declaratus fuit, res eius in ſummum diſcrimen adductæ ſunt. Aut *Pompeio* ſerviendum; aut vi ille coercendus erat. Cum armis de principatu dimicandum eſſet; fortitudine reique bellicæ uſu *Cæſar* opus habuit. VI) Sola tamen Imperatoris prudentia in bello & ſuſcipiendo, & gerendo, & deponendo, non requiritur; ſed plurimum etiam in hac re valet miles, qui hoſtium impetum & vim non pertimeſcit; ſed eam interrito animo ſuſtinet & repellit; ſic fieri poteſt, ut ſapientiſſimis ducis conſiliis eventus reſpondeat, ac funeſtiſſimum bellum læta & inſigni victoria concludatur. VII) Rei huius in *Cæſare* exemplum ſignumque habemus ex Hiſtoricis luculentiſſimum. Victo *Pompeio*, fugatisque eius amicis, immutata fuit reſpublica, ſublata libertas, & a *Cæſare* principatus inchoatus. Pharſalicæ pugnæ gloria communis

e) Conf. beati noſtri *Georg. Schubarti C. Iul. Cæſar* p. 160 edit. *Struvii* in *Thec. II Biblioth. Lib. rar*

munis fuit *Cæſaris* cum fortiſſimo eius exercitu; nec aliena eſt a veritate noſtra ſententia, invictis his copiis deberi Romanæ reip. exitium & *Cæſaris* imperium, quod felici prælij illius exitu conſtitutum fuit & confirmatum. VIII) Patet itaque, quid ſit, quod, Germanorum virtute *Cæſarem* Romanorum dominum exſtitiſſe, dicamus, ſi, iuſto modo Germanos ſub *Cæſare* pugnaſſe & triumphaſſe, fuerit comprobatum.

III. His ita conſtitutis, ad rem ipſam accedimus. Conſulto tacemus, quod in bellis Gallicis Germanorum auxilium ſibi adiunxerit *Cæſar*, horumque præſidio munitus, feliciter adverſus hoſtes pugnaverit. Pauca rei exempla ad fidem dictis noſtris conciliandam ſufficiant. Cum Gallis, qui Romanam ſervitutem repellere ſtuduerunt, ducem ſe præberet *Vercingetorix*, haud leve *Cæſar* metuebat periculum; eo tamen a Germanis liberatum ſe eſſe, grato animo confitetur. Hæc de ſe ipſe tradit f): *Cæſar ex caſtris equitatum educi iubet, præliumque equeſtre committit. Laborantibus iam ſuis, Germanos equites circiter CD ſubmittit; quos ab initio ſecum habere inſtituerat. Eorum impetum Galli ſuſtinere non potuerunt, atque in fugam coniecti, multis amiſſis, ſeſe ad agmen receperunt.* Ubi *Hirtius*, ſive quisquis Libri octavi de bello Gallico auctor ſit, res, contra *Drapetem* & *Luterium* geſtas, perſequitur, honorificam Germanorum facit mentionem, eosque tali ornat elogio, quale a Romano ſcripto-

re

f) *De Bell. Gall. Lib. VII Cap. 13 §. 1, 2.*

re exteris gentibus vix invenies tributum eſſe. Hæc eius ſunt verba g): *Sed, cum in experiundo periculum nullum videret, equitatum omnem Germanosque pedites, ſummæ felicitatis homines, ad caſtra hoſtium præmittit.* His alia addi poſſe *Cæſaris* teſtimonia h), non negamus, quæ hoc loco præterire ſatius ducimus, quam extra commentationis fines evagari. Id quisque ex his, quæ allata ſunt, intelliget, cum *Cæſari* perſpectam cognitamque Germanorum virtutem, tum hac ipſa maiorum noſtrorum virtute ſeditiones motusque Gallorum compreſſos, ac provinciam fuiſſe pacatam. Hanc niſi *Cæſar* tranquillam reddidiſſet, quis credat, unquam inter eum & *Pompeium* conflatum fuiſſe civile bellum?

IV. Belli huius, quod dixi, civilis initium a *Cæſare* factum fuit, cum Senatusconſulto de legionibus demittendis obtemperare nollet, ſed cum exercitu Romam ſe conferret, ubi Dictatoris dignitatem & nomen accepit. In his copiis Germanos fuiſſe, egregia ſuperſunt Hiſtoricorum teſtimonia. De iis, qui *Cæſarem* tunc ſecuti ſunt, generatim hæc ſcripſit *Florus* i): *Si auxilia reſpicias ſociorum: hinc Gallici Germanique delectus: inde Deiotarus, Ariobarzanes*, cetera. *Cæſar* nominatim tradit, cum caſtra iuxta murum Corfinii oppidi, haud longo intervallo ab urbe disiuncti, poſuiſſet, *veniſſe ad*

g) *De bello Gall. Lib. VIII Cap. 36 §. 2.*
h) Conf. *Lib. VII Cap. 63 §. 7, Cap. 65 §. 4, 5. Cap. 70 & 80. Lib. VIII Cap. 13.*
i) *Lib. IV Hiſtor. Rom. Cap. 2.*

ad eum ex novis Galliæ delectibus cohortes XXII, *equitesque a Rege Norico circiter* CCC k). Nolim quidem mihi perſuadere, in Germania quoque cohortes, quas memorat, fuiſſe collectas; certum tamen eſt, Galliæ nomen ſæpenumero latiorem apud *Cæſarem* habere ſignificandi vim, ac provincias eas quoque complecti, quæ a ſcriptoribus poſterioris ævi communi *Germaniæ cisrbenanæ* appellatione deſignari ſolent l). Conſultius eſt, disquirere, quis Rex ille Noricus ſit, qui CCC equites miſerit? Noricum quidem ſuos habuiſſe Reges, noſtra quidem ætate nemo dubitabit. Patet id ex *regni* nomine, quod eo quoque tempore Romani ſcriptores, *Velleius* m) & *Suetonius* n), ei tribuunt, poſtquam ab *Auguſto* in provinciæ formam redacta eſt. Quid? quod *Cæſar* alibi o) *Vocionem*, Noricorum Regem, commemorat, cuius ſoror *Arioviſto* nupſerat p). Num is idem ſit cum Norico

k) *De Bello civili Lib.* I *Cap.* 18 §. 5.

l) Sic ſub initio *Commentariorum de bello Gallico, Lib.* I *Cap.* 1 §. 11, *Belgas proximos eſſe Germanis*, dicit, *qui trans Rhenum colit*, quaſi Rhenus Galliam a Germania disiungat. Contra ea alibi *cisrbenanorum Germanorum* expreſſis verbis mentionem facit, *Lib.* VI *Cap.* 2.

m) *Lib.* II *Cap.* 109.

n) *Vit. Tib. Cap.* XVI *p.* 126 edit. *Grævii.*

o) *De Bello Gall. Lib.* I *Cap.* 53 §. 3. Conf. Illuſtriſſimum *Bunavium dict. loc.* *Tom.* I *Lib.* 3 §. 22 *p.* 710.

p) Conſulas Perill. *Alb. Georg. de Schwarz* in *dem altteutſchen Oeſterreich p.* 10, ubi recte quidem *Luncke*-*ri*

Norico Rege, qui *Cæſari* auxilium tulit, certe quidem definire non audemus, nec tamen, negandum eſſe, putamus, propterea quod ætatis rationes huic opinioni non refragantur.

V. *Floro* & *Cæſari* addimus *Lucanum*, cui hoc acceptum ferimus, quod propriis nominibus ſingulas nationes ſignificaverit, quæ *Cæſari* ſunt auxiliatæ. Cum enim copias percenſet, quas *Cæſar* ſibi adiunxit, primo loco hæc habet:

Ne quo languore moretur
Fortunam, ſparſas per Gallica rura cohortes
Evocat, & Romam motis petit undique ſignis q).

Hæc de cohortibus interpretamur, quas S. P. Q. R. fidei *Cæſaris* ad coercendos Gallos commiſerat. De iisdem capienda eſſe credimus ea omnia, quæ Poeta adiicit de cavo Lemanno, de Vogeſi rupe, de Lingonibus, de vadis Iſaræque ceteris, quæ nos hoc loco haud morantur. Pergit deinde *Lucanus* ad enumerandas exteras gentes, quæ cum Romanis cohortibus in civili bello ſtipendia meruerunt. Verba eius hæc ſunt:

Optimus excuſſo Leucus Rhemuſque lacerto,
Optima gens flexis in gyrum Sequana frenis:
Et docilis rector monſtrati Belga covinni:
Arvernique auſi Latio ſe fingere fratres,

San-

-ci ſententiam, ignorafle Germanos antiquiſſimos regium nomen, confutavit; levi tamen errore, uxorem *Ariovisti* filiam *Vocionis* fuiſſe, ſcripſit; quam ſororem eius *Cæſar* vocavit.

q) *Pharſal. Lib. I verſ. 394 ſeq.*

Sanguine ab Iliaco populi, nimiumque rebellis
Nervius, & cæſi pollutus ſanguine Cottæ,
Et, qui te laxis imitantur, Sarmata, braccis,
Vangiones, Batavique truces, quos ære recurvo
Stridentes acuere tubæ, qua Cinga pererrat
Gurgite, qua Rhodanus raptum velocibus undis
In mare fert Ararim, qua montibus ardua ſummis
Gens habitat cana pendentes rupe Gebennas,
Pictones immunes ſubigunt ſua rura; nec ultra
Inſtabiles Turonas circumſita caſtra coercent.
In nebulis, Meduana, tuis marcere peroſus
Andus, iam placida Ligeris recreatur ab unda.
Inclyta Cæſareis Genabos diſſolvitur alis.
Tu quoque lætatus converti prælia, Trevir:
Et nunc tonſe Liger, quondam per colla decora
Crinibus effuſis toti prælate Comatæ:
Et quibus immitis placatur ſanguine diro
Teutates horrenſque feris altaribus Heſus,
Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.
Vos quoque, qui fortes animas, belloque peremtas,
Laudibus in longum vates dimittitis ævum,
Plurima ſecuri fudiſtis carmina, Bardi,
Et vos barbaricos ritus, moremque ſiniſtrum
Sacrorum, Druidæ, poſitis repetiſtis ab armis.
Solis noſſe Deos & cœli numina vobis,
Aut ſolis neſcire datum: nemora alta remotis
Incolitis lucis. Vobis auctoribus, umbræ

Non tacitas Erebi ſedes, Ditiſque profundi
Pallida regna, petunt: regit idem ſpiritus artus
Orbe alio: longe, canitis ſi cognita, vitæ
Mors media eſt. Certe populi, quos deſpicit Arctos,
Felices errore ſuo, quos ille, timorum
Maximus, haud urget leti metus. Inde ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis, & ignavum rediture parcere vitæ.
Et vos crinigeros bellis arcere Caycos
Oppoſiti, petitis Romam, Rhenique feroces
Deſeritis ripas r).

VI. Hæc *Lucanus* cecinit, de cuius fide quamvis Poetæ nomen & perſona nonnihil detrahere videatur; liberant tamen eum ab omni ſuſpicione ſummorum virorum de hiſtorica eius fide teſtimonia, a *Martino Hankio* s), *Nicol. Antonio* t), *Io. Alb. Fabricio* u), & *Franciſco Oudendorpio* x), diligentius collecta. Verba eius, quæ recitavimus, nimis multa ſunt, nec fieri poteſt, ut ſingula hoc loco explicemus. Sufficiat, ea breviter notare, &, ſi opus eſſe videbitur, interpretari, quæ proprio iure ad cognoſcendam Germanorum gloriam, ac confirmandum, quod propoſitum eſt, argumentum, ſpectant.

r) *Dict. loc. verſ.* 424 - - 465.
s) *De Script. Rom. rer. Part. I p.* 78 *ſeq. Part. II p.* 246 *ſeq.*
t) *Bibl. Hiſpan. vet. Lib. I Cap.* 10 *p.* 15.
u) *Bibl. Lat. Tom. I p.* 578, & *Tom. II p.* 528.
x) In *Teſtimoniis de Lucano*, quæ editioni ſuæ præmiſit.

ſpectant. Vindicamus itaque merito Germaniæ *Vangiones*, qui *Cæſaris* ætate in Germania cisrhenana ſedes ſuas collocarunt, ac *Vormatiæ* & *Moguntiæ* conditores feruntur. Ex multis unicum libet afferre *Taciti* effatum y): *Ipſam Rheni ripam haud dubie Germanorum populi colunt, Vangiones, Tribocci, Nemetes.* Plura de his dabunt *Phil. Cluverius* z), *Chriſtoph. Cellarius* a), & *Iac. Car. Spenerus.* Laxis braccis eos uſos fuiſſe, Poeta noſter ſolus teſtis, de quo veſtimenti genere, præter eius interpretes, nemo doctius diſputavit *Io. Braunio* c). Vangionibus addit Batavos, potentiſſimam fortiſſimamque Germaniæ gentem. Luculentum de illis apud *Cæſarem* exſtat legatorum Rhemenſium teſtimonium, *pleroſque Belgas eſſe ortos a Germanis* d). Copioſe de his *Cluverius* e) egit, ac ſtudioſe ea in unum locum congeſſit, quæ in veterum ſcriptorum monumentis diſperſa leguntur. Porro commemorat *Lucanus Nervios* & *Treviros.* Utrique in Gallia licet habitaverint; *Tacitus* tamen de illis ait f): *Treverii & Nervii circa-*

f) *De mor. Germ. Cap.* 28. Adde, quæ ad hunc locum *Dithmarus p.* 167 *ſeq.* adſcripſit, & *Io. Nic. ab Hontheim* in *Hiſtor. Trevir. diplom, Tom. I p.* 1 notavit.
y) *De mor. Germ. Cap. XXVIII p.* 168.
z) *Germ. antiqu. Lib. II Cap.* 10.
a) *Not. orbis antiqu. Tom. I p.* 296.
b) *Notit. Germ. antiqu. Lib. VI Cap.* 5 *§.* 2 *p.* 292.
c) *De Veſtit. ſacerdot. Ebr. p.* 434 *ſeq.*
d) *De bello Gallic. Lib. II Cap.* 4 *§.* 1.
e) *De tribus Rheni alveis p.* 142 *ſeq.*

circa affectationem Germanicæ originis ultro ambitioſi ſunt, tanquam per hanc gloriam ſanguinis a ſimilitudine & inertia Gallorum ſeparentur. Nolumus iam de *Teutate*, de Bardis, ac Druidis, diſſerere, quia omnibus cognitum eſt & perſpectum, Numen hoc & ſacerdotes, niſi omnia inter ſe miſcuerint priſci hiſtorici, Gallis cum Germanis fuiſſe communes. Quare nullo argumento poteſt confici, *Lucanum* hæc de Germanis, non de Gallis, pronuntiaſſe. Id potius monendum eſſe credimus, fuiſſe quondam ſcriptores ætatis recentioris, qui hos *Lucani* verſus:

> *Et vos crinigeros bellis arcere Caycos*
> *Oppoſiti,*

perperam ita explicarunt, ut, *Caycos*, quos eosdem fuiſſe cum Chaucis, nobiliſſimo, quod *Tacitus* dixit, inter Germanos populo, omnes conſentiunt, *Cæſari* ſuccurriſſe, affirmarent. Manifeſtum eſt, loqui Poetam de militibus, quos Romani Chaucis oppoſuerunt, ne fines ſuos excederent. Ita locum præſtantiſſimi interpretes exponunt, ad quos Lectorem ablegamus. Hactenus de *Lucano*.

VII. Præter hos, quos iam excitavi, neminem ex Scriptoribus Romanis de hac re reliquiſſe teſtimonium, arbitramur. Nobis tamen, hæc ſcribentibus, duo occurrunt *Dionis Caſſii* effata; quæ, niſi ex iis, quæ adhuc diſceptata ſunt, lucem exſpectent, certe ad hunc locum, & ad confirmandam gentis noſtræ laudem, adduci debent.

Alte-

Alterum eſt eiuſmodi, ut dubium ſit, num in priſcos Germanos honorificum ſit, an iniurioſum. Breviter enim, ut ſummi terroris Romanis de *Cæſare* iniecti, exponeret cauſam, hæc ſcripſit g): *ἅτε βαρβαρικοῦ τὸ πλεῖστον τοῦ στρατοῦ αὐτοῦ ὄντος*, *quia maxima eius exercitus pars barbari erant*. Aut omnino, aut aliqua ex parte, de maioribus noſtris capienda hæc eſſe, credimus, ideo quod in veterum ſcriptorum, quos Roma aluit fovitque, more poſitum fuit, Germanos per eminentiam quaſi barbaros appellare. Animus non eſt, nec tamen piget, quæ ediximus, Auctorum teſtimoniis comprobare. *C. Cornelius Tacitus*, h) dum inſignem Germanorum virtutem prædicat, lepide ait: *Prope ſoli barbarorum ſingulis uxoribus contenti ſunt.* Simili modo *Valerius Maximus* i) Germaniam *barbariem* vocavit. *Eutropius* k) ſolenni quaſi formula, *in barbarico*, inquit, *longe ultra Rhenum eſt*. Quibus licet alia addi queant, a *Iac. Carol. Spenero* l) enarrata; ſufficiat tamen, ad ipſum *Dionem* & *Lucanum* provocare. Ille m) Menapios, aliosque Germaniæ populos, *barbaros* appellavit, hic vero de Germanis, quos *Cæſari* ſtudia ſua addixiſſe teſtatus fuit, pronuntiat n):

g) *Hiſt. Rom. Lib. XLI Cap. 8 p. 269* ed. *Reimari.*
h) *De mor. Germ. Cap. XVIII p. 104.*
i) *Lib. V Cap. 5 §. 3.*
k) *Hiſt. Rom. Lib. VII Cap. 5 §. 7.*
l) *Notit. vet. Germ. p. 139 ſeq.*
m) *Lib. XXXIX Cap. 43 p. 112.*
n) *Pharſ. Lib. I v. 475.*

Barbaricas ſævi diſcurrere Cæſaris alis.
Nullum ergo dubium eſt, barbarorum nomine Germanos deſignaſſe *Dionem*. Nec poſſumus nobis temperare, quin hoc quoque loco alterum *Dionis* effatum notemus, æque ambiguum & difficile. Quamvis enim ibi exſtet, ubi de Pharſalica pugna diſſerit; patet tamen, eum de omni potius *Cæſaris* exercitu loqui, quam de copiis, quæ prælium inierunt. Verba eius hæc ſunt: καὶ δυνάμεις Καῖσαρ μὲν, τοῦ τε πολιτικοῦ τὸ πλεῖστον καὶ καθαρώτατον καὶ ἐκ τῆς ἄλλης Ἰταλίας, τῆς τε Ἰβηρίας καὶ τῆς Γαλατίας πάσης, τῶν τε νήσων, ὧν ἐκράτει, τοὺς μαχιμωτάτους εἶχε, *copias Cæſar habebat, ex plurimis, iisque optimis, civibus conſtantes, tum ex reliqua Italia ac ex Hiſpania omnique Gallia inſulisque univerſis, quibus imperabat, bellicoſiſſimum quemque* o). Ita ſilere de Germanis videtur *Caſſius*. At vero, niſi omnia nos fallunt, latiores apud *Dionem* Galliæ ſunt fines, quam ut, Germanos ab illa excludi, credamus. Id potius perſuaſum eſſe omnibus oportet; niſi hiſtoriarum veterum prorſus ſint expertes, quod antiqui hiſtoriæ ſcriptores pariter Græci ac Romani hanc *Celtarum, Galliæ, Galatiæ*ve, nominibus tribuerunt poteſtatem, ut Germanos quoque & Germaniam ſimul ſignificent. Acceptum id ferimus viris doctis, *Raph. Volaterrano* p), *Phil. Cluverio* q), *Chriſt. Cellario* r), *Iac. Car. Spenero*,

o) *Dict. loc. Lib. XLI Cap. 55 p. 297.*
p) *Lib. III Urban. p. 41.*
q) *Germ. antiqu. Lib. I Cap. 2 ſeq.*
r) *Cit. loc. p. 83.*

ro s), *Henrico* Comiti *de Bunau* t), *Gottl. Wernsdorfio* u), & *Giberto* x), quod ſingulari eorum diligentia expedita ſit res, quam alii ſine cauſa in dubium vocarunt.

VIII. Progrediamur ad ſingulas *Cæſaris* expeditiones. Cum Romam peteret, itineris comites habuiſſe eum Germanos, ſupra comprobavi. Ex Italia in Hiſpaniam profectus eſt, ut *Pompeium*, eiusque ſectatores, ex ampliſſimo regno eiiceret. In hanc quoque expeditionem Germanos eduxit. Commemorat ſane *Germamanos levis armaturæ* y), eosque commendat, cum, Afranium ab eo obſeſſum fuiſſe, tradit. Victa *Hiſpania* rebusque urbanis, Cæſar in Græciam traiecit, ac paullo ante Pharſalicam pugnam Gomphos, urbem in Theſſalia ſitam, oppugnare aggreſſus eſt, cumque eam expugnaſſet, conceſſit eam militibus ad diripiendum z). Res memorabilis eſt, in caſtris *Cæſaris* eo tempore Germanos fuiſſe. Teſtis de hac re *Appianus Alexandrinus* eſt, qui retulit, *Cæſaris* milites mirifica edendi aviditate cibis & vino Gomphenſium famem ſuam expleſſe, *καὶ μάλιστα αὐτῶν οἱ Γερμανοὶ, γελοιότατοι κατὰ τὴν μεθὴν ἦσαν*, *& maxime Germani propter ebrietatem ridiculi fuerunt* a). Conſe-

 cuta

s) In *der Teutſch. Kaiſ. und Reichshiſt.* Tom. I p. 630.
t) *De Rep. Galat. p.* 59.
u) *Memoir. ſervant a l'hiſtorie des Gaules* p. 4.
x) *De Bello civili Lib.* I *Cap.* 83 §. 4.
y) Conf. *Cæſarem dict. loc. Lib.* III *Cap.* 8 §. 5. 6.
z) *De Bello civili Lib.* II *p.* 767 edit. *Lollii.*
a) *Dict. loc. Cap.* 89.

cuta deinde fuit pugna Pharſalica & inſignis victoria, qua, iure dixeris, *Cæſaris* imperium fundatum fuiſſe & ſtabilitum. Hanc Germanorum virtute partam fuiſſe, non dubitamus. Ipſe quidem *Cæſar* b), cum cohortes ſuas, in acie conſtitutas, enumerat, nihil de Germanis ſcripſit; at vero nec de Romanis, nec de Gallis, quidquam notavit, adeo ut nefas ſit, ex ſilentio eius id, quod nobis adverſatur, colligere. Ad *Florum* provocare, nobis liceat; qui non ſolum Germani nominis honorificam facit mentionem, ſed aperte etiam, quantum Germani ad ſubigendos hoſtes attulerint, ſignificavit. Verba eius hæc ſunt c): *Nam, cum diu æquo Marte contenderent, iuſſuque Pompeii fuſus a cornu erupiſſet equitatus, repente hinc ſigno dato Germanorum cohortes tantum in effuſos equites fecere impetum, ut illi iſſe pedites, hi venire in equis, viderentur.*

IX. Superato *Pompeio*, ex Græcia bellum in Africam translatum fuiſſe, omnes ſciunt. Qui de bello Africano Commentarios, adhuc ſuperſtites, literis conſignavit, expreſſis verbis haud teſtatus eſt, Germanos quoque apud *Cæſarem* fuiſſe. At vero quis credat, reliquiſſe eum fidiſſimos milites in Græcia? Hoc tamen memoria dignum eſt, non ſolum *Cæſari*, ſed *Pompeio* etiam, Germanorum quædam fuiſſe auxilia. Auctor huius rei ipſe eſt *Cæſar* d); belli autem Africani

b) *Lib. IV Cap. 2.*
c) *De Bello civili Lib. III Cap. 4 §. 4.*
d) *De bello Afr. Cap. XIX §. 6 Cap. XXX §. 4 Cap. XL §. 2.*

Africani ſcriptor præterea multa de Germanis expoſuit, qui in Africa *Pompeianis* ſe adiunxerunt e). Quæ, cum aliena videantur a noſtro inſtituto, lubentes iam prætermittimus.

X. Satius eſſe, ducimus, de Germanis, qui a *Cæſaris* partibus ſteterunt, disquirere: num ſocii illi Romanorum fuerint, an meruerint ſtipendia. Arduum ac difficile eſt, recte de hac re dicere ſententiam. Minus errare illi nobis videntur, qui, utrumque militum genus coniungi, ſicque res inter ſe contrarias conciliari poſſe, ſtatuunt. Certum eſt, quasdam gentes pro ſociis Romanorum habendas eſſe. Ubios amicitiam cum *Cæſare* feciſſe, ipſe memoriæ prodidit f). Foedere eos cum *Cæſare* coniunctos eſſe, magis probabile eſt, quam illum ſubieciſſe eos Romanorum poteſtati, ac, ſicut Gallos, in provinciæ formam redegiſſe. Præterea conſenſu veterum ſcriptorum expeditum eſt, quamvis *Cæſar* bis Rhenum traiecerit, nihil tamen effeciſſe in Germania cisrhenana, gloriamque, quam ex victis Germanis exſpectabant, *Auguſti* temporibus fuiſſe reſervatam. Ex quibus licet facili conficı poſſit, diſcrimen fuiſſe inter Gallos, *Cæſari* ac Romanis ſubiectos, & Germanos, conſtantiſſimos ſuæ libertatis vindices; libet tamen illuſtri *Cæſaris* teſtimonio ea comprobare. Sic ſcripſit ille de Germanis g): *Cæ-*

e) *De bello Gallico Lib. IV Cap. 16 p. 116.*
f) *De bello Gall. Lib. VII Cap. 65 §. 4.*
g) *De bell. Afr. Cap. 40 §. 5.*

ſortiſtrans Rhenum in Germaniam mittit ad eas civitates, quas ſuperioribus annis pacaverat, equitesque ab his arceſſit & levis armaturæ pedites, qui inter eos præliari conſueverant. Contra, paucis interpoſitis, de Gallis ait: *Equites, qui Gallis erant imperati, conveniunt.* Quid? quod *Florus* apertis compertisque verbis *Germanos auxiliis ſociorum* annumeret? Nec tamen negandum, alias gentes mercede ac pretio ad auxilium in bello præſtandum conductas eſſe. Inſignis huc ſpectat *Hirtii* locus f): *Cæſar animadvertit mirifica corpora Gallorum Germanorumque, qui partim eius auctoritatem eram ex Gallia ſecuti, partim pretio pollicitationibusque adducti, ad eum ſe contulerant.* Hæc de re hactenus.

IV.

SAM. KOENIGII, PROFESS. PHIL. FRANEQVERÆ, DE INDOLE DOMINII, QVOD MARITO IN DOTEM COMPETIT, DISQVISITIO

Prout multa eximia *Chriſt. Wolffius* in immortali Logices opere docuit, quorum præſentiſſimum & maximum uſum, & ad diiudicandum, & ad inveniendum, intelligentes experiuntur; ita, quæ de notionum diſtinctarum, atque determinatarum,

natarum, uſit evoluta, primus tradidit, tanta videntur, ut clariſſimorum Philoſophorum gloriam æquaſſe cenſendus eſſet, ſi aliud nihil ſcripſiſſet, Vir tot aliis nominibus magnus atque præclarus. Ut multa alia taceam, patuit inde genuina methodus componendi pleraſque controverſias, quibus diu nimis literæ afflictatæ fuere, conſtituendo ex notionibus diſtinctis, quænam determinationes, per tranſennam notionum confuſarum inſpectæ, cuique contradicentium cauſa diſſentiendi exſtiterint. Quo ipſo manifeſtum ſit, quid cuique dandum, quid contra negandum ſit, & quibus limitibus veritas coerceatur. Haud pauca ſunt hac de re profundiſſimi Viri paſſim ſparſa ſpecimina, multo plura futura, ſi homines ab eo optime tradita in novos uſus vertere, quam infelici Compendiorum labore haud raro corrumpere, mallent. Quam vera hæc ſint, liceat mihi uno nunc alterove exemplo, & pluribus fortaſſe deinceps, ex Iuris diſciplina petitis, oſtendere.

Multis ICtorum diſſidiis ſatis nota eſt quæſtio de *Dominio mariti in dotem*. Reperiuntur in Corpore Iuris haud pauci textus, ubi perſpicue marito *dominium dotis* tribuitur; ſunt contra complures alii, qui mulieri in res dotales aperte vindicare videntur.

Sic ſcriptum legimus in Inſtitutionibus, *cauſam dotis habilem eſſe ad transferendum dominium, non ſecus ac venditionem, permutationem, donationem*. Hinc illa effecta juris dominici: *mulier, rem alienam marito ex cau-*

ſa dotis tradens, transfert uſucapiendi facultatem, & maritus, amiſſa poſſeſſione, illam recuperare poteſt actione Publiciana in rem. Pari modo: *Maritus ſervo dotali libertatem dare poteſt: Maritus rem dotalem vindicat; Maritus ſervum dotalem, hæredem inſtitutum, aut adire, aut repudiare, iubet; Marito mortuo, rei dotalis dominium cum univerſitate tranſit in hæredem, a quo mulier illam repetere debet, non actione in rem, ſed tantum perſonali, rei uxoriæ, aut ex ſtipulatu.* Ipſos textus non profero; ſunt enim notiſſimi.]

Contra, dominium rei dotalis mulieri vindicaturi, ſuis quoque armis induti veniunt. *Dos* in legibus dicitur *ipſius mulieris eſſe*; interdum *proprium eius dominium* audit; *Maritus in rebus dotalibus præſtat culpam & dolum; penes mulierem fundi dotalis poſſeſſio* eſſe dicitur, *ut ſatis dare ea de cauſa non teneatur.* Immo generaliter a *Juſtiniano* aſſeritur, *res dotales in dominio uxoris permanere*, & quæ huius generis ſunt alia.

Has pugnas Doctores magno conatu fruſtra componere laborant. Alii cenſent, dominium civile marito competere, uxori naturale; alii, maritum rerum duntaxat æſtimatarum, & quantitatis in dotem datæ, dominum fieri, corporis inæſtimato dati mulierem. Contra alii, uxorem eſſe dominam rei dotalis, maritum iuris, in ea conſtituti. Sunt, qui marito nullum fere ius tribuunt præter ius rebus dotalibus utendi fruendi. Quidam, diſtinguendum, putant, inter

Domi-

Dominium & Proprietatem, quorum prius marito tribuunt, poſterius negant. Nonnulli, Dominium Bonitarium penes maritum fuiſſe, contendunt, Quiritarium penes uxorem. Alii aliter, ut merito mirari liceat, quantas turbas pepererit in re non admodum difficili notionum confuſio, vocabulorumque inopia.

Hæc tota lis facile poterit, ni fallor, componi, diſtincta atque determinata notione Dominii, quæ haud difficulter eruetur.

Homo nonnullas res ſibi ita habere & ſervare poteſt, ut alios ab earum uſu arcere liceat, id non permittente ſolum, ſed etiam ſuadente, natura. Nullo enim pacto fieri poteſt, rebus in communione primæva relictis, ut ea ſemper ſuppetant, quibus ad bene beateque vivendum natura indiget. Proprietates itaque introducendæ erant, quo quisque de neceſſariis vitæ præſidiis ſecurus eſſet.

Fini hinc Dominiorum conveniens videri poſſet, ut cuique libera & illimitata poteſtas competat, de re ſua pro libidine diſponendi. Minime vero. Quivis homo tam in civitate, quam extra illam, multis obligationibus, tanquam vinculis, tenetur, quibus ille ſe quavis ratione liberare non poteſt. Gerit obligationes tanquam homo, tanquam civis, tanquam ſocius, tanquam paterfamilias, et multis aliis modis, quarum aliæ, *connatæ & naturales*, ita humanæ naturæ inhærent, ut homo nullo pacto ab illis liberari poſſit, aliæ vero, licet *contractæ*, non tamen hominem dimittunt, niſi legitime

ſol-

ſolvantur. Neutras violare fas eſt. Quemadmodum autem homines multis actionibus has ſuas obligationes temerare poſſunt; ita non parum vitioſa diſpoſitione illarum rerum, quas ad uſum cuique natura conceſſit; quæ cum nullo caſu, nullo tempore, violandæ ſint, id quoque perverſo dominii uſu fieri non debebit, adeoque talis poteſtas domino in rem ſuam erit concedenda, quæ obligationes non offendat. Definiendum itaque erit *Dominium* per *facultatem, de re pro lubitu diſponendi, quatenus id ſalvis obligationibus fieri poteſt.*

Atque hæc eſt definitio Dominii in genere, quatenus obligationes indeterminatæ ſunt, & in genere accipiuntur. Unde determinando, quod generale eſt, & ſubſtituendo, tanquam in formula Algebraica, diverſas ſpecies obligationum, loco obligationis in genere, prodibunt totidem diverſæ ſpecies dominii, ſub eodem genere comprehenſæ. Ponamus e. g. loco obligationis in genere, obligationes ſolum naturales, quales extra civitatem vigent, & exhibebit definitio primam ſpeciem Dominii, *Facultatem, de re pro lubitu diſponendi, ſalvis obligationibus naturalibus.* Quod eſt ampliſſimum atque omnium latiſſimum dominium, non tamen ita prorſus ſolutum, ut homo pro libidine re ſua abuti poſſit. Eſto, impune id ferre dominum in ſtatu naturæ, &, non uno caſu, in ipſo ſtatu civili: impunitate extrinſeca vis legis naturæ non infringitur, omnem facultatum uſum, cum læſione officiorum coniunctum, plane prohibentis,

ita ut omnis actus, iuſtæ obligationi repugnans, impoſſibilis viro bono haberi debeat.

Minuitur latitudo Dominii huius primitivi contractione novarum obligationum. Transferatur homo ex ſtatu naturæ in ſtatum civitatis, & comitabuntur eum indeſinenter obligationes naturales. At ſuſcipiet adhuc alias novas civis, ſocii, mariti, etc. auctis autem obligationibus, coarctatur eius dominium, & prodit ſpecies dominii, ſub priore, tanquam ſuo genere, contenta. *Ita* enim *nunc de ſuis rebus pro lubitu homo diſponere poteſt* vi dominii, *quoad id ſalvis obligationibus, non ſolum a legibus naturæ, ſed etiam a legibus civitatis, impoſitis, fieri poteſt.*

Conſtitutus in civitate ſuſcipiat modo obligationes Parentis, modo Mariti, modo Paciſcentis, modo Hæredis, etc. totidem novas obligationes prioribus ſuperinducet, adeoque iuſtæ poteſtatis ſuæ limites tanto arctius conſtringet, quanto plures obligationes contrahet. Et hoc modo naſcentur totidem novæ Dominiorum ſpecies inferiores, a ſuperioribus longe diverſæ, ſuis tamen peculiaribus nominibus non notatæ, quod ſermonibus de illis confuſionem aliquam neceſſario adſperget.

Ita Maritus ad ſuſtinenda matrimonii onera accipit dotem, qua quidem utitur tanquam ſua, quia re vera eſſet, ſi conſtaret, matrimonium nunquam diſſolutum iri. Cum vero caſus divortii facile evenire poſſit, tumque mulieri dos reſtituenda, ſuſcipit maritus obligationem hanc,

de fundo inæſtimato non alienando, cum aliis nonnullis. Ex his novis mariti obligationibus reſpectu uxoris dotatæ, naſcitur aliqua nova atque peculiaris Dominii ſpecies, quam fruſtra ad aliam Doctores reducere conati ſunt, cum nuſpiam eædem obligationes, quales hic mariti, reperiantur. Attamen termino proprio atque fixo hæc Dominii ſpecies non poteſt deſignari, rem ipſam quidem verbis explicare licet, ſed unica vox, hunc variarum determinationum complexum exhibens, a ICtis inventa non fuit. Pari modo mulier, marito ſe tradens, bona dotalia regendi durante matrimonio poteſtatem dimittit, & fere non niſi ius ſibi ſervat, in caſu ſoluti matrimonii bona recuperandi. Per has novas adſcitas obligationes, dominium mulieris ex latiori ſpecie in anguſtiorem coarctatur, non tamen eandem, qua continetur dominium mariti. Quemadmodum enim utriusque diverſæ ſunt obligationes; ita utriusque diverſa dominia. Sed huic novæ ſpeciei Dominii itidem fruſtra nomen ſpecificum quæritur.

Atque ex hoc ſpecificorum vocabulorum defectu mira illa diſſidia nata ſunt. Etenim ICti, non optimi plerumque Dialectici, modo intuentes poteſtatem mariti in bona dotalia, & una ſimilitudinem, quæ intercedit inter hanc diſponendi facultatem & dominium in genere, commodo ac proprio vocabulo deſtituti, hanc poteſtatem mariti nomine generis *Dominium* ſimpliciter appellarunt, cum nomen ſpecificum adhibere debuiſſent. Alio autem tempore mariti

obli-

obligationes peculiares reſpectu dotis ſpectantes, ſeu id, quod differentiam ſpecificam huius ſpeciei a genere, aliisque latioribus dominii ſpeciebus, conſtituit, de marito ut *non-domino* locuti ſunt, ipſique dominium (nempe laxiorem aliquam dominii ſpeciem) competere negarunt.

Idem prorſus de muliere verba facientibus contigit. Etenim conſiderantes nonnunquam, maritum fundum dotalem alienare non poſſe; ſoluto matrimonio illum ad mulierem redire, & his ſimilia: ſimilitudo aliqua, inter hanc disponendi potentiam & reliquas latiores, eos permovit, ut de fundo dotali, tanquam patrimonio, tanquam dominio, mulieris, verba facerent, nomenque generis denuo ſpeciei applicarent. Contra, quando mentem convertebant in limitatam mulieris poteſtatem durante matrimonio, illasque adeo determinationes, quæ hanc dominii ſpeciem a reliquis ſeparant, hæc non poterat videri una reliquarum, ac proinde, hoc reſpectu mulierem dotis dominam eſſe, negarunt. Ita ICti dominia in ſuas ſpecies non ſatis accurate dividendo, & rebus propria vocabula aptando, res prorſus diverſas confuderunt, & Doctores, qui confuſionis originem explicare debuiſſent, rem ſatis obviam mirum in modum ſuis commentationibus obnubilarunt.

Atque hoc modo defectu notionum diſtinctarum atque determinatarum, & aptorum vocabulorum, quibus rerum differentiæ indicari poſſent, pleræque Logomachiæ enatæ videntur, quæ tantas ac tam ridiculas haud raro tragœdias dede-

dederunt. Nam, ſi alius, ſimilitudinem ſpectans, quæ inter genus & ſpeciem intercedit, ſpeciem nomine generis appellat, alius vero, differentiam ſpecificam, ab altero inſuper habitam, intuens, huic ſpeciei nomen generis tribui poſſe, negat, andabatarum more pugnabunt, idem intelligent, nec ſe tamen intelligent. Neque prius hæc iurgia ceſſabunt, quam ſpecies, quæ eidem generi ſubſunt, accurate diſtinguantur, diverſisque nominibus deſignentur, quo diverſitas nominum de diverſitate rerum admoneat.

Ex quo patet, quantum ſcientiarum interſit, & notionibus diſtinctis nos uti, &, quæ Logica *Wolffiana* de uſu Terminorum ingeminat, ſancte cuſtodiri, quod dudum ordinis veritatisque magiſtri, Geometræ, ſuo exemplo comprobarunt.

V.

IOANNIS CHRISTIANI LEVSCHNERI,

A. M. ET LYC. HIRSCHB. PRORECT.

DISSERTATIO DE GENVINA VERBI ΕΚΒΑΛΛΕΙΝ NOTIONE, EIVSDEMQVE VSV MVLTIPLICI AC VERO.

I.

Haud quidem ſatis utiliter inſumere operam a multis cenſentur ii hodie, qui, ad rem penitius capiendam, nunc de recto, aut pravo, quorundam Græciæ veteris & Latii vocabulorum uſu, nunc de horum ipſorum indiciis ac notionibus

nibus, vere diligenterque finiendis multa diſquirunt. Quam ob rem eo nonnunquam deveniunt indignitatis aliqui, ut, qui eiusmodi operam ſibi ſumſerunt, eos conviciis onerare, frivolisque tantum non malint ratiunculis in invidiam adducere. Uti tamen, perperam id ipſum fieri, atque inepte culpari, nemo facile dubitat æquior ſane peritiorque; ſic a me nequaquam impetro, ut nihil laude ſua dignum ab iis præſtari iudicem, ſi qui vel rebus etiam minutioribus explicandis, quas pertinere ad ſe præcipue intelligunt, ſtudium velint aliquando maius, maioremque diligentiam, impendere. Præſertim ſi lubeat probe una penſitare, huius generis res pluribus eſſe difficultatibus ſæpe implicitas, quam quidem eæ ſunt, quas iactant illi homines, neque uſum tamen nullum ſuo loco & tempore iis, quorum intereſt, polliceri ac ſuffundere.

II. Ex quibus ſpem ſane concipio, fore, ut meum quoddam periculum, pro unico verbo ἐκβάλλειν verius explicando inſumtum, ii non ægre ferant, qui frequentem variumque tum in ſacris, tum profanis, ſcriptoribus verbi huius uſum perſpicue ſecum expendunt. Norunt ſaltem Græcis literis vel leviter imbuti, ἐκβάλλειν hoc, quoties legitur, non unam & eandem ex interpretum opinione poteſtatem innuere, ipſisque nunc idem dici, quod *eiicere*, & *expellere*, quod *repudiare*, *explodere*, *impellere*, *excipere*, aut quæ plures inſuper ſolent verbo ſignificationes ſubiici. Quas vero doctorum hominum inter-

pretationes quando ita tam in N. F. quam profanis paſſim ſcriptoribus, aſſertas deprehendunt, qui cernunt acutius; fieri vix poteſt aliter, quin occipiant interdum hæſitare, neque vana prorſus iisdem ſubnaſcatur ad quædam dubitatio. Res enim nondum omnino confici hoc modo videtur, ſi verbi cuiusdam vim probabiliter eſſe putemus ope tantummodo connexionis finiendam, nulla nativæ propriæque in verbo notionis ratione habita, a qua tamen ceteræ, ſi quæ formantur, minime poſſunt, nec debent, ſecus, niſi quatenus ex apta ſimilitudinis lege transferuntur, explicari. Omnium enim eſſe vocabulorum unam modo vim, eandemque propriam & nativam, adeo verum eſt, & perſpicuum, ut demonſtratione haud indigeat copioſiore, quo planius inter harum rerum peritos convenit. Neque ii, quod recte teneamus oportet, rem unquam feliciter expediunt, eandemque explicant intelligenter, qui vocabulis notiones eiusmodi affingunt, quæ cum nativa illorum poteſtate nihil habent ſimilitudinis, ſed quæ tantummodo ſolent ab iſtis hominibus ex opinione minus evidenter cognita probataque inferri.

III. Nihil interea verboſius de huius generis cautionibus lubet in præſenti exponere, utut minime neſciam, nulla in re frequentius, quam quidem in hac, quotidie ſuam prodere negligentiam interpretes; quin ipſam potius meam de verbo ἐκβάλλειν inſumtam operam, qua omnino licebit brevitate, expediam. Ne tamen negligentiæ pariter mihi poſſint iure quodam ex-

pro-

probrare crimen, ſimplicis βάλλειν notiones an-tea monſtrabo, atque per exempla, quod ſatis erit, finiam. Habet autem βάλλειν generatim iaciendi vim, uti nemo unquam dubitat, ipſa-que luculenter exempla demonſtrant. Ob arctam deinceps, ſimilitudinis nimirum habita ratione, cum aliis cognationem, non cen-tum quidem fere notiones, quas ſibi perſuaſit quisquam nuper a), complectitur; illud non rarenter tamen ſolet notare, quod *mittere*, quod *agere*, ſeu *pellere*, imo *ponere*, ſua quodlibet na-tiva, apud optimos veteris Latii ſcriptores, pote-ſtate ſignificat. *Iaciendi* interea vim obtinere primo & apud antiquiſſimos Græcorum ſcripto-res, ad huius cauſæ intelligentiam in ſexcentis aliis vel pauca ex *Homero* potiſſimum exempla coram dediſſe ſufficiet. Accipe igitur in multis hæc b):

Αὐτίκ' ἐσύλα τόξον ἐΰξοον ἰξάλου αἰγὸς
Ἀγρίου, ὅν ῥά ποτ' αὐτὸς ὑπὸ στέρνοιο τυχήσας,
Πέτρης ἐκβαίνοντα δεδεγμένος ἐν προδοκῇσι,
Βεβλήκει πρὸς στῆθος. λ.

Item c):

Πάτροκλον βάλε δουρὶ κατὰ κρατερὴν ὑσμίνην.

Et d):

Καὶ βάλεν ἀργήτοιο κατ' ἀσπίδα πάντοσ' ἐΐσην.

Similiter *Euripides* e):

\- - - Κοὐκ ἄπειμι πρὸς δόμους πάλιν
Πρὶν ἄν σε γαίας τερμόνων ἔξω βάλω.

S 2 Qui-

a) In *Symbol. Liter. Vol. II P. III p. 550 ſeq.*
b) Ιλ. δ. v. 105 *ſeq.*
c) Ιλ. ρ. 15.
d) Ιλ. ρ. 255.
e) In *Medea v. 273 ſeq.*

Quibus exemplis aliud, a Romanis petitum, unſ-
cum continuo ſubiungo f):

Frigidus eſt etiam fons, ſupra quem ſita ſæpe
Stupa iacit flammas etc.

Quin imo hæ loquendi formulæ, ἐς σκοπὸς, ἐπὶ σκοπὸν, βάλλειν; λάασσιν, τοῖς λίθοις, καὶ μάλοισι, καὶ τοῖς βώλοις βάλλειν, & ſimiles, ex *Euripide*, *Sophocle*, *Theocrito*, & aliis, non ſunt incognitæ, quam & dicendi rationem vir imitatur ſanctiſſimus in his: Καὶ οἱ ὑπηρέται ῥαπίσμασιν αὐτὸν ἔβαλλον. Ubi plerumque id Interpretes aſſumunt, quod Græca verba minime monſtrant. Ex hac interim prima verbi notione nomen ducitur βέλος, quod ſecundum *Euſtathium* & alios Interpretes nihil eſt aliud, quam πᾶν τὸ πόῤῥωθεν, ſive ἐκ χειρὸς, βαλλόμενον; præſertim cum & βέλλω antiquitus diceretur, quod exempla luculenter probant, veluti i):

ἄλτο δ' οἰϛὸς
Ὀξυβελὴς, καθ' ὅμιλον ἐπιπτέσθαι μενεαίνων.

Et k):

Ἠλοι προόθεν ϛάσαι βέλος ἐχεπευκὲς ἀμύνεν.

Item l):

Τῶν μὲν γὰρ πάντων βέλε' ἅπτεται ὅς τις ἀφείη.

Sed

f) Vid. *Lucretius* de *Rer. Nat. L. VI v. 880 ſeq.*
g) *Mart. XIV, 65.*
h) Vid. una ad Ιλ. δ. *463* edit. *Barneſ.*
i) Ιλ. δ. *125 ſeq.*
k) *l. c. 129.*
l) Ιλ. ϱ. *369*, al. ἀφίει, nec commode.

Sed vereor, ne μύρον ἐπὶ φακῇ mihi exprobret quisquam, ſi quidem auſim in eiusmodi tricis, ut putant, pluribus commorari.

IV. *Mittendi* deinceps vim obtinere βάλλειν, tam parum habet dubitationis, ob eandem partim verbi utriusque naturam, partim quia iſthac de re tum veteres quam maxime Grammatici, tum exempla paſſim, conveniunt. Non autem aliter ipſe *Nonius*, ut hoc unico utar, quando præcipit m): *iacere ſignificat emittere, unde & iaculum*. Huc idem refert illud *Virgilii* n):

Sublataque procul dextra connexa coruſcat
Et iacit.

Verum ſunt adhuc alia in promtu, eademque magis perſpicua, ubi hæc duo verba ponuntur promiſcue, & quorum tantummodo pauca ex multis dabimus.

Sic nempe *Lucretius* o):

- - - - *Si quis procurrat ad oras*
Ultimus extremas, iactatque volatile ferrum:
Quod fuerit miſſum, mavis, longeque volare,
etc.

Uſitatum eſt porro Græcis hominibus, iisque ἀττικωτάτοις, nunc in tertio, nunc quarto, caſu dicere λόγους, ἔπη, βάλλειν, & ſimilia; quod Latini æque imitantur in formulis, *iacere* & *mittere voces*, *crimina*, & huius indolis plura, dum con-

 ne-

m) *De Proprietate Serm. p. m.* 1348.
n) In *Æneid. Lib. V*, 642 *ſeq.*
o) *l. c. L. I*, 642 *ſeq.*

nectunt. Accipe, ne dubites, dictum *Flacci* p):

- - - - lædere gaudes,
Inquis: & hoc ſtudio pravus facis. Unde petitum
Hoc in me iacis?

Neque ſecus *Lucretii* q):

- - edictum ſæpe unum perciet aures
Omnibus in populo, miſſum præconis ab ore.

Et quando paullo poſt r):

Sex etiam, aut ſeptem, loca vidi reddere voces,
Unam cum iaceres.

Et s):

Nunc hinc, nunc illinc, fremitus per nubila mittunt.

Quamobrem hæc duo apte in his coniungit *Cicero* t): *Salium duo ſunt genera, unum facetiarum, alterum dicacitatis. Utetur utroque, ſed altero in narrando aliquid venuſte, altero in iaciendo mittendoque ridiculo.* Atque ita paſſim loquuntur linguæ utriusque ſcriptores optimi, neque facile quisquam dubitat, licet, ſi ad ſingularem poſthæc loci cuiusdam interpretationem res vertatur, complures, quid ſibi velint, reapſe neſciant. Præſertim ſi abrupta ſoleat,

p) *Lib. I Serm. Sat. IV*, 78 *ſeq.*
q) *l. c. L. III*, 567 *ſeq.*
r) *l. c. v.* 581 *ſeq.* coll. *L. II*, 834 *ſeq.* & *Lib. III*, 941 *ſeq.*
s) *Lib. VI*, 195.
t) In *Orator. ad M. Brutum Cap.* 26 *p.* 320.

leat, aut κατ' ἔλλειψιν formata, occurrere dicendi ratio, qualis ineſſe his intelligitur; βαλλ' ἐς κόρακας, εἰς μακαρίαν, τὶ ἦν ἐ ῥέγκω βαλὼν κ. τ. λ. Has autem nunc ideo formulas potiſſimum appono, quoniam iisdem uſi perperam ſunt nonnulli ad interpretandum locum N. F. difficiliorem u): μετ' ἐ πολὺ δὲ ἔβαλε κατ' αὐτῆς ἄνεμος τυφωνικὸς. λ. Ubi tamen ſunt omnia vertenda ſimpliciter ita, ut κατ' αὐτῆς ad proximum vocabulum κρήτη debeat omnino referri, ἔβαλε vero nequaquam vim illam neutram præpoſtere affictam admittat, imo κατ' ἔλλειψιν omisſi pronominis reciproci ἑαυτὸν explicetur. Hoc intellige modo: *at non multo poſt emiſit ſe iuxta illam* (ſcil. Cretam) *ventus* etc; qua quidem explicatione nihil poteſt tum ſingulis verbis eſſe, tum toti eorundem connexioni, convenientius.

V. Βάλλειν interea *ponendi* etiam vim quam maxime includere, atque idem eſſe interdum, quod τιθέναι, ſeu θέσθαι, ut loquitur *Salmaſius* x), exempla ſaltem præclare docent. Huc enim poſſunt luculenter referri quædam *Homeri* y):

Εἰκεν ἐγὼ κεφαλήν τε τεὴν καὶ τεύχε' ἐνείκας
Πάνθῳ ἐν χείρεσσι βάλω λ.

u) *Act. Apoſt.* XXVII, *14.* Vid. *Wolfius* in *Curis Philol. & Critic. ad h. l. p. 1371*, coll. *Jo.* XXI, *7*, & *Matth. IV*, *6*. Ubi pronomen omiſſum expliciter legitur.

x) *De Fœnore trapezitico p. m. 564.*

y) Ιλ. ρ. *39 ſeq.*

Et eiusdem z):

Ἠὲ αὖτις πόλεμόν τε κακὸν καὶ φύλοπιν αἰνὴν
Ὄρσομεν, ἢ φιλότητα μετ᾽ ἀμφοτέροισι βάλωμεν.

Item *Aeſchyli* a):

Σὺ δ᾽ ἰνάχειον σπέρμα τοὺς ἐμοὺς λόγους
Θυμῷ βάλε λ.

Ex ſanctiori cauſa huc non incommode referuntur verba: ἔδει οὖν σε βαλεῖν τὸ ἀργύριον μου τοῖς τραπεζίταις λ. quæ ὁ πάνυ *Salmaſius* ita rectiſſime transfert: *Oportuit te poſuiſſe pecuniam meam menſariis.* Neque alia eſt horum verborum habenda ratio c): μία χήρα πτωχὴ ἔβαλε λεπτὰ δύο. Quod minus recte perſpexit, qui ex errore, ſupra notato, βάλλειν idem eſſe in his exemplis, quod *tradere*, ſibi perſuaſit d), cum tamen in hac cauſa verbum *ponere* apud Latinos uſum quaſi proprium obtineat. Audi e multis *Nepotem* e): *Effecit ex novis vectigalibus, ut ſupereſſet pecunia, quæ in ærario poneretur.* Exempla *Ciceronis*, *Horatii*, & aliorum, non adſcribo, de quibus haud difficulter poteſt conſenſus ſibi inter doctos conſtare. Atque ex hac quidem notione, qua *ponendi* vim habet, loca N. F. ea inſuper rectius explicantur, in qui-

z) Ιλ. δ. 15 *ſeq.*
a) In *Prometh. Vinct. v. 678 ſeq.*
b) *Matth. XXV, 27.*
c) *Marc. XII, 42*, coll. *41.*
d) In *Symbol. Literar. l. c. p. 531.*
e) In *Vita Hannibalis Cap. VII n. 5*, coll. eod. in *Pauſan. Cap. I n. 3. Iuvenal. Sat. XIV, v. 260, Virgil. Aen. VI, 611.*

quibus ægrotorum mentio incidit. *Iacio* ſcilicet interdum eſt *pono* (*ich lege*); *ponor* autem & *poſitus ſum*, *ich liege* ſive iaceo; unde ſimul & *iacio* & *iaceo* differentia facile perſpicitur. En igitur exempla: ὁ παῖς μου βέβληται ἐν τῇ οἰκίᾳ f), *ſervus meus domi poſitus eſt*, ſive *iacet*. En g): προσέφερον αὐτῷ παραλυτικὸν ἐπὶ κλίνης βεβλημένον, i. e. *in lecto poſitum*, ſive *iacentem*. Item h): πτωχὸς δέ τις ἦν ὀνόματι Λάζαρος, ὃς ἐβέβλητο, *qui poſitus erat*, ſive *iacebat*. Quam ob rem & *poſitus* nonnunquam pro *mortuo* uſurpatur, veluti e paucis exemplis perſpicuum erit. Sic nimirum *Statius* i):

Heu mihi, quod poſitos humus alma, dieſque, reſolvit.

Idem k):

Tunc quia nec genitrix iuxta, poſituſque beata
Marte pater, etc.

Idem l):

nec longa morata eſt
Quippe trucem campum, & poſitus quo pulvere frater
Noverat.

Ne tamen ad ea excurram, de quibus quæſtio non eſt, nemo certe diffitebitur, tam arctam eſſe hic utriusque verbi, & *iacere* & *ponere*, cogna-

f) *Matth. VIII, 6*, coll. *14*.
g) *Matth. IX, 2*, coll. *Marc. VII, 30*.
h) *Luc. XVI, 20*.
i) *Thebaid. Lib. XII, 99*.
k) *Thebaid. Lib. VIII, 651*.
l) *Thebaid. Lib. XII, 358 ſeq.* & plures ſimiliter.

gnationem, ut commode poſſint invicem permutari. Quod etiam verum quam maxime cupio, quoniam fieri non æque poteſt, ut uni vocabulo alia ſimul idea ſubiiciatur, quæ cum propria & nativa nulla ſimilitudinis ratione convenit. Unde itidem Romani *iacere* ac *ponere* uſurpare promiſcue conſueverunt. Quis enim ignorat, recte utrumque dici, *iacere* & *ponere fundamentum*. Apparet ſimiliter ex hoc dicto *Maronis* m) ſententia veri:

Omnis in hac certam regio iacit arte ſalutem.

Contra *Lucretius* n):

Sed temere, incaſſum mare, fluctibus ſæpe
Sævibat, leviterque minas ponebat inanes.

Ad quæ verba perperam *Lambinus*: *ponebat leviter minas*, i. e. *facile & cito deſinebat minari*, Rectius enim tum ex verborum vi, tum horum connexione: leviter, i. e. *ſine pondere ac damno*, *minas iaciebat inanes*. Sed vereor plura ſuper nihilo. Idem eſſe βάλλειν ſæpius, quod *agere*, ſeu *pellere*, ſumtum proprie ſignificat, multis docere ſuperſedeo, cum id evidenter poſſit ex iam dictis ſine multa opera intelligi. Unde nihil ſupereſt, quin ad ipſum ἐκβάλλειν progrediar.

VI. Quæ cum ſtrictim fuerint ad genuinam, ean-

m) *Georgic. Lib. IV*, 294.

n) *l. c. Lib. V*, 1003 *ſeq.* vel, ſi malis ita interpretationem intelligere: minæ cum eſſent exiſterentque inanes, illas] ſine] pondere ac damno] iaciebat, ſeu ponebat.

eandemque diverſam, ſimplicis verbi notionem diſceptata; haud difficulter nunc efficietur, neque alias, nec plures, iunctum verbum ἐκβάλλειν complecti notiones, atque ſecundum has omnia poſſe ac debere tum in ſacris, tum profanis, literis explicari. Vim igitur *eiiciendi* ſubditam generatim habet. Secundum hanc vero aliorum pariter verborum continet notiones, atque nunc per *exigere*, ſeu expellere, nunc per *emittere*, nunc per *exponere*, quatenus hæc ſingula nimirum cum nativa & prima notione ex ſimilitudinis lege conveniunt, explicatur. Quas quidem paucas notiones, verbo ἐκβάλλειν ſubiectas, quando expendimus ſobrie, intelligenterque ſuo loco applicamus, viginti ſaltem reliquis, quæ minus prudenter intulerunt interpretes, poterimus commode ſuperſedere. Quis etiam, amabo, harum non leviter peritus literarum, recteque imbutus philoſophicis præceptionibus, credat facile, aut inveniat admittaque viginti, eiusmodi & plures notiones, unico verbo ἐκβάλλειν perperam aſſignatas? Quod enim ſi verum eſſet, uti nequaquam tamen conceditur, quis in ſingulis ſeſe unquam ex tricis, tam multipliciter connexis, expediret? Verum ita fingere notiones atque inferre, tricas connectere ac difficultates, genuini non eſt Interpretis, ſed illius, qui ſomnia & nugas, proprio in cerebro natas, excludit, ſeque & aliorum perplexatur ingenia.

VII. Sed, ne verboſior præter intentionem videar, ipſas, confeſtim notiones, quæ in ver-

bo

bo ἐκβάλλειν revera inſunt, cum exemplis ſimul contemplabor. Loca ſubinde quædam præcipua tam e ſacris, quam profanis, literis intellectu non æque facilia proferam, idque depellere, quicquid ineſſe iſtis difficultatis putarunt Interpretes, conabor, &, ſi quid poſſim, ad liquidum perducere. Generatim igitur ἐκβάλλειν, uti ſupra monuimus, & proprie ſumtum, vim *eiiciendi* notat, eandemque nunc violento, nunc modo mitiore, nunc de perſonis, nunc de rebus, intelligendam. Non tamen diffiteor, id me in Latinis potiſſimum optimæ notæ ſcriptoribus animadvertiſſe, *eiicere* in exemplis plerumque dici de uno, aut paucis, aut toto aliquo ſtatu, aut re alia una ſimiliter. Quod etiam verbo ἐκβάλλειν, quatenus *eiiciendi* vim ſingulariter notat, ob naturam, quam facile unusquisque capit, videtur convenientius. Verum in exemplis, quatenus primo de animatis ἐκβάλλειν, violento modo ſumtum, legitur, & deinceps de rebus inanimatis, de hac utraque re ex ordine ſuo cauſa cognoſcetur dilucidius.

VIII. Nihil igitur dubito, quin *eiiciendi* poteſtatem, cum violentia quidem intelligendam, nemo non in exemplis, quæ dabimus, luculenter perſpiciat, quando nempe *Ariſtoteles* de *Dione* o): Διονύσιον δε Δίων στρατεύσας κηδεστὴς ὢν καὶ προσλαβὼν τὸν δῆμον, ἐκεῖνον ἐκβαλὼν διεφθάρη. Item in alio exemplo *Iſocrates* p): ὕστερον ἀφικόμενος ἐκ Φοινίκης ἀνὴρ φυγὰς

o) *Politic. Lib. V Cap. 10 p. 636* edit. *Heinſ.*
p) In *Evagora p. 281 n. 30* edit. *Wolf.*

Φυγὰς - - . . Τὸν μὲν εὐεργέτην ἐξέβαλεν, αὐτὸς δὲ τὴν βασιλείαν κατέσχεν. Et quocum convenit aliud q): Κόνων νικήσας τῇ ναυμαχίᾳ, Λακεδαιμονίους ἐξέβαλεν ἐκ τῆς ἀρχῆς: ubi, quæ conſequuntur, rectiſſime converti hoc modo poterunt: *Conon Lacedæmonios*, i. e. *rem Laconicam*, (veluti dicimus *rem Romanam*, *Hetruſcam*, *Sabinam*, quod ex *Livio* conſtat,) *ex imperio*, ſive *principatu*, *eiecit*. Et itidem *Ariſtoteles* r): εἶτα πλείους οἱ Ἀχαιοὶ γενόμενοι ἐξέβαλον τοὺς Τροιζηνίους; & *Polybius* s): ὑποστάντες γενναίως τὸν πόλεμον, καὶ τὸ τελευταῖον τάς τε δυνάμεις καὶ Πύῤῥον ἐκβαλόντες ἐκ τῆς Ἰταλίας ϱ. Item *Aelianus* t): Ῥωμαῖοι Ἀλκαῖον καὶ Φιλίσκον τοὺς ἐπικούρους ἐξέβαλον τῆς πόλεως, quæ monſtraſſe tamen loca e profanis Græcis ſufficiet. In aliquibus autem locis, e ſacra Scriptura repetitis, huc ſpectat exemplum *Stephani* u): καὶ ἐκβαλόντες ἔξω τῆς πόλεως, ἐλιθοβόλουν, ubi a propria ſignificatione recedendum non eſt, quod nonnullis inconſulto placet. Reſtat interea, ut ſecundum hæc in quibusdam etiam exemplis perſpicuis oſtendamus, quam egregie optimi Scriptores Romani ad noſtram, aſſertam ſupra, ſententiam cum Græcis con-

q) In *Orat. ad Philip. p.* 128 *n.* 40.
r) *Politic. Lib V Cap.* 3 *p.* 545. Conf. *l. c.* καὶ ἀντιστασιῶται λ.
s) *Hiſt. Lib.* I *p. m.* 3 edit. *Hervag.*
t) *V. H. Lib.* IX *Cap.* 12.
u) *Act.* VII, 58. coll. XIII, 50.

conveniant. En autem dictum *Plautinum*, ubi *Argyrippus* adoleſcens x):

Siccine hoc fit, foras ædibus me eiici y).

Et paullo infra de lena *Clearεta*:

Cum tu me, ut meritus ſum, non tractas, quæ eiicis domo.

A quibus haud alienum multum illud *Menedemi* de filio apud *Terentium* z): *Ego cum eieci miſerum iniuſtitia mea.* Similiter in multis loquitur *Nepos*, e quibus vel pauca lubet apponere; velati quando de rebus geſtis *Cimonis* diſſerit; & inter alia hoc modo a): *Scyrum vacuefecit, & ſeſſores veteres urbe inſulaque eiecit.* Alio in loco de *Alcibiade* b): *Cum intelligerent, ſe plurimum prodeſſe poſſe in republica, ex ea eieciſſe* etc.; item non ſecus c): *Ob eundem timorem, quo damnatus erat Miltiades, teſtarum ſuffragiis e civitate eiectus, Argos habitatum conceſſit.* Atque hæc quidem de eo, quod primo loco nobis ſumſimus.

IX. Verum enim eleganter hoc etiam verbo utuntur optimi Græci Scriptores, quatenus non de animatis æque, quam inanimatis, rebus eiiciendis mentio incidit. Ne dubites, audi continuo *Herodotum*, qui de *Hippia* d), quod ſternutans nimium, ingentique correptus tuſſi,

ἔνοι,

x) In *Aſinar. Act. I Sc. 2 v. 1.*
y) *l. c. Sc. 3 v. 19.*
z) *Heautontim. Act. I Sc. 1 v. 82.*
a) In *Vita Cimonis Cap. II n. 5.*
b) In *Vit. Alcibiadis Cap. IV n. 6.*
c) In *Themiſtocl. Cap. VIII n. 1.*
d) *Hiſt. Lib. VI p. 333* edit. *Stephan.*

ἕνα, ait, τῶν ὀδόντων ἐκβάλλει. *Cebes*, in morbis depellendis quid medicus agat, diſſerens, ita hoc verbo utitur e): ὡς ἂν τις φιλοτίμως κάμνων ἐτύγχανεν ὁ πρὸς τὸν ἰατρὸν ἂν δήπου γινόμενος, πρότερον καθαρτικοῖς ἐκβαλόντα πάντα τὰ νοσοποιοῦντα. Imo dilucidius fere in hanc cauſam *Arrianus* f): ἐντεῦθεν ἐκ τῆς διανοίας ἔκβαλε λύπην, φόβον, ἐπιθυμίαν, φθόνον, φιλαργυρίαν, μαλακίαν, ἀκρασίαν λ. Quamobrem, cum ita ſint Græci homines verbo ἐκβάλλειν uſi, mirum adeo non eſt, apud optimos veteris Latii ſcriptores, qui & ipſius imitandæ naturæ, & Græcorum, ſemper exſtiterunt ſtudioſiſſimi, eiusmodi dicendi formulas occurrere. Ita vero apud *Terentium Phædria* g): *eiiciunda hercle hæc*, ait, *mollities animi*; & alibi h):

Itane tandem, quæſo, eſt, Menedeme, ut pater
Tam in brevi ſpatio omnem de me eiecerit animum patris?

Cicero aliquo in loco i): *Ut propaganda religio eſt, ſic ſuperſtitionis ſtirpes omnes eiiciendæ*. Eſt neque infrequens apud *Cæſarem* k) & alios dicen-

e) In *Tab. Cap. XIV p. 119 ſeq.*

f) In *Epictetum Lib. II Cap. 17 p. 217* edit. *Cantabrig.*

g) In *Eunuch. Act. II Sc. 1 v. 16.*

h) *Heautontim. Act. V Sc. 2 v. 1, 2.*

i) *De Divinat. Lib. II Cap. 72.*

k) *De B. Civ. Lib. III Cap. 18*, coll. *25*, & *de Bel. Gallic. Lib. V Cap. 10* etc. Conf. *Seneca Epiſt. IX p. m. 536* cum aliis.

dicendi forma, *navem in terram*, *in littora*, *eiicere*, atque conſimili ratione.

X. Singularis denique uſus eſt verbum ἐκβάλλειν cum *eiiciendi* poteſtate, quando de mulieribus accipi apud veteres ſolet, quæ vel ob adulterium, vel aliam morum pravitatem, a maritis eiiciebantur. Exempla quædam in medium afferemus, in quibus eruditiſſimo *Graevio* l) priora duo debemus, & quæ poterunt rem ipſam evidentius declarare. Sic autem *Ariſtophanes* in *Nubibus*: ἐκβάλλει δὲ ὁ ἀνὴρ τὴν γυναῖκα, & *Plutarchus* in *Romulo*: Νόμος μὴ διδοὺς γυναικὶ ἀπολείπειν τὸν ἄνδρα, διδοὺς δὲ ἐκβάλλειν γυναῖκα ἐπὶ φαρμακείᾳ τέκνων. Plura dabit ὁ πάνυ *Graevius*, qui rem etiam ita intelligenter expedit: Maritum proprie dici ἐκβάλλειν γυναῖκα, quam repudiet, & mulierem contra ἀπολείπειν ἄνδρα, a quo divortium faciat. Ad quam cauſam videntur rectiſſime ſpectare dicta hæc *Siracidis* m): γυνή σοί ἐστι κατὰ ψυχήν, μὴ ἐκβάλῃς αὐτήν; item n): γλῶσσα τρίτη γυναῖκας ἀνδρείας ἐξέβαλε κ. λ. Latini homines, quando eadem de cauſa loquuntur, adhibent ſæpe verbum *eiicere*, nonnunquam etiam *exigere*. Ut rem in exemplis cognoſcas, en verba *Terentii* o):

niſi

l) In *Not. ad Luciani* Σολοικ. *p. 121 ſeq.*
m) *Cap. VII v. 27*, coll. *Cap. XXV, 28.*
n) *Cap. XXVIII, 17.*
o) In *Phorm. Act. II Sc. 2, 9.*

niſi tu properas mulierem
Abducere, ego illam eiiciam.

Et *Plauti:* p)

Uxor viro ſi clam domo egreſſa eſt foras,
Viro ſit cauſa, exigitur matrimonio.

Simile habet exemplum *Cicero* adverſus *Antonium* q): *Mimam illam ſuam ſuas ſibi res habere iuſſit: ex duodecim tabulis cauſam addidit, exegit.* In cauſa tamen maxime ſingulari legitur itidem de muliere apud *Hippocratem,* r) ut e multis ſaltem duobus exemplis utar: ἕτερον ἐκβόλιον, ὃ τὸ παιδίον βλητὸν γενόμενον ἐκβάλλει; & paullo inferius: ἔμβρυον ἀκίνητον φθεῖραι καὶ ἐκβαλεῖν.

XI. Atque, hæc de prima quidem & nativa verbi ἐκβάλλειν poteſtate diſſeruiſſe, ſatis videri poteſt. Proxima nunc eſſe poteſt eidem ſubdita, nec ſine vi intelligenda vehementiore, ad quam indicandam Latini nonnunquam verbo *exigere,* ſæpius tamen *expellere,* utuntur. Nihil habent tantum non differentiæ hæc duo, unde promiſcue cum verbo *eiicere,* ſaltem poſterius ſolent optimi Romani ſcriptores uſurpare. Niſi forſitan in eo quidquam cenſeas ineſſe diſcriminis, quod verbum utrumque hac quidem ſententia

p) In *Mercat. Act. IV Sc. I v. 5 ſeq.* coll. *v. 12.*

q) *Phil. II p. 846* edit. *Gothofr.* De ipſa divortii formula vide ſis Cl. *Funccium ad XII Tabb. p. 285 ſeq.* & *Barnab. Briſſonium de Formulis Lib. VIII p. m. 722 ſeq.* Conf. *Lactantius Inſt. Lib. VI Cap. 23 n. 33,* & *de Mortib. Perſecut. Cap. 39 p. 1462* edit. *Bun.*

r) *De Morbis mulierum Lib. I ſect. CX p. 503* ed. *Lind.*

tentia notionem magis finitam obtineat, neque ſine vi explicita intelligendam & iunctim quaſi cum fuga. Accipe, ut rem penitius diſcernas in exemplo, verba *Ariſtotelis*: s) Οἱ γὰρ δημαγωγοὶ, ἵνα χρήματα ἔχωσι δημεύειν, ἐξέβαλον πολλὰς τῶν γνωρίμων; item *Arriani*: t) ἔνθεν ἐκβάλλειν δεῖ τὰς τυράννους; & κἂν ἔνθεν ἐκβληθῶσιν οἱ τύραννοι λ. Ubi commodiſſime verbum *expellere* uſurpaveris. Facile foret, duas ſaltem rationes ſubiungere, niſi ſeculi genium timeremus, cui riſu dignum videtur, velle in rebus minutioribus multa præcipere, licet re vera a pluribus neſciantur, neque parum ad graviora rectius tenenda conferant. Huc referes tamen non perperam dictum ſanctiſſimi Servatoris: u) Καὶ λαβόντες αὐτὸν ἐξέβαλον ἔξω τοῦ ἀμπελῶνος, καὶ ἀπέκτειναν; & cui quodammodo convenit aliud *Polybii*: x) Κατασχόντες τὴν πόλιν, οὓς μὲν ἐξέβαλον τῶν πολιτῶν, οὓς δ' ἀπέσφαξαν. Latini non ſecus, in quorum tamen exemplis proferendis non erimus copioſiores, ne lucem velle accendere diei videamur, aut rem ſtudio actam agere. Ut tamen quædam coram videas, en *Nepos*: y) *Deceſſit autem fere poſt annum quartum, quam Themiſtocles Athenis erat expulſus*; ubi in ipſo *Themiſtocle*

s) *Politic. Lib. V Cap.* 5 *p.* 564. Conf. *Ælianus V. H. L. XIV Cap.* 25, *Judith Cap. V v.* 14, coll. 16.

t) In *Epictet*: *Lib. III Cap.* 26 *p.* 361.

u) *Matth. XXI*, 39.

x) *Hiſtor. Lib.* I *p.* 3.

y) In *Ariſtide Cap. III p.* 3.

ſtocle legitur *ejectus*. Item *Salluſtius*: z) *Poſtremo omnes, quos flagitium, aut facinus, domo expulerat, hi Romam, ſicuti in ſentinam, confluxerant.* Suetonius: a) *Cæſar, nactus imperii occaſionem, quod Alexandrini Regem ſuum ſociumque atque amicum a ſenatu appellatum expulerant.* Imo *Lucretius* b):

Hæc igitur qui cuncta ſubegerit ex animoque
Expulerit dictis.

Et *Terentius* c):

Inventa eſt cauſa, qua te expellerent.

A quibus dicendi formulis vel ipſe Ebræus d) non multum dicendo differt:

הן גרשת אתי היום מעל פני האדמה.

XII. Quæ cum fuerint a nobis hoc modo diſceptata, poteſtatemque vehementiorem, verbo ἐκβάλλειν inditam, exempla ſane omnia demonſtraverint; duæ nunc potiſſimum in cenſum venient notiones, quas ἐκβάλλειν complectitur, & quæ altera vi debent, eademque mitiore, intelligi. Una vero eſt, qua ex ſimplicis verbi notione, ſupra monſtrata, nihil poteſt aliud denotare, quam quod *emittere*, Latinis hominibus varie itidem ſumtum, ſignificat. Ex qua leniore quidem ſignificatione quamplurima debent loca tum ex ſacris, tum profanis, ſcriptoribus verius capi & explicari. Dabimus igitur exempla, eaque in-

z) In *Conjurat. Catilinar. p. 15.*
a) In *Vita Cæſaris Cap. 11.*
b) l. c. *Lib. V v. 50 ſeq.*
c) *Heavtontim. Act. V Sc. 2 v. 35.*
d) *Geneſ. IV, 14,* & in pluribus.

inprimis, quæ aut in ſe ſunt quibusdam difficultatibus implicita, aut ab interpretibus ſolent non conſentanea omnino ratione intelligi. Huc referenda iure quodam eſſe ducimus verba hæc *Æliani*: ἤδη τινὲς τὴν Μίλωνος τȣ͂ Κροτωνιάτȣ περιφερομένην Ῥώμην ἐξέβαλον, τοιαῦτα ὑπὲρ αὐτȣ͂ λέγοντες λ. *Kuhnius* transfert h. l. ἐξέβαλον *contemtius reddiderunt*; *Perizonius* e) tamen videtur ad rem accedere propius, dum explicat ἐξέβαλον, eodem hoc in loco, *exploſerunt*, *reiecerunt*, pro quo ultimo malim potius *eiecerunt*, veluti *Cicero* f): *iam exploſæ*, *eiectæque*, *ſententiæ Pyrrhonis*, *Ariſtonis*, &c. Namque Latinis hominibus *explodere* eſt manibus cum ſono pulſantibus domo, aut e quovis conventu, eiicere, ſeu emittere g); quam ob rem ἐκβληθεὶς etiam in Gloſſis idem, qui *exploſus*, dicitur. Poſſit interea hæc interpretatio & cum dictione Græca, & cum omni verborum connexione, tantum non verius ita ſibi conſtare: Quod ad robur *Milonis* Crotoniatæ pervulgatum attinet, quidam tunc emiſerunt, talia de ipſo dicentes, &c. *Einige trugen die berüchtigte Stærcke des Milo von Crotona damahls ſchimpflich aus, und ſagten von ihm* &c. Quemadmodum eſt illud *Ciceronis* h): *Nihil eſt tam volucre, quam maledictum, nihil facilius emittitur, nihil citius excipitur, nihil latius diſſipatur.*

e) Vid. *Ælian.* *V. H. Lib. II Cap. 24 p. 108* edit. *Periz.*
f) *De Finibus Bon. & Mal. Lib. V Cap. 8 p. 122.*
g) Conf. *Perottus* in *Comment. L. L. p. 2.*
h) *Pro Plancio Cap. 23 p. 961.*

patur. Hoc enim modo ſibi omnia planiſſime conſtant; quo magis cavendum eſt, ne in transferendo propriam verbi nativamque vim omnino negligamus.

XIII. Alia interea inſuper exſtant loca, quorum ſimilis habenda eſt ratio, veluti eiusdem *Æliani* i): Τὸ δέος δὲ αὐτοὺς κατέσχεν ὅλως, ὡς καὶ ἐκβαλεῖν τὰς αἰχμάς, i. e. haſtas ut emitterent (ſcil. ἐκ χειρὸς). Huc porro referes commode aliud hoc illius dictum k): ὑποκρινομένου Φρυνίχου τοῦ τραγικοῦ τὴν Μιλήτου ἅλωσιν οἱ Ἀθηναῖοι δακρύσαντες ἐξέβαλον δεδοικότα καὶ ὑποπτήσσοντα. *Vulteius* verbum hoc loco transtulit ſimpliciter *eiecerunt*, quod tamen minus ferendum cenſuit *Schefferus*. Huic autem dicam contra ſcribunt duumviri eruditiſſimi, *Kuhnius* & *Perizonius* l), qui malunt verbum *eiecerunt* tolerare. Neque id ego auſim prorſus reprehendere, licet, ratione totius connexionis habita, interpretationem hanc fore ſimpliciſſimam, arbitrer; Athenienſes metuentem perhorreſcentemque lacrymantes emiſerunt (ſcil. e cuſtodia). Eſt etiam Latinis hominibus hæc formula non inſolita, quemadmodum *Nepos* m): *Cimon eadem cuſtodia tenebatur, neque legibus Athenienſibus emitti poterat*; & *Cicero* n): *Emiſſus aliquis e carcere, & quidem emiſſus neceſſa-*

i) *V. H. Lib. VI Cap.* 14.
k) l. c. *Lib. XIII Cap.* 17, coll. *Sapient.* XIX, 3.
l) Edit. *Perizon. p.* 822.
m) In *Vit. Cimonis Cap. I n.* 1.
n) In *Orat. pro Plancio Cap. XII p.* 955.

ceſſarii hominis, optimique adoleſcentis, rogatu. Æque ad rem *Hirtius* o): *Ille, ut ex carceribus in liberum curſum emiſſus, adeo contra Cæſarem acriter bellum gerere cœpit, ut lacrymas, quas in colloquio proiecerat, gaudio videretur profudiſſe.* Ex quibus profecto veriſimilis ratio in *Æliani* loco luculenter perſpicietur, quo minus unquam quidquam dictis eſſe interpretando inferendum exiſtimem.

XIV. In ſanctioribus literis loca itidem occurrunt quamplurima, quæ leniorem verbi ἐκβάλλειν depoſcunt explicationem, idque ubi aliud nihil eſt, ob orationis cohærentiam, quam quod *emittere*, vel Ebr. שלח complectitur. Scilicet in verbis *Marci* p): εὐθὺς τὸ πνεῦμα αὐτὸν ἐκβάλλει εἰς τὴν ἔρημον, i. e. ipſum ſpiritus in deſertum emiſit; & in aliis his q): Καὶ ἐμβριμησάμενος αὐτῷ, εὐθέως ἐξέβαλεν αὐτὸν, *ſtatim ipſum emiſit.* Hæſerunt complures in dictis apud *Matthæum* r): ὅπως ἐκβάλλῃ ἐργάτας εἰς τὸν θερισμὸν αὐτοῦ, quæ tamen ſunt hoc modo ſimpliciter intelligenda: *ut in meſſem ſuam emittere operarios ſoleat.* Loquuntur etiam ita Latini, veluti in hoc exemplo: *Perſuaſit Lacedæmoniis, ut exercitum emitterent in Aſiam.* Difficilis itidem viſa eſt hæc verborum connexio: ἕως ἂν ἐκβάλλῃ εἰς νῖκος τὴν κρίσιν s), i. e.

o) *De Bell. Alexandrin. Cap. 24.*
p) *Cap. I, 12.*
q) *Cap. cit. v. 43.*
r) *Cap. IX, 38,* coll. *Luc. X, 2, & Jo. X, 4.*
s) *Matth. XII, 20,* varias recenſet ſententias *Wolfius* in *Curis ad h. l.*

i. e. usque dum quidem emiſerit, ſive iuſſerit exire iudicium ad victoriam: *So lang er nur noch ausgeſendet, oder ausgeben læſst das Gericht zum, oder nach, dem Sieg.* Κρίσις enim quæ dicatur, ea ſatis videtur, mea quidem ſententia, in verbis *Ioannis* explicita t): αὕτη δέ ἐστιν ἡ κρίσις, ὅτι τὸ φῶς λ. Νῖκος autem eſt victoria, per Chriſtum recuperata u), & doctrinæ veritas, ſecundum quam κρίσις illa exigitur. Magis eſt perſpicua per *emittendi* vim interpretatio in his x): Ὁ ἀγαθὸς ἄνθρωπος ἐκ τοῦ ἀγαθοῦ θησαυροῦ τῆς καρδίας ἐκβάλλει τὰ ἀγαθὰ λ. *Bonus homo ex bono cordis theſauro emittit bona*, & contra. Et in aliis apud *Lucam* y): Μακάριοί ἐστε, ὅταν μισήσωσιν ὑμᾶς οἱ ἄνθρωποι - - καὶ ἐκβάλωσι τὸ ὄνομα ὑμῶν ὡς πονηρὸν λ. Vener. *Raphelius* ἐκβάλλειν hic eſſe cenſet idem, quod *reiicere*, *reprobare*, *aſpernari*, ex *Polybio*, uti ſibi perſuaſit, condocefactus. Verum legi & relegi locum, e *Polybio* citatum, neque inveni eiusmodi quidquam, niſi ſtudio luberet a genuina verbi ἐκβάλλειν ſignificatione diſcedere, & fingere nonnihil inſolitam. Quin imo verborum omnis erit ſententia ſine *Polybio* dilucida hoc modo: Beati eſtis, quamvis odio vos habuerint, & emittere

 ſoleant

t) *Jo. III, 19.*
u) Conf. 1 *Cor. XV, 54 ſeq.* ubi tamen eſſe pariter habendam τοῦ לנצח rationem, haud mihi patiar admodum difficulter perſuaderi.
x) *Matth. XII, 35,* coll. *XIII, 52.*
y) *Cap. VI, 22.* Conf. *Wolfius* in *Curis Phil. & Critic. ad h. l. p. 625.*

ſoleant (*ausbringen, oder austragen, ſolten*) nomen veſtrum tanquam pravum. Quemadmodum Latini homines eiusmodi habent dicendi formulas: *in vulgus emittere*, *emittere in hominum ora*; & z)

voces

Exprimimus, rectoque foras emittimus ore.

Exſtat & conſimilis locus *Æliani Hiſt. Animal. XI, 10, p. 645*: Αἰγύπτιοι δὲ ἐκβάλλουσι τὸν λόγον ὡς ψευδῆ. In huius generis, tum ſanctiorum literarum, formulis hærent interdum interpretes, qualis hæc eſt a): ἐκβαλὼν δὲ ἔξω πάντας ὁ Πέτρος λ. ubi de violenta profecto eiectione ſermo non eſt, ſed ſententia hæc: omnibus autem a *Petro* emiſſis, ſeu, ſi malis, exire iuſſis, &c. Veluti eſt in exemplo *Virgilii Æn. VI, 898*:

Proſequitur dictis, portaque emittit eburna.

Reſtat igitur, ut eam demum vim verbo ἐκβάλλειν ſubiectam breviſſime indicemus, qua ex ſimplicis βάλλειν natura *exponere*, neque uno modo, ſignificat. Apparet hæc notio luculenter in exemplo *Iſocratis* b): εἶτ δὲ τοὺς μὲν ἀπὸ Κύρου τὴν ἀρχὴν ἔχοντας, ὃν ἡ μήτηρ εἰς ὁδὸν ἐξέβαλε, *ad viam expoſuerat*. Item in exemplo *Æliani* c): ἀλλὰ καὶ τὸν νεκρὸν ἐξέβαλον

z) *Lucretius L. IV v. 554.* Conf. §. XII.
a) *Actor. Cap. IX, 40,* coll. *Matth. IX, 25, Marc. V, 40, Jac. II, 25, 3 Jo. v. 10,* ad quem ultimum locum conf. Celeb. *Ch. A. Heumanni Comment. in Jo. Apoſtoli Epiſtol. III p. 22 ſeq.*
b) In *Orat. ad Philipp. p. 160 n. 6.*
c) *V. H. Lib. IV Cap. 7.*

βαλον αὐτοῦ ἐκτὸς τῶν ὅρων λ. *extra fines expoſuerunt.* Atque hoc quidem modo etiam apud Romanos verbum *exponere* recto ſuo uſuque genuino legitur, de qua re pauca tantum exempla e compluribus apponemus. Ad hanc vero ſententiam *Lucanus* d):

O utinam cœlique Deis Erebique liceret
Hoc caput in cunctas damnatum exponere pœnas;

Item *Statius* e):

Illam diva ferox etiamnum in limine ſacro
Expoſitam, & gelidas verrentem crinibus aras
Linquit &c.

Et idem f):

. . . . . *non conjugis iſta*
Conſiliis (ut vere) puer, nec ſæva roganti
Sic expoſtus ego.

Alibi *Cæſar* g): *Noctu militibus & ſagittariis in terram expoſitis.* Idem h): *Neque affectum valetudine filium exponere in terram patitur.* Nihil ſecus *Iuſtinus* in exemplo alio i): *Harpagus paſtori regii pecoris puerum exponendum tradidit*; & k): *Hiero, ex ancilla natus, vel dehoneſtamentum generis, a patre expoſitus fuerat.* Quamobrem, uti verba ſimplicia βάλλειν

T 5 &

d) *Bell. Pharſal. Lib. II, 296 ſeq.*
e) *Thebaid. Lib. IX v. 637 ſeq.*
f) *l. c. Lib. VII, 195 ſeq.*
g) *De Bell. Civil. Lib. III Cap. 23.*
h) *l. c. Lib. I Cap. 31.*
i) *Hiſt. Lib. I Cap. 4.*
k) *Lib. XXIII, Cap. 4, coll. Lib. XLIV Cap. 4 n. 3.*

& τιθέναι, ſeu θέσθαι, ſic pariter ἐκβάλλειν & ἐκτιθέναι, ſeu ἐκθεῖναι, in exemplis, & ratione vera, rectiſſime conveniunt. Ex hac autem notione nemo facile quisquam dubitat, quin verba ſint hæc apud *Lucam* perſpicua l): Καὶ ἐπὶ τὴν αὔριον ἐξελθὼν, ἐκβαλὼν δύο δηνάρια ἔδωκε τῷ πανδοχεῖ λ. id eſt, duobus numis denariis depromtis, ſeu expoſitis, (*nachdem er zween Groſchen herausgelegt, und ſie dem Wirth gegeben hatte*) &c. Eleganter ideo apud Romanos *expoſitus* is dici nonnunquam ſolet, qui addictus, liberalis, promtus, & facilis, eſt. In multis hoc poteſt docere exemplum *Statii* m):

Non tibi ſepoſitas infelix ſtrangulat arca
Divitias, avidique animum diſpendia torquent
Fœnoris: expoſiti cenſus, & docta fruendi
Temperies.

Item apud *Plinium* n), qui multa cum laude de *Euphrate* Philoſopho inter alia dicit: *Eſt ille obvius, & expoſitus, plenusque humanitate, quam præcipit.*

XV. At enim nunc prorſus ſubvereor, ne diſſeruiſſe copioſius forſitan ad hoc verbum, idque videar dediſſe, quod multa pars nimis minutum fere, ieiunum, indignumque ideo hac opera, iudicet. Præſertim cum nec pauci hodie ſint, qui nihil non, quicquid Grammaticam ſapit, aut ſimile quidquam, frivole aſpernantur, atque ad ido-

l) Cap. X, 35.
m) *Lib. II. Sylvar. I v. 150 ſeq.*
n) *Lib. I Epiſt. 10* poſt init.

idoneam tum ſacrorum, tum profanorum, librorum interpretationem aliam quandam videntur ſapientiam, ſi Diis placet, nempe petitam altius, requirere. Interea, veluti iſthanc ipſis ſponſam, non temere quidem, neque importune, dilectam, minime invideo, imo eandem ipſe ſtudioſe ſuo tempore probo, cotidieque amplector & coniungo, ita hanc in præſenti meam, inque huius generis rebus præcipue aptam & utilem, & neceſſariam, non moroſe iidem contemtimque ferent. Quod quidem ab iis haud imprudenter exſpecto, qui cognitum omnino habent uſum tam in profanis Græcis, quam ſacris, creberrimum, idque cogitant, quam diverſis modis alias alii notiones detorqueant, adulterent, atque ita plerumque diſſideant. Norunt iidem & expendent, nomina & verba rerum eſſe notas, quæ, ſolide facta explicatione, clariori harum ubique demonſtrationi poſthæc inſerviunt. Quamobrem veras ipſi verbo *ἐκβάλλειν* notiones inditas iunctim tanquam in tabula ſpectandas proponere, illarumque diverſas formas ſigillatim per exempla docere, comprobare, atque ſpurias disiicere alias, ſimul viſum eſt. Si qui tamen ſunt, qui meliora me docere, eademque velint in exemplis, inſtructi rationibus idoneis, oſtendere, eos haud ægre, imo lubenter, audiam.

VI.

VI.

IO. IAC. REISKE CONIECTVRARVM AD HERODOTVM

PARS III.

PRAEFATIO.

Non erat quidem animus, mediæ huic opellæ novam Præfationem, poſt illam ſuperiorem, inſercire, vereorque, ne multi ſint, quibus illud inſtitutum improbabile videatur. Eſt tamen, quod, ut prorſus celari harum literarum amantes abſque flagitio haud poteſt, ita oportuniore, quam hoc, loco proferri non poterat. Vetuſta iam fama conſtat, *Stephanum Berglerum*, hominem Græce doctiſſimum, editionem *Herodoti* animo agitaſſe; quam impetu viri, ſibi magis, ut videtur, quam literis atque literatis aliis, faventis, interceptam fuiſſe, prodebam nuper, in ipſo huius opuſculi principio, mihi haud parum dolere. Scribebam ea tum temporis, cum, quæ tandem fata nactæ fuiſſent *Berglerianæ* ſchedæ, prorſus ignorarem. Contigit deinceps, ut earum copia mihi fieret in celebri huius urbis bibliopolio, quo pervenerant e muſeo noſtri quondam, ſemper præclari futuri viri, *Io. Henrici Leichii*, qui *Herodotum Berglerianum* nobis redditurus erat, niſi præmatura eum fata avocaſſent. Luſtrabam tantæ famæ atque exſpectationis opus venerabundus, non quidem ea, qua par erat, cura, ſed raptim,

raptim, ut anguſto tempore, aliisque rebus intentior, eo denique animo, qualis ad ſubitum reperti ex inſperato theſauri conſpectum eſſe ſolet. Viſus tamen mihi ſum ex illa tumultuaria ſchedarum vexatione intellexiſſe, *Bergleri* ſedulitatem in enotandis præcipuè verſatam fuiſſe, comparandisque cum *Herodoto*, locis veterum utriusque ſermonis ſcriptorum, quibus hiſtoriæ pater aut ex profeſſo allegatur, aut eius, tacito nomine, repetuntur narrationes. Qualem operam, quam certum eſt, a nemine adhuedum impenſam *Herodoto* fuiſſe, tam teſtatum eſt & extra controverſiam, longe utiliſſimam eam & pernecesſariam eſſe. Tria nempe ſunt præcipua reſtituendis integritati ſuæ veteris ævi monumentis adminicula: bonæ & antiquæ notæ Codices manu exarati; tum facta diverſorum veterum Auctorum, de iisdem rebus tradentium, inter ſe comparatio; tandem, iſtis deficientibus, ingenii acumen, & conicctandi dexteritas. Sed ea eſt harum rerum ratio, ut ſimul omnes omnibus veterum librorum interpretibus oppido raro adſint. *Caſauboni* vix per ſecula emicant. Et turbat in his quoque inconſulta ſæpe fortuna. Qui bonos in Codices incidunt, non ii ſemper ſunt, qui diligenter iis uti, lectionumque, ibi abditarum, pretia diſtincte æſtimare, norint. Eos autem, quos excellens iudicii ſui robur haud fugit, confidentia ſui faſtusque in transverſum agit, ut, ſufficere ſibi domeſticas ingenii opes, rati, æque cenſeant ærumnoſam, miſeramque, & indignam ſua perſona, & tantum non male col-

loca-

locatam, ſedulitatem, quæ circa Codicum manuſcriptorum cum impreſſis comparationem verſatur, atque illam, quæ in compilandis dictionibus ſimilibus, & conquirendis undecunque teſtimoniis hiſtoricis, ſudat & alget. Splendidius profecto acuti Critici, quam aſſidui hominis, elogium; &, *Scaligeris* atque *Caſaubonis* accenſeri, plus ad famam valet, quam *Meurſiana* veſtigia ſequi. Acer oculus atque doctus in æſtimatore gemmarum ingenuarum atque ſubditarum laudatur; ſarmenta in ſaltu coacervare, deputatur mancipiis. At ſolum tamen non ſufficit ingenium expurgandis vetuſtis Auctoribus. In partes quoque venit ſedulitas, & ita de principatu cum acumine critico contendit, ut, recte ſubductis rationibus, ſtudium, antiqua ſcripta inter ſe comparandi, tot illis commoda attuliſſe deprehendatur, quot damna novaturiens & male ſedula ſagacitas attulit. Ego equidem, etiamſi ad deproperanda coniecturarum pericula, quam ad emoliendos difficili niſu voluminoſos commentarios, a natura factus aptior, intellexi tamen vel e ſolo *Plutarchi*, quem *de malignitate Herodoti* inſcripſit, libello, quam ſalutaris vetuſtis ſcriptoribus ſit opera, quæ ipſos inter ſeſe comparat. Mutuam ſibi præſtant opem laudati ambo heroes, at egregiam, ut mirer, quare tandem *Herodoti* editores omnes *Plutarchi* libellum tam nullo in loco habuerint, ut voluerint ab ipſo ſeparatum habere, quem tamen norant arctis nexibus *Herodoto* adhæreſcere. *De vita Homeri* nempe opuſculum, ut poſt ſe, velut captivus pe-

dicam,

dicam, traheret, neceſſe eſſe iudicabant boni viri, quod opuſculum, ſi *Tanaquillo Fabro* credimus, non magis *Herodoti*, quam *T. Livii*, aut *Ciceronis*, eſt, *Plutarchi* certe laudato modo libello emendando quantum proſit *Herodotus*, conſtabit ex huius opellæ fine, cui ſcilicet coniecturas meas ad idem *Plutarchi* Schediaſma annectere decrevi. Non neſcio, quæ docti quidam viri de *Berglero* (nam ad illum redeundum eſt e diverticulo) ſtatuerint, hominem ex eius ad *Alciphronem* notis æſtimantes. Aiunt nempe, minus eum ingenio atque iudicio, quam memoria & adverſariis, valuiſſe. Satis apta eum e *Luciano* loca ſimilia ſuo *Alciphroni* alleviſſe, diligenterque notaſſe, ſicubi *Platonis*, aut *Ariſtophanis*, colores obſervaverit. Emendationes autem plerumque invita Minerva tentaſſe. Meum non eſt, neque mihi nunc ſumo, hanc litem expedire. Credo tamen, illos, qui ſic de *Berglero* ſtatuunt, notis eius ad *Alciphronem* aut iniquiores, aut non ſatis familiares, eſſe. Forte inciderunt illi ſiniſtro quodam caſu in unam alteramve eius coniecturam haud probabilem, & facile confutandam; quales cui tandem non excidunt? Elegantes autem & probas, & igni, quod aiunt, ſpectandas, prætervideruut, quarum illas notas plenas eſſe, nemo æquus & intelligens huius cauſæ diffiteatur. Si omnia non exhauſit, mirum id non eſt; cum vix ulli editori libri veteris ea felicitas contigerit, ut omnes ſordes cum pulviſculo extergeret; præſertim qui primus aliquem edit; quod pro magna *Alciphronis* parte *Bergle-*

lerus

lerus fecit. Cuius editionem ſi attente conſideres, in eam venias opinionem, aut nimium extrudere eam feſtinaſſe virum, aut invito & averſo animo ſuſcepiſſe. Qui enim aliàs tanta licentia graſſari permiſiſſet typographis? Vix putem excuſum hac in urbe Græcum librum unquam fuiſſe, tot contaminatum ſphalmatibus, atque iſte *Alciphro* eſt. Qualiscunque vero tandem cenſeatur iſta eius opera eſſe: neque enim id huc pertinet definire; conſtat tamen, *Berglerum* in *Herodoto* vacuam provinciam occupaſſe, & rem feciſſe perutilem atque perneceſſariam. Nam primi quidem *Herodoti* editores ſatis habuerunt, eum qualem qualem in vulgus emittere. *Henricus Stephanus* deinceps curam, quæ prima editorum omnium eſſe debet, verba Græca recte conſtituendi, & a maculis ſuperiorum editionum liberandi, in ſe ſuſcipiebat. Parteſque ſe dignas omnino cum laude peregit. Poſt *Henricum* parum addiderunt *Herodoto Iungermannus* & *Galeus*. *Gronoviani* commentarii moles promittit nonnihil. Sed, ut verum fatear, qui meus eſt ſtupor, id eius unum pæne intelligo, in Codice Medicæo hanc, vel illam, lectionem exſtare. Et, ſi quid tandem præterea intelligo, non omnino maximi momenti eſſe reputo. Dubium ergo nullum eſt, fore, ut *Bergleri* commentarius, ſi in lucem prodeat, & maximum *Herodoto* conciliet ornamentum, & lectoribus commoda præſtet uſusque egregios, & ſecundas omnium ferat ſententias. Editum autem eum tandem aliquando iri, ſpes eſt haud levis.

Libra-

Librarius quidam, codicis poſſeſſor, &, lubenter ſe facturum ſumtus editioni, erga me aſſeverabat, &, eius curandæ partes ut in me ſuſciperem, rogabat. Gratias agebam liberali eius invitationi, teſtatus, aliam nullam ea gratiorem offerri mihi poſſe provinciam; eaque lege condicebam operam, ſi poſt illud abſolutum opus, quod nunc cummaxime tundo & urgeo, vita & valetudo ſuffecerint. Et hoc eſt, quod de ipſius librarii conſilio publico hoc in loco ſignificare volui. Nolo tamen, de me quidem, ſpem certam facere, ne in vanitatis incurram ſuſpicionem, & accenſendus magnificis, ſed absque effectu, pollicitatoribus videar, recente præſertim memoria nuperi promiſſi, quod medius fidius non mea culpa in caſſum excidit. Interim nullus dubito, ſi mihi quidem fata negent *Bergleri* Manibus & publicis votis ſatisfacere, non defuturos ſibi noſtrates, neque permiſſuros, ut opus, hac in urbe natum, auctorique & futuro editori pariter ac ipſi patriæ gloriam immortalem conciliaturum, intereat. Ego vero, qua cœpi, pergo de *Herodoto* pro virili mea bene, quod mihi quidem perſuadeo, mereri. Antequam tamen id faciam, conſilium eſt, ad ſuperiores *Libros* annotata breviter partim retractare, partim locupletare, novisque argumentis fulcire. Illa itaque, quæ ad *p.* 70, 34, edit. *Gronov.* ſcripſi, in verbis nempe ἐτὸς δέ σφι πόδα ἐγένετο, ſubintelligi debere χεὶρ, aut μηχανὴ, locus *Sophoclis* egregie confirmat, a *Dionyſio Halicarnaſſ. Ant. Rom. Lib. I p.* 38, 45, edit. *Wechel.* allatus, eiusque beneficio ad

nos tranſmiſſus. Τάφον αὐτῷ δαίσαντες ἐπολέμεον τῇ πάσῃ, ἄχρις Ἴλιος ἑάλω. Ita nempe legendum eſt, non, ut vulgo editur, γῇ πάσῃ -- *omni manu, omni vi, omni machina*. Conf. *Sylburg.* ad eundem *Dionyſ. p.* 207, 38. *P.* 53, 8 adſcribebam, vocem Φήτρη mihi videri vitio typographorum eſſe natam. Sed ſecus eſt. Recte habet illa lectio, ut patet e *Sylburgio* ad *Dionyſ.* modo laudat. *p.* 598, 10 & 12, & *Suidas* v. Φατριά; qua etiam *Theophanes* haud raro utitur. Ad *p.* 72, 31, addi velim, veteres totum mare Indicum, quod recentiores Arabum Geographi *mare viride* البحر الاخضر appellant, *rubrum* appellaſſe. Id mihi e *Philoſtrato* conſtitit *Lib. III Cap.* 35 *de vit. Apollonii Tyrii*; ubi, non erat, cur Cl. *Olearius* ſcriptionem ἐρυθρᾶς ſollicitaret. Eſt pro ἐρυθραῖος, ut Ἐπαφρᾶς pro Ἐπαφρόδιτος Λυκᾶς pro Λυκᾶνος, Ἀλεξᾶς pro Ἀλέξανδρος, &c. Ille rex Ἐρυθρᾶς, qui ibi commemoratur, eſt Arabum حمير, conditor gentis & Dynaſtiæ *Homeiridarum*. Conf. eius *Libri Cap.* 50 in fine, & *Polyb. p.* 544, 30, edit. *Gronov.* & *Ort.* Quandoquidem in *Philoſtrati* memoriam incido, liceat obſervationem adſpergere, quæ ſitne aliis iam occupata, non bene novi. In *Oleariana* certe editione veſtigium eius nullum reperi. Forte tamen idem ante me iam pulchre viderunt docti viri, qui litem de miraculis *Apollonii Tyanei* ante aliquot annos ſcriptis agitarunt. Quod me quidem latet. Ait nempe *Philoſtratus*, quas de *Apollonio* tradat, notitias pæne omnes e *Damidis* cuiusdam,

homi-

hominis Babylonii, commentariis hauſiſſe, qui magiſtrum fidus comes, primum ad Indos, dein per omnem vitam omnesque Tyanenſis, Europæos Ægyptiosque, errores, aſſectatus fuerit. Atqui aut nullus fuit ille *Damis*, nullique eius commentarii, ſed ſtrophæ ſunt, atque offuciæ, quas *Philoſtratus* lectori facit, mendaciis fidei ſpeciem affricare laborans; aut, ſi omnino in manibus habuit eos, quos ait, commentarios, fuit ille *Damis* profecto planus, & itinera narravit, quæ neque ipſe, neque *Tyaneus*, unquam obiit. Indicio ſe ſuo prodit impoſtor, in itinere Indico graviſſime in geographicas rationes peccans, & mire pugnantia comminiſcens, quod illis contingere ſolet, qui domi prope focum terra marique peregrinantur & militant. Solum hoc argumentum fidem *Philoſtratearum* de *Tyanenſi* τερατειῶν iugulare valebat. Sed pergo. Ad ea, quæ *p. 123, 46,* ſcripſi de verbo ἀποθυρῶν, addi velim, quamvis in promtu non ſint, quod iam ibi monui, eius verbi exempla, auctoritatem tamen ipſi ab analogia locupletem accedere. Ut enim ἀποφράττειν, ἀποῤῥύσσειν, ἀποκλείειν, ἀποστομῶν, & ſimilia, dicuntur, in quibus ἀπὸ idem, quod Latinorum *ob*, notat, *occludere*, *offercire*, *obturare*, *opprimere*; ita bene poteſt ἀποθυρῶν dici, quod Latine, puto, non nefas eſt *obvalvare* exponere. Apprime verbo congruit alterum illud, quod modo citabam, ἀποστομῶν, *obturare*, *oborare*, ori alicuius rei obturaculum obdere, quam vocem *Polybio* redditam non eſſe a magno *Caſaubono p. 566, 22*, mireris, non *Suida* tantum id

ſuadente, (vid. fragmenta *Polybii p.* 1567,) ſed & ſenſu id flagitante. *Ptolemæi* milites non ἀνεϛόμεν, *recludebant*, Nili oſtia, ſed ἀπεϛόμεν, *occludebant, obturabant*, ne *Antiocho*, expeditione navali Ægyptum aggredi meditanti, locus ullibi eſſet claſſem appellendi, & in mediam regionem immittendi. Ad ea, quæ *pag.* 162, 18, de Οὐρόταλ ſcripſi, locum illum præcipue, qui exemplo monſtrat, *Wau* initiale cum *Fatah*, quod elegantiores *Wa* ſolent efferre, vulgo per *u* efferri, velim aliud exemplum annotari, quod in Cl. *Aſſemanni Bibl. Or. T. I p.* 376 in nota *a* occurrit. Profert ibi locum e *Simeone Metaphraſte*, in quo Arabica vox وادي, *wadi*, effertur *odi*. Agit iſte locus de celebri illa, quæ circa A. C. 524 contigit, Chriſtianorum perſecutione in Arabia felici, everſoque tum antiquiſſimo regum *Homeiridarum*, vel *Erythræorum*, regno Iudaico; de quo quæ tradunt Arabes, tam incondita & turbida & imperfecta ſunt, ut, quantam in ea hiſtoriæ parte fidem mereantur, facile conſtet ex illis monumentis, quæ Vir de literis orientalibus, ſacris præcipue & Syriacis, præclare meritus ibi protulit. Eadem pronuntiandi ratio videtur quoque in vocali ي initiali apud vulgum obtinuiſſe. Nomen profecto يثرب *Iatrip*, vel *Ietrip*, longe frequentiſſime apud Byzantinos Αἴθριππα, *Eitrip*, & Ἴτριππα, ſcriptum reperitur. *Pag.* 219, 20, offendi ad vocem Χαλκιδέων. Incidit deinceps, an non hic de regione *Calach* cogitandum, & legendum eſſet Καλαχαίων. Videbunt, quid hu-

ius

ius rei ſit, quibus volupe erit. Tandem ad *pag.227* notari velim, fabulam de *Ariſtea Proconneſio* ſcite a *Dione Chryſoſtomo p.467, C*, explicari, quem, non immerito aureum dictum, Auctorem, non niſi bis, ab *Aldo* primum, tum a *Morello*, ambobus admodum vitioſe, abſque ullo ornatu, editum, præter eum, quem Pariſienſi editioni *Caſauboni* Schediaſma quidem, at magno nomine dignum, addit; eum igitur Auctorem legi & relegi, ſi quis alius, digniſſimum, quod nemo poſt ſeſqui ſeculum pæne, a *Morelliano* codice prodito elapſum, typis iteraret, id ſæpe mihi dolorem movit, hortorque, doctorum hominum ſi quis huic negotio, rite decenterque exequendo, parem ſe confidat eſſe, velit quantocyus operæ optime collocandæ manus admovere. Symbolam, quam de meo conferre poſſum, haud contemnendam, ut exiſtimo, roganti lubens impertiam.

LIBER V.

Pag. lin.

288, 23, *ἀπηγεόμενοι.*

288, 31, *ἐφιλέετο.*

291, 32. Punctum ante *κρατέων ἕκαστος* delendum. Alias non habent illi nominativi verbum, a quo regantur. Reguntur autem ab *οἰκέουσι.*

291, 34, *καταῤῥακτῆς* legendum. *Portæ, quæ attolli & demitti poteſt. Fall-Thüre.*

292, 5, *ὅρος, ὃ ἐστὶν ὑπερβάντα* &c.

293, 28, *Μακεδόνων.*

294, 5, *ἀγωνιστέων.*

294, 13, *ἔτυχε δωρεὴν, μισθὸν φυλ - -*

294, 15, μαθὼν δὴ.

294, 30, μετὰ δὲ ἀγγέλων, vel ἀγγέλε, &c. Cohæret hoc cum ἔλεγε. *Nuntiabat ipſi per nuntios*, aut *cum nuntiis*, *miniſterio nuntiorum*.

295, 12, σπαδίζας. Proba ſit illa vox, nec ne, non dixerim. Neſcio prorſus, quid ſignificet. Forte pertinet ad artem coriariam. Conieci aliquando pro CΠΑΔΙΞΑC legendum eſſe ЄΠΑΛΙΞΑC, ἐπαλίξας. *Sale conſpergens*. Aut etiam σποδίζας, *cineribus conſpergens*. Ambobus utuntur coriarii ad pelles emolliendas & depilandas, quas frigido modo, absque calida aqua, depſere volunt.

295, 35. Gemino modo poteſt hic locus emendari, aut ſic diſtinguendo & legendo: Μετὰ δέ, ἐ πολλὸν χρόνον ἄνεσις κακῶν ἦν. *Deinde vero erat remiſſio malorum, non permultum tempus*. Aut μετὰ δὲ ἐ πολλὸν χρόνον, ἀνανέωσις κακῶν ἦν. *Poſt tempus non multum autem erat renovatio malorum*. Prior ratio mihi magis placet. Etiam cum his verbis μετὰ δὲ debet *Caput 28* incipere.

296, 1, ἴδοιεν ἐν ἀνεστηκυίῃ. &c. Eſt autem χώρα ἀνεστηκυῖα idem, quod ἀναστάτος, *deſolata, deſerta*, e qua cives & coloni ἀνέστησαν, *exceſſerunt*. Poteſt etiam reddi, ſi quis malit, *regio tumultuans, ſeſe ſublevans*, inteſtinorum bellorum plena.

299, 3, μὴ δὲ divifis vocibus. *Non autem*. *Gronovius* tamen putat, *Herodoteum* ſchema μηδὲ coniunctim eo ſenſu ſcribere. Tanquam ſi veteres voces & literas inæqualibus ſpatiis aliisque diſtinctionum ſignis, qualia nobis in uſu ſunt, diremiſſent.

300,

300, 8, aut delendum ἐξευρεθῆναι, aut συμμαχίην τινὰ μεγάλην legendum.

300, 43. Si probari poteſt, ἔχειν de fœmina ſimpliciter Græcis dici pro ἔχειν ἐν γαστρὶ, non movebo hunc locum. Interea non diſſimulabo, me aliquando conieciſſe κυέουσαν.

301, pen. ταῦτα δὲ ἐὸν (vel potius ὤν, pro more *Herodoti*).

301, 34. forte delendum ὡς. Vid. tamen *p. 252, 21.*

302, 36, οἴχετο.

303, 10, τὰ κατήκοντα ſunt *res & fortunæ præſentes*, τὰ συμβάντα καὶ ἐπιστάντα τινὶ, τὰ παρόντα, τὰ ἐν χερσὶ, τὰ κατέχοντα, ut Noſter *Libro VI Cap. 40*, ſtatim a principio. Melius vertit interpres *I, 97, p. 41, 32*, & *VIII, 19, p. 456, 33*, & *p. 491, 46*.

303, 27, βαλόμενοι, *iniicientes in cupiditatem veſtram.*

304, 26, ἐπαγκώσαντος, *Cleomene iam aurem patulam præbente, ut ſupplici.*

307, 10, aut ἐὼν, *iens*, *veniens*, aut potius ἑλὼν legendum, *ademtum Telebois.*

307, 21, ἔχων τῷ τῇ Ἱπποκόωντος, ἡλικίην ἦν κατὰ &c.

307, 31, comma delendum. Non enim pertinet ὑπὸ Βοιωτῶν ad ὑπολειφθέντες, ſed ad ἀναχωρεῦσι. Dicunt Græci ἀποχωρεῖν, ἀναστῆναι, ἐκπίπτειν ὑπό τινος, *recedere*, *ſurgere*, *excidere*, *ab aliquo*, pro *emigrare patria*, vel *eiici*, *coactus ab aliquo*. Eſt igitur huius loci ſenſus: *Qui remanſerant de Cadmeis Gefyræi*,

 ſeceſ-

ſeceſſerunt deinceps Athenas ob vim Boeotorum, a Boeotis coacti.

308, 32, forte ἐμπεσȣ͂σα δὲ ἤδε.

309, 3, ȣ̓δέν τι μᾶλλον,

309, 9, ἡ αὐλὴ αὖ τι σύμμ - -

309, 10, forte ὑπεκτεθειμένοι.

310, 2. Si rectum eſt πάντων, debet pro διὰ πάντων, πανταχȣ͂, accipi.

310, 8, ληϊςῆρα, *latronem. Dio Chryſoſtom.* locum hunc citans *p.* 43, *B*, 5, quoque ληςῆρα legit; ubi vid. *Caſaubon.*

310, 38. Non intelligo, quid ſit αὐτὰ τὰ τελευταῖα. Donec melius quid diſcam, cenſebo, *Herodotum* μετατιθεὶς αὐτοῖς τȣ̀ς γελοιοτάτας ἐπέθηκε ſcripſiſſe, aut μετατιθεὶς αὐτοῖς τὰ πάλαιὰ ὀνόματα ἐπέθηκε.

311, 8, πάντων vitioſum eſſe liquet. Variis modis poteſt tentari. Πείθων, aut ἐπαίρων, aut potius ἐπαγαγὼν.

311, 33, ſic diſtingu. Ἀθήνας ὑπεγγύȣς πλὴν θανάτȣ, *obnoxios ſibi, præterquam in negotio cædis;* habentes rerum aliarum omnium, præter vitæ atque necis, facultatem, ſibi ab ipſis permiſſam.

312, 13, ἀδελφεὸν. At cuius? Excidit procul dubio nomen proprium, forte *Iſagoræ.*

312, 14, λήματός. Et ſic quoque corrigendum *p.* 328, 31, & 411, 7, & 533, 17.

315, 11. Cogitabam aliquando Λοιμίης, *Deæ Peſtis.* Forte tamen Δαμίης rectum eſt, *Deæ Domitricis,* ἡ δαμάσσει καὶ φθείρει τȣ̀ς ἄνδρας. Hæc ſcripſeram, antequam inciderem in hunc

Feſti

Feſti locum: *Damium ſacrificium, quod fiebat in operto in honorem Bonæ Deæ. - - Dea quoque ipſa* Δαμία, *& Sacerdos eius* Δαμίας, *appellabatur*, aut *Damiatrix*, ut ibi mavult *Scaliger* (niſi potius ſit *Damilatris*, quaſi Δαμίας λατρίς). Ergo erat *Damia* nomen *Bonæ Deæ*.

315, 33, ἅτε δὲ.

315, *ult*. ἐμήνιον, *iram monſtrabant*.

318, 30, πειθαρχέειν, *obedire*. Nam πειθαρχεῖσθαι eſt *imperare*, *obediri*.

319, 9, ἤ δή κοτε, *ſane aliquando*.

319, 45, καὶ τῷ τε Ἡετ - -

320, 6, καὶ τὸ πρότερον.

320, 40, τὰ δὴ καὶ ἐγένετο.

321, 21, aut τὰ πρήγματα leg, aut pro καταστησάμενος requiritur aliud verbum, quod genitivum regat, ut καταψάμενος.

321, 41, diſtingui ἀπέλιπε κτεῖναί τε καὶ διώκων, Περίανδρος &c.

332, *ant*. γυναικὸς, καὶ οὐκ ἀμαχητί. Sequens enim ἔσχε ad *Hippiam*, non ad *Hegeſiſtratum*, redire, patet ex addito τὰ παρέλαβε. *Hippias* enim a patre, *Peiſiſtrato*, non autem *Hegiſiſtratus*, Sigæum acceperat.

323, 7, πολλὰ, καὶ παντοῖα.

323, 13, ἐπιτιθεῖ. Male me aliquando habuit hic locus, non perſpicientem, quid ſibi velit illud verbum. Indeque coniiciebam, aut ἐκπίπτει, *effugiebat e prælio in urbem Mitylenem*, aut ἐπιστέλλει, *de accepta clade fugaque ſua ſignificabat in urbem*. Sed relegens locum *Herodoti III*, 42, *p*.177, 4, deprehendi, noſtro

ἐπιτιθέναι idem eſſe atque ἐπιςέλλειν, & ἐπίθεσις idem atque ἐπιςολή. Vix puto in tota Græcitate ſimiliter uſurpatum hoc verbum inveniri.

325, 46, ἐπικαλεομένε.

326, 1, πρὸς τὸν πρὸς τὸν βασιλέα &c. Repetitio, non nimis profecto ſuavis, effecit, ut πρὸς ſemel exciderit.

327, 21, καταρτίσαι.

327, 25, μή με - -

327, 28, forte μέν μιν λέγων.

328, 43. Diſtinguo & conſtituo locum hunc ſic: ἥν σε ἐκεῖνος (ſcilicet κατέλῃ, id eſt, καθέλῃ, quod a communi repetendum.) Τὸ μὴ γένοιτο. *Quod equidem nolim contingat.* ὑπ' αξιόχρεω γὰρ καὶ ἀποθανεῖν. *Nam vel ipſum quoque mori a digna & illuſtri manu, eſt calamitas dimidia* (non tanta, quam ſi ab inferiore ignobiliore).

329, 35, ταῦτα καὶ τότε καὶ μέχρις ἐμεῦ.

331, 26, delendum ὅς.

331, 33, ἄγειν, ſi rectum eſt, debet eſſe idem atque *duceret*, deliberative. Forte tamen ἄγειν leg.

LIBRO VI.

332, 13, tueri quis tavtologum ὅτω & κατὰ ταῦτα poſſit illo ſimili, quod ſupra iam attigi, *p.* 200, 22: Κατάπερ καὶ τὸν αὐτὸν τρόπον. Mihi tamen indigna talia videntur *Herodoto*, &, ſi pote, emendanda. Facilis hic loci procedat emendatio: ὅ κω, *non ſane eo modo res habent, ut tu ais.*

333, 23, καὶ delendum.

333, 7, ὁ δὲ πάντως. Conſtructio eſt: ἰδεῖ-ματε δὲ τοὺς Ἴωνας, τοῦ βασιλέως πάντως ὁ βουλευσαμένου ταῦτα.

334, 32, ἀρχέων. Et deinceps delenda ſigna parentheſeos.

336, 1, videtur poſt Συλοσῶντος, aut ἀναμνη-θέντες, aut aliud aliquod particip. paſſ. deeſſe: *Samii denuo admoniti iisdem de conditionibus atque ſponſionibus, quas idem Aeaces antea ipſis nomine Perſarum obtulerat.*

336, 8, diſtinguo & lego ſic: - - ὑπερβα-λοίατο, τὸν Δαρεῖον ἄλλο σφι παρέξειν &c.

339, 29, τὴν pro ſecundo τῶν.

340, 18, Λιμαινούσης legendum eſſe, pro δει-μαινούσης, dixi iam in his ipſis *Miſcellaneis* alio loco; & vidit quoque atque prodidit in ſuis *Obſervationibus criticis* Vir acuti felicisque in-genii, *Adrianus Heringa*. Vid. *p*. 277 & 309.

340, 37. Offendit me aliquando mira, &, ut non immerito videatur, dura, dictio ἄχθη ἀγό-μενος. Nunc tamen video, recte omnia habere. Concipiendum eſt, *Herodotum* voluiſſe ſententiam enuntiare, quam alius ſic enuntiaſſet: ὡς ἐζω-γρήθη καὶ ἤχθη ἐς Σάρδις, ἤχθη παρὰ βασι-λέα. *Si ſtatim ita, ut captus & Sardes alla-tus fuerat, ad regem miſſus fuiſſet.* Illud ἀγό-μενος de deductione ad *Artaphernem* atque Sardes intelligendum eſſe, monſtrant ſequentia *lin.* 42.

342, 4, aut ταύτης, aut τὴν Χερσόνησον, le-gendum. Poſteriore caſu eſt τὴν ἀρχὴν adverbia-liter poſitum, pro *initio, a principio, antiquitus*.

343, 29, comma ponendum poſt οἴκου, at, quod poſt Στησαγόρεα conſpicitur, delendum. *Continebat ſe Miltiades domi, per ſpeciem decori funebris mortuo fratri præſtandi.* In ἔχειν κατ' οἴκου ſubintelligitur ἑαυτόν. Verbum ἐπιτιμᾷν autem hic loci notat *alicui dignos & debitos honores*, τὰ ἐπιτίμια, *præſtare*. Exſtat apud *Sophoclem Electr. v. 921* ἐπιτίμια pro *honoribus defuncto debitis, exequialibus*.

343, *ult.* τότε δέ.

344, 25. Huic μὲν reſpondet ſequens δὲ lin. 37.

344, 26, punctum delendum poſt ἐγένετο, & poſt ἔτεος locandum.

346, 5. Non intelligo, quid ſit καρπῶν ἀτελεῖς. Num φόρων.

346, 12. Dubitavi aliquando, num a Φοῖνιξ formetur gentile Φοινικὸς. Vulgo ſolet aut Φοινικὸς, aut *Herodoto* Φοινικήϊος formari. Sed opus non erat dubitare. Vel ipſum Latinum *Punicus* patrocinatur vulgatæ. Vid. *Sylburg.* ad *Dionyſ. Halicarn.* p. 5, 42, & 475, 20.

347, 26. Non expedio hunc locum, & quid ſibi velit ἢ καὶ πρὸ τούτου. Si recte habent ſic ſcripta, neceſſe eſt, aliquid excidiſſe. Forte οὐ δυναμένους δὲ γνῶναι τότε μᾶλλον ἢ καὶ πρὸ τοῦ. *Cum tunc* (pueris paullum adultis, aut & poſt patris mortem,) *non magis hoc cognoſcere poſſent, quam antea* (cum adhuc tenelli eſſent, aut pater eorum adhuc viveret). Conieci etiam aliquando γνῶναι, κοινῇ προσιόντας ἐπειρωτᾷν &c.

348, 9. Forte ſcripſit *Herodotus* τὰ δὲ δὴ κοινὰ, τὰ λεγόμενα ὑπ' Ἑλλήνων, ἐγὼ οὐ γράφω. *Vul-*

gares

gares Græcorum (de primis Dorienſibus regibus, eorumque in agrum Spartanum introitu,) *relationes non ſcribo* (quia ſatis per ſe notæ ſunt). Conf. *lin. 31* & *32.*

348, 11. Locus & hic graviter affectus. Quod ego quidem exſculpere nunc valeo, hoc eſt. Μέχρι μεν Περσέος τȣ Δανάης ϗ τȣ Θεȣ ἀνέων, (id ἀνιὼν, ἀναβαίνων,) τις εὕροι καταλεγομένȣς &c. *Ad Perſeum quidem usque, ex Danaë & Deo procreatum, adſcendens,* (numerando genealogias,) *quis inveniat recte recenſeri* &c. Facile potuit καὶ poſt Δανάης excidere ob ſimilitudinem proxime præcedentis literæ. Nam Sigma & καὶ eandem figuram habent in multis manuſcriptis, ut docuit Cel. *Alberti* ad Gloſſarium Græcum Novi Teſtamenti. Et ipſe vidi in membranis Lipſienſibus *Conſtantini Porphyrogenneti* de Cerimoniis, aulæ *Byzantinæ*, frequentiſſime. Et patet quoque ex numis, e. c. illis, quos *Du Cange* in *Familiis Byzantinis p. 134* exhibet.

348, 29, καὶ ὅ, τι diviſim ſcribendum; & *ob quæ præclara edita facinora.*

348, 39, ἐπὶ στρατηΐης (id eſt ἐπὶ στρατείας) *in expeditione militari.*

348, 45, πρώτων.

349, 29, καταμιαίνεσθαι, corruptum melius nunc non extundo, quam κατὰ μίαν ἴεσθαι, aut *Herodoti* more ἴεσθαι. *Debere ex unaquaque domo ſingulos viros & ſingulas fœminas, ambos ingenuos, quemque pro ſe ſeorſim, non ſimul, ad exequias regis Spartani procedere.*

349,

349, 37, ἀριθμὸν leg. De ſequente ἀναμαθὼς valde dubito, ſitne *Herodoteum*, & ſignificetne id, quod perhibetur ſignificare. Analogia certe, ni fallor, haud multum concinit. Coniecei aliquando ἀναγκαςὰς, *per vim coactos*.

350, 10, κήρυκος, καὶ ὁ κατὰ &c.

350, 16, ἄτη. Vitioſam hanc vocem eſſe, ſagaciter deprehendit, & feliciter emendavit, vir acuti & exquiſiti iudicii, & his in literis verſatiſſimus, *Valckenaerius*, Franequeræ ſuæ decus, qui ante biennium fere hæc ad me perſcripſit inter alia, quæ cum eius venia hic publicabo. „Legitur, ait, apud *Herodotum VI Cap. 61*: Ὡς „φθόνῳ καὶ ἄτῃ χρεώμενος. Lege ἄγῃ. Au„ctor Etymolog. M.: Ἄγη - - παρὰ Ἡρω„διανῷ βασκανία, παρὰ Ὁμήρῳ ἔκπληξις. „Par mehercule bene comparatum. Apage nu„gas, & pro Ἡρωδιανῷ repone Ἡροδότῳ. Reſpi„cit Auctor, ne dubita, locum, quem indicavi.„ Hæc Vir Celeberrimus, cui nemo non lubenter aſſurget. Conf. *p. 480 antep.*

353, *pen.* ἐκβάλοι.

355, 12, ἦ μὴν. Eſt nota formula in ſacramentis & obligationibus fidei. Et ad hanc normam puto & hunc locum, & ceteros, in quibus eo ſenſu, quo hic, ἦ μὲν legitur, (quorum nonnullos offendi,) reformandos eſſe.

355, 14, ἐξορκῶν non eſt participium, ſed infinitivus Ionicus pro ἐξορκοῦν, quod poſterius videtur Codex Medicæus aut habuiſſe, aut voluiſſe ſuggerere. Non memini, formam hanc ῶν pro οῦν in infinitivis *Herodoto* frequentatam

eſſe.

eſſe. Niſi quis forte ἐλευθερῶν *p*. 371, 18, huc referat. Analogia tamen facile patitur. Quid uſitatius noſtro, quam ἂν pro οὖν, *ergo?*

355, 15, πόλι εἶναι λέγεται ὑπὸ τῶν Ἀρκάδων.

357, 43 & 45, ἐχηρώθη & ἐπήβησαν legendum eſſe, (*viduata*, ſeu *vacuata*, *fuit*, & *venerunt ad annos pubertatis*,) iam dudum videram, cum deinceps ex indicio Cel. *Dorvillii* ad *Chariton. p*. 128, intelligo editionem *Iungermanni* ſic exhibere. *Gronovio* nempe tanti non erat, priorum editorum doctos labores conſulere, aut commemorare. Solus ipſi ſuus divinus Codex ſufficiebat.

360, 42, χρῆσαι.

360, 46, πεντεδραχμου.

365, 26, ἐρξείης valde ſuſpectum. Non enim analogia concinit. Saltem ἐρξήιος, ut ἀρήιος. Sed aliud quid latere ſuſpicor.

365, 45, ἱπποβοτέων erat ſupra, ut puto rectius.

366, 12. Aut maiore litera exarandum Τέμενος, ut nomen proprium, aut aliud nomen ſub eo latet.

366, 29, forte κακεργέοντες, *multa mala regioni inferentes*, aut κατεπείγοντες, *multum accelerato itinere*.

366, 30, ταῦτα.

367, 6, τοῦτο, αἱ Εὐαγ.

367, 7, forte πλέως pro πλέους.

367, 35, τὰ δ' ἔτι καί.

367, *2, ἠπείστησαν, *non erant dicto non auſcultantes*, id eſt, *morem gerebant*.

367,* 39, δέδεκ]αι (id eſt δέδεκται) *monſtratum iam eſt exemplis in alias urbes ſtatutis.*

367,* 43, ἐς σέ γε τȣτέων. - -

368,* 9, ἢν δὲ τῶν ἀποσπευδόν]ων τὴν συμβολὴν ἔχῃ. *Si vero iis adhæreſcas, qui ſtudent conflictum impedire.* Ἔχεσθαι τινος eſt nota dictio. Ἀποσπεύδειν τὴν συμβολὴν eſt analogum ſimplici σπεύδειν, *ſtudere efficere, ut conflictus contingat.* Vox συμβȣλὴ, dubito, num ſatis Græca ſit. Συμβȣλίην dixiſſet *Herodotus*, ſi ea uti voluiſſet, *p. 387, 41, 491, 26, 492, 14.*

369, 28. Omnino melior eſt lectio *Plutarchi* in libro *de Malignitate Herodoti p. 1584, 11*, ubi locum hunc ſic citat: αἰτίην δὲ ἔχον &c. *Accuſabantur autem* (proprie habebant penes Athenienſes illud argumentum, illam accuſationem contra ſe,) quinam? nempe *Perſæ.* Olim etiam aliquando conieci *lin. 29* αὐτοῖς pro αὐτȣ̃ς. Et ſane non dedeceret *Herodotum.* Eſt tamen certum, non tantum rem, quæ excogitatur & adinvenitur, dici ἐπινοηθῆναι, ſed etiam de homine, qui eam excogitat & extundit meditando, dici ἐπενοήθη τȣ̃το.

370, 35. Neſcio, an uſitatum ſit ἀπαρύτειν & ἀπαράσσειν, ut eſt ἀπαρύτειν, &, ſecundum quosdam, at minus recte, ἀπαρύτ]ειν.

371, 17, τȣ̃το μὲν γὰρ δηλοῖ τὰ προλ, &c. Aut, ſi hoc diſpliceat, leg. κατὰ pro γάρ. Conf. paullo poſt *lin. 23.*

373, 21, Φυγόν]ος valde ſuſpectum. Quod autem ſubſtituam, non habeo.

373,

373, *pen.* forte κατακλήσιος, *concludendarum nuptiarum.* Κατάκλισις eſt ſponſi & ſponſæ, ſed κατάκλησις eſt concluſio nuptiarum, quæ ſolennibus verbis & cerimoniis alicui ſpondentur.

373, 41. Obhæſitavi hic aliquando. Sed tenendum illud μεγαλοπρεπῶς ex communi etiam ad ἐποίεε πάντα trahi debere.

374, 9, ὁρέων &c. Non videntur hæc *Herodoti* eſſe. Non enim ſanum ſenſum fundunt. Conieci aliquando ὁρέων ἀλλόκοτον πρῆγμα ἀπέπτυσε. *Deteſtabatur, quam videbat, inſuetam ſibi & inexſpectatam improbabilemque & infamem actionem.*

376, 8. τῶν χθονίων θεῶν.

376, 35, ὅ γε Ἑκαταῖος.

377, 26, εἴ τε τύπτοιτο.

377, 32, ἐι δ' ἤδη διαγ. - - Abundat hic δὲ; & inſertum eſt ingrati ſoni evitandi gratia. Sic paſſim reperitur.

VII.

ANONYMI ANIMADVERSIONES AD IOANNIS FRIDERICI REITZII ORATIONEM INAVGVRALEM, QVA DEMONSTRARE VOLVIT, CRITICVM, ARTIVM SCIENTIA CARENTEM, ESSE HOMINEM PLATONICVM.

MENCKENIO
S.

Ut retundatur faſtus pædagogicus ſcholaſtici illius Profeſſoris, *I. F. Reitzii*, qui in Aca-

demia Ultraiectina Poeticen & Oratoriam, in quibus inferior longe eſt illis pueris, quos non ita pridem ferula caſtigavit, ſummo cum Muſarum dedecore profitetur in eadem cathedra, quam olim *Grævii*, *Burmanni*, *Dukeri*, *Drakenborchii*, conſcenderunt, mittuntur tibi hæ Animadverſiones, dudum ſcriptæ, in ſtolidiſſimi Ludimagiſtri Orationem inauguralem, * ut data occaſione per te lucem videant publicam, atque ita Muſas & te ipſe vindices ab ineptiis ſuperciliosi iſtius, ſed vitio creati, Cenſoris Criticorum. Vale, Vir optime, & meliorum literarum decus promovere perge. Datæ Hamburgi MDCCLI.

AD TITVLVM.

Demonſtrare voluit. Recte *voluit*, non autem potuit, ingenio, iudicio, arte, & doctrina deſtitutus.

Criticum, hominem Platonicum. Hoc *Reitzianum* eſt, ex fabulis, dictisque hominum, iocos arceſſere; quos ſi narrantem audias, ferre poſſis. Erit enim ſemper fere, quod rideas, aut ſales auctoris, aut ſtuporem narrantis, & profuſum riſum, quo condire narrata ſolet. Iocoſum hunc titulum ſi legas, quid, quæſo, potiſſimum

* Non eſt nobis conſilium, his Animadverſionibus ipſam adiungere Orationem *Reitzianam*, partim quod eam ad hunc diem invenire nobis nusquam licuit, partim quod, haud adeo difficile carere ea poſſe elegantiorum literarum ſtudioſos, ipſæ hæ Animadverſiones loquuntur. Si quis igitur Lectorum, iuſtusne ſatis, an iniuſtus, accuſator ſit Anonymus hic noſter, inquirendum putet, eum, ne, qua via opus illud comparari poſſit, neſciat, haud ita pridem in urbe Traiectina recitatum, donatumque luce publica, docemus. MENCK.

ſimum rideas? Non Criticum; quia non ei ſoli convenit hoc dictum, ſed commune eſt omnibus illis, qui, artibus non ſatis inſtructi, munere aliquo funguntur. Itaque imperitus Theologus, Iuriſconſultus, Medicus, Philoſophus, Grammaticus, imo etiam Senator, Conſul, &c. *homo Platonicus* dicetur. In uno *Reitzio*, vide, quot homines inſint Platonici. Medicus eſt, ſed ſine doctrina, & artis exercitatione; Profeſſor Poetices, ſed non Poeta; Hiſtoriarum, ſed rudis Annalium omnium; Eloquentiæ, ſed homo plane infans & imperitus dicendi.

AD ORATIONEM.

Pag. 1: *In Curia Provinciali dicta.* Quorſum illud *dicta?* quam eleganter! imo vero, quam inepte; aut quam Belgice! Belgæ enim, *ſo genaamt.* Sic iterum Noſter infra *pag.* 38: *Omnes Claſſicos* dictos *Auctores.*

Pag. 2: *Cuiusque loci ac dignitatis.* Dignitatem dicit honorem, ordinem, ſed quæro auctoritatem unius, aureæ, vel argenteæ, ætatis, ſcriptoris.

Pag. 3: *Cum quodam non infimi ordinis literato dixero.* Dicas, te Chreiam audire pueri alicuius; ſolent enim pueri Chreias a dicto Poetæ alicuius, aut clari viri, ordiri. Notiſſima quoque hæc eorum locutio, quanquam parum Latina, *cum aliquo dicere, loqui*; id eſt, verbis alicuius. *Cum literato.* Anne dicendum Eloquentiæ Profeſſori, *viro*, aut *homine*, *literato?* Cur autem iſtum literatum non nominet, quem laudat, non exputo. Erit haud dubie literatus ex eo ordine, quo Noſter nuperrime fuit. Sed incredibilem Eloquentiæ Profeſſoris novi in-

ſantiam nota ex voce *varietate*, quam in una hac pagina, atque in initio Orationis, quinquies repetit, crebrius etiam in ſequentibus uſurpat. Animadverte porro inſignem hominis paupertatem in his pag. 13: *Vivit uterque, ſed vix ac miſere vivit, ſine iucunda reſplendentium colorum varietate* vitam *degit*. Pag. 9: *Mea* laude *maioribus, ſed nuper eximie* laudatis. Pag. 20: *Si plurima* ſingulatim *perſequi velim*, ſingularem *ea res*. Pag. 47: *Et quo magis mentis oculos ad virtutum eius* ſplendorem *converto*, - - - *eo magis illos radiante earum* ſplendore *percuti ſentio*. Penuria orationis inde quoque apparet, quod peregrinis & barbaris vocabulis utitur, Latinisque alieno ſenſu. *Pag. 52 in vitalem ſuccum convertatis*. Et paullo poſt, *quo literariæ bulimiæ morbo*. Ibid. *forum politicum;* alibi dixit *forum practicum*, eademque pagina *omniſcium*, atque alia alibi & paſſim.

Quam dulcis tinnitus eſt in his *pag. 19: Contemtores, eorumque errores & mores*.

Pag. 5: *Equorum machina*. Putes, equi machinam, in Troiæ muros fabricatam, te audire, ſed defendet Eloquentiæ Profeſſorem ſolennis Gallorum locutio *Machine*, forte & Medicorum & Philoſophorum, qui nunc ſunt. Utrum autem equi varietatis amore, an quietis, & odio fatigationis, modo hunc, modo alterum, pedem ſtantes ſublevent, alii diiudicent. Homo ſi idem facit, ut ſolent ſtantes ad pulpitum ſtudioſi, modo in hunc, modo in alterum, pedem gravius inclinare, alterumque nonnunquam ſuſpendere, hominesque iacentes laterum cubitum mutare,

non

non is delectationem varietatis quærit, ſed fatigationem ex incumbente corporis mole evitat.

Ibid. *Proficiſci exiſtimem, ut. - - Ut* pro *quod*, aut pro infinitivo, error etiam pueris turpis.

Pag. 4: *Cunctus aſſurgere oportere.* Non hoc Criticis vitium proprium, ſed commune ferè omnium diſciplinarum Doctoribus. Conſule Orationes maxime inaugurales, quibus ſolent invidendis laudibus extollere artem, quam profesſuri ſunt, ut fucum faciant adoleſcentibus rerum ignaris, & ſibi quæſtum uberiorem parent. Theologus æternam ſalutem, artis ſuæ fructum crepat. Iuriſconſultus iuſtitiam, cœlo demiſſum munus, humanæ vitæ vinculum, miſerorum aram. Quid Medicus? Nulla eſt ars, inquit, qua propius ad Deum acceditur, quam ea, qua ſalutem hominibus damus. Nam, ſi, vitam dare, ſolius Dei munus eſt, datam conſervare, Deo utique proximum. Sed quid ſingulos enumero? Nullus eſt pæne, quin iactet mercem emturis, immemor perſonæ, quam Profeſſorii honores impoſuerunt.

Ibid. *Nihil gravius ferunt, quam ſi Grammaticorum nomine.* Et ſane graviſſime Criticos hoc ferre decet. Quæ enim invidia, quæ iniuria, eſt, ſummos in Theologia, Iuriſprudentia, Medicina, &c. viros, ob id, quia Criticam exercent, Grammaticos appellare. Solitus *Io. Clericus* hoc convicio inceſſere celeberrimos multiplici eruditione viros, *Perizonium*, *Burmannum*, alios. Non puduit *Scaligeros* peritos videri Grammaticæ, imo ne quidem *Cæſarem* Dictatorem, & *Carolum Magnum*, qui de Grammatica libros

 ſcripſe-

ſcripſerunt. Quæ vero improbitas, eos Grammatici nomine inſignire?

Pag. 5: *Eamque ad ſcholas minores relegaverit.* Ubi hoc *Quinctilianus?* Nusquam finxit hoc novus Orator, ut cauſæ ſerviret, egregius imitator Rhetorum antiquorum, qui ius ſibi putaverunt mentiri, quo argutius loquerentur.

Ibid. *Num vero illud iucundæ, - - an glorioſæ, an inconſtantiæ.* Quæro exemplum huius locutionis: *Num, an, an.*

Ibid. *Me ipſum.* Sic ſolet Noſter; nam & *pag. 7. pro me ipſo.* Priſci eloquentiores *ipſe.*

Pag. 6: *Nec potius quod res eſt* &c. Periodi huius ſermo totus plebeius & dignus convivis *Trimalchionis. Non tanto meliorem eſſe, quin* illis etiam convivis vix dignus. Talis etiam eſt pag. 29: *ut omnia ex illo deſumamus, qui non omnia habet* &c.

Ibid. *Tolerati per quinque & viginti annos in pulvere ſcholaſtico laboris.* Habeat profeſſionem, præmium pulveris ſcholaſtici, doctrinæ præmium exſpectet, ſi quinquagenario maior diſcere & ſapere incipiet.

Ibid. *Gratiore animo.* Alacriore, aut iucundiore, voluit dicere. Neſcit Noſter, quid differant gratum & iucundum.

Ibid. *Collegis coniunctiſſimis.* At quanta hominis commoditas! Profeſſionem ludo præfectus accipit, ut Collegis inferioribus adſcenſum ad ſuperiora ſubſellia paret. Quid attinet hæc commemorare? niſi ut egregium pedantem ſe demonſtret? Geminum huic quod ſequitur, *non*

mino-

miniores, quam pro me ipſo, gratias ago. Sacrificulum putes te audire, ob eleemoſynas concioni gratias agentem.

Pag. 7: *Iulii Cæſaris.* Comparatio hæc plane diſpar. *Caſar* non in aliquo ordine inferiore primus eſſe voluit, ſed princeps civitatis, & primi ordinis primus, id eſt, Rex, voluit eſſe, & Monarcha. Maluitque ille, maletque hodie homo ambitioſior, parvæ inſulæ, qualis eſt Corſica, Rex eſſe, quam primovicirius, id eſt, ſecundus in vaſtiſſimo Turcorum imperio. Exige alias comparationes novelli Profeſſoris, videbis omnes mancas, alienas, abſurdas, ut dubites nonnunquam, exemplum orationis cauſa adſcriptum, an oſtentationis, ut ſaltem aliquid hiſtorici ab Hiſtoriarum Profeſſore dictum videatur.

Ibid. *Illam eſſe priſtinam.* Præcedit *ſtatus.* Vapulat ergo Priſcianus, dicendumque *quam illum, priorem.* Sed lege totum locum. Væ autem tibi, Priſciane. Videbis poſitum *ac* pro *quam* alieno loco; *hæc* ſibi accidere pro *has*, *utrumque* pro *utramque.*

Pag. 9: *Grata rerum varietate.* Quæ autem illa varietas, quam præſtitit Orator? rerum & verborum nulla, aut certe inamœna.

Ibid. *At quantis viris* Criticis, & talibus, quorum gloria te, Grammatice vetule, Orator novelle, debuit revocare ab chreia hac inepta.

Ibid. *Mea laude maioribus, ſed nuper copioſe laudatis.* Copioſe dictum, imo vero pueriliter. Quod tempus illud *nuper* deſignat? Fateor, me ignorare.

Ibid. *Compoſita Oratione.* Comtam voluit dicere. Nam, quid ſit *componere orationem*, notum eſt.

Pag. 10: *Suavi voce parietes reſonare.* Grandi voce ubique reſonant parietes, ſuavi Traiecti, ſed ita, ut ſolus *Reitzius* audierit.

Ibid. *Aures tinniunt Ooſterdyckii facundia.* Quando dicantur tinnire aures, notum, &, quid ſit tinnitus, ex voce ipſa, quæ ex ſono formata eſt, cognoſcitur. Rogo autem omnes, quotquot ſunt, mortales, num unquam ſenſerint tinnitum aurium ex oratione facunda, & tempore, cum diceretur, vel longo tempore poſt? &, ſi non ſenſerint, an unquam legerint fictum iſtiusmodi tinnitum a Rhetore ſano.

Ibid. *In cuius tamen oratione.* Facete dictum, &, quo magis mirere facetiam, animi ea eſt vehementer commoti, & hominis contremiſcentis. Pagina namque ſuperiore dixit, ſe vehementius commoveri, cum *ad animum revocet*, id eſt phraſi *Reitziana*, ſi id cogitat, & animo revolvit. Vide autem, quam belle Criticum agat! Audierat fando, credo, de temeraria, quam ignari venditant, *Cuiacii* ratione emendandi leges, interpoſita, aut excluſa, particula *non*; hanc rationem imitari ioco voluit, ſolus ille, cui ubique, in ipſo etiam tremore, ioci ſunt præſto.

Ibid. *Sed recreat me, & reficit.* Vehementer commovetur Orator novus, & totus ſibi diſplicet, ſi meritas deceſſorum ſuorum laudes cogitat. Eſt tamen, quo recreetur, ſpes nempe pacis. Quid ergo? Pax dabit Noſtro, ut æquare

illos

alios poſſit. Hoc Orator dicit; an ipſe hoc voluerit dicere, & conantem deſtituerit ſucceſſus, neſcio. Hoc ſcio, voluiſſe eum multa, potuiſſe paucula. Bonum itaque factum, quod in titulo Orationis præfatus eſt, *qua demonſtrare voluit.* Novit enim, & ſæpe prætextatis ſuis præcepit; *Si deſunt vires &c.*

Ibid. *Nec tamen longa.* Quanquam ſpes pacis eſt, Auditores tamen ſuos non longa Oratione moratur. Quam pulchre hæc cohærent!

Pag. 11: *Parce tuis.* Animadverte, quæſo, imisque ſenſibus & perpetuæ memoriæ manda delibatos Oratoris facundiſſimi flores, & ſententiarum lumina. *Parce tuis auditoribus per hiemem, tibi per æſtatem.* Pag. 13 *omne ſimile claudicat.* Pag. 29 *rara avis.* Pag. 36 *non omnia poſſumus omnes.* Pag. 44 *nusquam eſt, qui ubique eſt.* Ibid. *De omnibus aliquid, de toto nihil.* Pag. 55 *vobis enim ſeritur, vobis metitur.*

Ibid. *Quibus nota Ciceronis ac Varronis definitio.* Felix conſeſſus, cui ea perſpecta, quæ mortalium præterea nulli; imo vero infelix, ſi impoſtori fidem habeat. Ubi enim *Cicero*, aut *Varro*, Criticam, aut Criticum, definivit? tametſi non neſcio, quæ *Cic. fam. Lib. IX Ep. 10*, & quid *Varro* apud *Diomedem Lib. II pag. 221.* Solent circitores ſummorum virorum auctoritates iactare, verbisque elevare, & tanquam vulgata contemnere, ea, quæ neſciunt, ut ignorantiæ ſuæ velificentur.

Ibid. *Critici, Literatoris, Grammatici, appel-*

latione promiſcue utimur. Utatur tandem, dummodo ſciat, ſeſe imperite uti. Varie vox Critici, varie etiam Literatoris, nec non Grammatici, ſcriptoribus vetuſtis eſt uſurpata. Anne ergo neceſſe fuit monere, qualem hic Criticum, Literatum, aut Grammaticum, velit? Aut neſcivit, aut contemſit, artis præcepta, quæ docet, definitiones & diviſiones rerum debere eſſe certas & perſpicuas. Vide autem, quam mox iterum omnia turbet, & mira ambiguitate ſuſpendat auditorem. Dicit, artis nomine ſe non complecti opificia ſellularia, ſed liberales, & his affines, & ſcientias. Quæro autem, quæ ſint illæ liberales, quandoquidem de iis nequaquam convenit inter antiquos. Quæro dein, quas dicat affines; quas ſcientias. Verum hæc tu ab aliis quære; neque enim Orator noſter tibi reſpondebit. Atque, ut ſolent impoſtores, cavillatione, ioco, aut fabula quadam, diſtringere animos audientium, narratiunculam Noſter de *Hippiæ* multiplici arte interponit, quantumvis alieno loco. Quorſum autem hæc omnia? nempe ut inſcitiam ſuam celet, atque ex latioribus vocabulorum ſignificationibus orationem inſtruat, & iocos, quamvis fatuos & inſulſos, repetat. Quæro ad extremum, quo iure Literatores, Grammaticos, Criticos, promiſcue habeat, cum certum ſit, a ſapientioribus multis Criticen a Grammatica excluſam fuiſſe?

Pag. 11: *Sed liberales & his affines.* Obſcurum per obſcurum, generale per generale, explicat: atque in ea explicatione vocem, quam ponit, mox rurſus removet. Eæne autem

ſermo-

ſermonis Latini anguſtiæ ſunt, ut in eo Critici officium, aut artes liberales, definiri non queant? Quis in Profeſſore Eloquentiæ tantam dictionis egeſtatem ferat?

Pag. 12: *Hippiæ ſimilis*. Quam inconcinne notiſſima hæc hiſtoriola infarta eſt eo in loco, ubi de definitione rei. Et tamen iterum hominis infantiam nota. Fabulam cum ſuis verbis narrare non poſſet, ea a *Cicerone* mutuatur. Eius enim ſunt verba, quæ ſequuntur, usque adeo vero neglecta, imo vero non intellecta, ut manifeſtos librarii errores non viderit. Quis enim aſſuetus *Ciceronis* ſermoni, imo vero Romano, aut Latino, qui in iis 20 *dicerentur* ferat? Non tulerunt certe viri docti, non etiam nonnulli Codices antiqui. Puerorum eſt, loca integra ſcriptorum veterum in ſuas chreias transferre. Et tamen pueri modeſtius, quam novellus Profeſſor. Aperte enim illi præ ſe ferunt verba aliena, hic autem quaſi ſua orationi annectit, ut hoc loco, ſic & *pag.* 42, ubi *Platonis* factum *Senecæ* verbis exponit. Semel aliena verba diſtinguit, *pagina* nempe 12, ubi hominis *Platonici* definitionem, an hiſtoriam, ex *Diogene Laertio* narrat verbis interpretis. Cuius quidem inſtituti perpauca dabit exempla virorum doctiorum, nulla, puto, eloquentiorum.

Pag. 13: *Nulla accedente aliarum artium notitia.* Ecquis autem veterum, aut recentium, talem hominem Criticum aut vidit, aut dixit? Solus eſt *Reitzius*, qui iſtiusmodi homines fingit, ut veris Criticis, viris gravibus & doctis, invidiam faciat.

Pag. 13:

Pag. 13: *Vivit uterque &c.* Locus medius fidius elegantiſſimus, dignusque, qui adoleſcentibus facundiæ Romanæ ſtudioſis in imitationem proponatur. Tota etiam comparatio admodum eſt lepida. Criticus non diu vitam protracturus vivit. Atqui *Ienſius*, qui ſpiſſum criticum volumen ac corpus iuris, nunquam ante ſibi inſpectum, profudit, ſenex eſt. Sed omne ſimile, inquit providens & ſapiens Orator, claudicat. Ceteri omnes ergo Critici non diu vixerunt. Quam & cauſam fuiſſe arbitror, cur nullus mortalium, illorum unquam nomina audierit. Ceterum quis negat ſcitam hanc Galli deplumati & Critici comparationem? Sed vere dico: Quis hoc commentum ſani cerebri dicat?

Pag. 14: *Cantu.* De Gallo verum: non item de homine ſemidocto deprenſo; quid enim eo clamoſius? Exemplum *Reitzii*, hominis *Platonici*, vide. Deprenſus a Lipſienſibus, & protractus ex ignorantiæ latebris, quantos clamores edit? editurus graviores, credo, ſi & orationis ſuæ infantiam & ineptias in vulgus prolatas legerit.

Ibid. *Stridet -- clamores.* Nota horum verborum novas ſignificationes. Gallus ſtridet & clamat.

Pag. 15: *Literatura iam variarum.* Hæc ioco Noſter. Serio vero de Grammatica *Quinctilianus*. Atqui Grammatica eadem eſt Literaturæ, ſi *Reitzio* credimus. Utri ergo fides potior, *Quinctiliano*, an *Reitzio*? Tu divina, Lector. Ego *Quinctilianum* a *Reitzio*, cum hanc Orationem ſcriberet, aut inſpectum, aut intellectum, nego.

Pag. 15:

Pag. 15. *Notiſſima pars Critica.* Quo auctore hæc dicit? ſe, credo, auctore, ut plurima. Nonnullos veterum ſi ſequimur, Critica ad Grammaticen non pertinet.

Ibid, *Auctorum.* Sic Noſter ubique, pro ſcriptoribus, invitis iis, qui de terſiore ſermone ſcripſerunt, quos tamen ita negligit Orator novus, ut & Barbariſmos, Germaniſmos, Gallicismos, & Belgiciſmos, in deliciis habeat: quare & mox *ad Literaturam collatos.* Latini dicunt *cum Literatura.* Mox iterum *feros hominum cultus.* Anne ferus eſſe deſinit, cum cultus eſſe incipit? Sed hoc alii curent, imitatores, ſervum pecus, qui ſtudioſe antiquorum veſtigia premunt. Novellus Orator noſter amat liberiore animo frui, relictisque teſquis & ſylvis, nulla re, niſi religione, venerandis, ad amoena vireta Belgarum, Germanorum, Gallorum, Perſarum etiam, & quicquid univerſo orbe nationum eſt, hortosque delicatiſſimos, exſpatiari, & flores fragrantiſſimos undique decerpere ad Orationes ſuas ornandas.

Pag. 16: *Niſi in elegantiore Literatura.* Hoc verum, ſi Literaturam accipit artem, bene ſcribendi & loquendi, non etiam, ſi Criticam.

Ibid. *Ut aiunt.* Qui? Homines Perſæ? Latinorum nullus. Hoc ſcitum ſane, in exigua Oratione Græce, Latine, Germanice, Belgice, Gallice, Perſice, loqui. Porro theologice, iuridice, medice, philoſophice, plebeie. Quis negare auſit hominem hunc mulſiſſimum, & dignum Traiectina Eloquentiæ cathedra?

Ibid. *Forum practicum.* Eleganter, credo, ſed

exem-

exemplum deficit. Quid ergo? Ipſe ſibi *Reitzius* exemplo; ita namque iterum *pag. 52 forum politicum*, a quo diſcimus eodem iure forum theologicum, medicum, philoſophicum, atque innumera alia, dici.

Pag. 16: *Qui paratum in Carteſium.* Hoc ſine miraculo potuit fieri ab eo, cui *Carteſii* ſententia, in libro illo expoſita, ex ſcholis eius, aut aliunde, erat cognita, nec miraculoſus ille Grammaticus, qui aſſuetus ſtilo Profeſſoris noſtri, vitia ſermonis notet Orationum deinceps habendarum.

Pag. 18: *Viciſſim rident.* Quæ hæ vices, non equidem intelligo.

Ibid. *Αὐτοδιδάκτους huius beneficio.* Hoc paradoxum, imo verum non eſt. Nam neceſſe eſt, prius quis doctus ſit, quam Criticam exerceat. Non ergo Critices beneficio nonnulli didicerunt linguas: ſed doctrinæ beneficio Critici exſtiterunt. Porro aperte falſum, omnes, qui mox recenſentur, Criticos fuiſſe.

Pag. 19: *Pertinaciæ.* Sed quid pertinacia ad *Platonicum* hominem? Quid ad animal implume? Nihil omnino. Facit tamen ad protrahendam Orationem. Pauperculo enim Oratori dum aqua hæret, hinc illinc obvia quæque, quantumvis aliena, arripienda.

Ibid. *Contemtores eorumque errores & mores.* Papæ, quanta elegantia! Cuius aures totum diem, imo annum, non tinniunt ſonitu tam amœno!

Pag. 20: *Nullo habito diſcrimine.* Non curat

hoc

hoc diſcrimen ille Criticus, qui tantum voces venatur, non etiam res; contra, qui utraſque.

Pag. 21: *Romuli nutricem.* Hæc iſtiusmodi ſunt, ut nihil iuvent doctrinam, neque tamen eam quidquam impediant. Si magno labore inveſtiges, riſu dignus, ſin ſponte ſeſe offerunt, quid obſtat, quo minus varians nominis lectio notetur?

Pag. 22: *Etſi Cellarius.* Miratur Anticriticus noſter Profeſſor, *Heumannum* non perquiſiſſe nomen lacus, qui *Ciceroni* eſt dictus. Et tamen probat, quod *Heumannus* facillime caruerit lacus illius notitia & nomine. Anne alterutrum abſurdum, atque a iudicio ſani hominis alienum?

Ibid. *Dati ſumus.* Doceri, atque intelligere, quæ ſcriptura ſit antiquorum librorum, cui unquam moleſtum fuit?

Pag. 23: *Teſte Quinctiliano.* Imo vero Grammaticis antiquis omnibus. Sed non mirum, hos ignorari Noſtro, cui nunquam *Quinctilianus*, Grammaticorum princeps, inſpectus.

Ibid. *Præferret.* Præferat, qui volet; quid inde damni? Non ſane plus, quam ex diverſa ſcriptura Belgarum *Brief, Briev, Neef, Neev, Ontfangen, Ontvangen.* Sequatur quisque, quod probat, & obtemperet genio ſuo.

Ibid. *Æque fere multa.* Hoc nullus æquus rerum æſtimator dixerit. Noſtrum dixiſſe, non miror, contemtorem artis, quam neſcit.

Pag. 24: *In promtu ſunt* AVCTORITATES *Ciceronis ac Livii*, VBI. Quis dubitet pulchre dictum & terſe?

Pag. 24:

Pag. 24: *Multaque a maioribus non fuerint conſtituta.* Hoc dictum eſt Iuriſconſultorum vulgare, qui & noverunt, quid ſit *conſtituere*, & quæ ſint *conſtitutiones*, atque ob id intelligunt, quam imperite Anticriticus noſter conſtituta ea dicat, quæ forte, & caſu quodam, acciderunt.

Pag. 25: *Num ipſe hæc videre potuerit.* Verba *Ciceronis* ſunt *Lib. fam. X Ep. 16*: *Nihil poſt hominum memoriam glorioſius, nihil gratius, ne tempore quidem ipſo opportunius, accidere vidi, quam tuas, Plance, literas.* Quæ verba qui diligentius conſideret, non uno modo reſpondebit facile cavillationi Anticritici. Hoc tantum dicam, *videre* hic non ſignificat oculis cernere, ſed animo videre atque intelligere. Exempla plurima dabit unus *Nizolius*, dabunt etiam Lexicographi, quæ nec prætextati ignorant.

Ibid. *Originum inveſtigatores.* Si roges, qui illi inveſtigatores, quo nomine dicti, aut mentiendum Profeſſori noſtro, aut dicendum *neſcio.* Fuit olim unus forte & alter, ſed hi innominati, eosque errare ſcripſit *Soſipater*, Grammaticus antiquus, qui ab *aſſe* derivat, ut nominati omnes, atque in eorum numero *Aelius* fuit. Fuiſſe inter eos etiam ipſe *Cicero* videtur. Adde *Feſtum.* Vides, quam imperite Noſter, nec imperite tantum, ſed & quam parum fideliter.

Pag. 26: *Suntne enim faces cingendis corporibus aptæ.* Incredibilem Anticritici ſtuporem nota, & *Platonicum* hominem, *Platonicorum* omnium Πλατωνικώτατον. Stridat nunc deprenſus, ſi poteſt, imo, per me licet, vel rudat, quod unum

unum ſemper potuit. Deprenſus enim in turpi, & pueris pœnitendo, errore, nullam vocem emittat, credo. An neſcis, Vir Celeberrime, quod pueri plerique noverunt, *accingi* ſignificare *præparare*? At potuit te docere idem *Virgilius*, nec non doctiſſimus eius interpres, *Servius*, cum ad hunc verſum, quem tu imperite interpretaris, tum aliis in locis. Ita enim *Servius* ad illum *Virgilii verſum 74 Lib. IX: Facibus pubes accingitur atris: pro ad faces accingitur, ut ſit Dativus, ut accingunt omnes operi.* Idem Poeta *Lib. XI Æn. 707: pugnæque accinge pedeſtri.* Et, quo magis intelligas, *Virgilio facibus accingitur atris* uſurpatum pro *ad faces* (rapiendas nempè & vibrandas, atque ita ad rem aggrediendam,), cogita hoc eiusdem Poetæ *Æn. IV v. 493: Magicas invitam accingier artes.* Is accuſativus pendet a præpoſitione *ad*, quæ eſt in verbo *accingier*. Quis autem Grammaticiſta ignorat, pro iſtiusmodi accuſativo, omiſſa præpoſitione *ad*, ſæpe adhiberi dativum? Sed & alterum Profeſſoris Traiectini, hominis *Platonici*, ſtuporem animadverte in hac pagina. *Virgilii* verſus eſt *570 Æn. VI:*

Continuo ſontes nutrix accincta flagello
Tiſiphone quatit inſultans.

Coniungit *Platonicus* ille *accincta flagello*, quaſi circumdata flagello, atque inde anſam captat Grammaticis illudendi. Vide autem, quanto melius Grammaticus *Servius flagello quatit* coniungi docet, ita monens, *nocentes flagello quatit ipſa præparata.* Metuendum ſane, ſi pergit ita

 inepti-

ineptire Noſter, ne Floralibus pueri *Platonicum* hunc hominem cathedra detractum, ad ima *Eraſmiani* ſubſellia, unde prorepſit, retrudant, ubi tum Noſter Profeſſorio tegmine exutus, pennis deſtitutus, humi, & locis inferioribus adfixus, æger deſidebit, triſte quid & lamentabile gemens, vel raucum quid & obſcurum ſtridens, ac, ſi deprehenderis, inconditos clamores tollet, totumque illum hominem dabit, quem ipſe deſcribit *p. 131*.

Pag. 28: *Noſtri iuris*. Si quisque ſui iuris eſt in fingendis vocabulis & vocabulorum ſignificatibus, qualis tandem futura eſt lingua? Europæus, Aſiaticus, Afer, Americanus, & quæque horum gens, & populus, finget de ſuo vocabula, quæ nullus, niſi de eadem natione homo, intelliget. Fietque ſemper, quod hodie in Academiis nonnullis fieri dicunt, ut ipſi Profeſſores Collegas non intelligant, artis ſuæ vocibus loquentes.

Ibid. *Ex Chriſtianis ſcriptoribus Petronius Arbiter*. Cuius eſt *Cap. 118: Liber præcipitandus eſt ſpiritus per fabularum ſententiarum tormentum*. Et alias.

Pag. 29: *Ut omnia ex illo ſolo deſumamus, qui non omnia habet*. Venuſtisſime dictum, quis negat?

Pag. 31: *Vellem ab invidia*. Et ego vellem, Theologos omnes, Iurisconſultos, ceterarumque diſciplinarum cultores cunctos, ab invidiæ ac ſuperbiæ vitio poſſem declarare immunes. Imo vero quis non vellet, humanum genus omne immune eſſe eorum vitiorum? At vero, ſi quisque ſuos patimur Manes, quid ægre ferimus, iisdem

tene-

teneri Criticos? Iudicium anticritici requiro. A vitio vero ſuperbiæ, quem Pedantiſmum nominamus, longe abſunt *Reitzii* omnes. Longiſſime vero ille, qui in Oratione pulcherrima Grammaticorum faſtus contudit. Quo quidem hominum genere ille Gorinchemenſis ſcholæ Rector tanto ſuperior, quantum Ampliſſimo Ordini in magna & ſplendida civitate (Senatum Gorinchemenſem dico) propior. Conſules enim & Senatores amicos ſuos nominat. At quanto nunc excellentior, nactus noviſſime Profeſſorium nomen, quanquam detracto iure collegia, ut vocant, habendi? Nactus autem hunc honorem, quod in Oratione inaugurali, qua Harderovicenæ ſcholæ Curatoribus ob Rectoratum gratias egit, feſtivo carmine novercæ mariti exequias celebravit, & ſcite Prorectorem ſuum depexuit, probriſque pulcherrime oneravit.

Pag. 32: *Titulis puerorum ineptorum, fungorum.* Id eſt, pueros ineptos, fungos. Belgæ ita loquuntur, non Latini. *Sy geven hen de naem van jongens, van Geeken.*

Pag. 34: *Ad emota ſedibus ſuis oſſa.* O Medicum! o Grammaticum! o ridiculum Profeſſorem! *Suetonius* de oſſe ſedibus ſuis emoto, an de coxendice, femore, & crure, affectis loquitur? Belgice dicimus *Heuppyn*, *Kniepyn.* Accipe verba *Suetonii* in *Aug. Cap. 80: Coxendice, & femore, & crure ſiniſtro, non perinde valebat, ut ſæpe etiam inde claudicaret: ſed remedio arenarum, atque arundinum, confirmabatur.* Quis adeo inſanus, niſi Medico-Grammatico-Profeſ-

ſor Traiectinus, qui eo morbo, vel vitio, os luxatum dicat? Anne vox *ſæpe* revocare eum ab errore debuit? Num enim credibile, coxendicis, femoris, cruris, oſſa ſæpe *Auguſto* emota fuiſſe? Qui autem credibile, ab illis emotis illum *ſæpe* claudicaſſe, ac non potius ſtragulis ſemper adfixum decubuiſſe? Sed fac, emota fuiſſe hæc oſſa: num arenas (quam vocem probat noſter Medico-Grammaticus,) plus valuiſſe putabit ad reſtituenda locis ſuis oſſa, quam ſanguiſugas? Quis non Iovem lapidem iuret, cum illa ſcriberet, mentem omnem cum toto cerebro iſti emotam fuiſſe?

Pag. 35: *S. S. leges.* Credo, ſignificari ſacroſanctas leges. Notam hanc a Theologis accepit, ignoratam antiquis ſcriptoribus. Scilicet diſciplinas omnes venditat Noſter, dum nullam novit. Sed quas tandem leges ſacroſanctas dicit? Abſtinuiſſet hoc nomine, ſi ſciſſet, non omnium legum hoc epitheton eſſe, ſed pauciſſimarum duntaxat, atque earum, quas nullus Criticorum attigit unquam, nec attinget poſthac, quia nusquam eæ ſunt, quippe perditæ dudum temporis edacitate. Doctus mehercule antiquitatis interpres, qui neſcit, quid ſint leges ſacroſanctæ.

Pag. 36: *Uni Grammaticæ*, ut Noſter, Grammaticæ *Voſſianæ* addictiſſimus, ſed minori; maiorem enim, quia critica eſt, ne attigit quidem.

Ibid. *Haud abſurde.* De artibus mechanicis, de artibus vero literarum abſurdiſſime, quæ vinculo quodam inter ſe continentur, ut dudum viri ſummi monuerunt. Quid, quæſo, res numma-

ria ſine Hiſtoriæ cognitione? Quid Criticus ſine Grammatica? quas tamen disiungi poſſe putat.

Pag. 37: *Num quidem.* Quis Belga magis Belgice *of het wel?* At vero quis Latinorum magis barbare?

Ibid. *Increſcit emendandi cupiditas.* Hoc cacoethes omnium fere hominum commune, ut ſcribendo creſcat cupiditas. Quis credat, *Reitzium* tam inſulſam, tam ſtultam, tam barbaram, Orationem editurum fuiſſe, niſi chreiam, quam ſcripſit; profeſſionem extraordinariam ſuſcepturus, ante edidiſſet. Quis, cum *Luciano* manum admoturum, niſi pædagogicum libellum *de Ambiguis* ante ſcripſiſſet?

Pag. 38: *Quid ſi eiusmodi Criticus.* Quid ſi eiusmodi Criticus nec ullus eſt, nec fuit unquam, nec futurus eſt poſthac? Eſt tamen is in mente *Reitzii*, in qua multa abſurda. Sermo in hoc loco, ut & in multis aliis, elumbis eſt, & ſine nexu.

Pag. 39: *Nec ego ſane Poeſin odi.* Qui oderit Poeſin, quam non intelligit? Non autem intelligit, quia in notiſſimas proſodiæ regulas peccat. Et tamen Poeſeos Profeſſor Traiecti factus eſt: verum, ut ipſe ex vero fatetur, immeritus. Stultitiam ſuam damnet, an creantium errorem, Lector diiudicet.

Ibid. *Curioſis quam neceſſariis.* Galli, Germani, Belgæ, *curioſum* hoc ſignificatu dicunt, abhorrent Latini.

Pag. 41: *Nec metuite a canibus.* Ha, ha, he. Pulchre, lepide, laute, nihil ſupra. Nullus me-

rio in ſcena hoc feſtivius unquam, quam Noſter in cathedra, modo geſticulatio & vultus ſubſervierit dicto, quod non dubito. O iucunda Traiectini Oratoris charletaneria, Theologis, Iurisconſultis, & quicquid usquam eruditorum eſt, imitanda! O felix Traiectum hoc lepidiſſimo Profeſſore, & cymbalo iucundiſſimo, cuius ſuaviſſimo *tinnitu examina* adoleſcentium, toto orbe collecta, ad te confluant, ut mellifluo Oratoris ſummi ore paſcantur.

Ibid. *Privata Telemachi lectione.* Cur non *Cyri Xenophontei?* Sed *Xenophon* antiquior. Non amat antiquitatem, non amat carmina, non amat eloquentiam, Antiquitatis, Poeſeos, & Eloquentiæ, Profeſſor novus. Neque etiam Hiſtorias amat, niſi eas ſolas, quas ex *Laurenbergio* excerpſit.

Pag. 42: *Clariſſ. Turretinus.* Egregium & celebratiſſimum inter principes Hiſtoricos nomen, digniſſimumque oratione Profeſſoris Hiſtoriarum.

Pag. 43: *An vero iſte error quidquam detrahit?* Nihil detrahit, fateor. Sed an ob id minus *Lipſium* decuit verum nomen eruere? Parvi refert ad æternam ſalutem, qua lingua Epiſtola ad Ebræos fuerit ſcripta; quis procurator Iudææ fuerit tempore Chriſti naſcentis. Parvi ad ſcientiam iuris, quis auctor fuerit conſtitutionis de communicanda cum ſociis imperii Romani civitate. Et tamen diligenter de iis & Theologi & Iurisconſulti nobiliores inquiſiverunt. Quis ergo ægre ferat, eadem, aut ſimilia, a Criticis inveſtigari? Nil refert, tres, an quatuor, Auctores

vete-

ceteres *Xenocratem* dixerint, quem *Speuſippum* nominat *Seneca*, & tamen nil etiam refert, tacuiſſe hoc loco, non tres fuiſſe, ſed quatuor, *Diogenem Laertium*, *Stobæum*, *Plutarchum*, & *Valerium Maximum*. Vid. *Lipſ.* ad *Senec. de Ira Lib. II Cap.* 12, atque erraſſe *Reitzium*.

Pag. 44: *Si modo non ingrata fore*. Non erunt, ſi fratribus ſuis credet & diſcipulis. Cordatis autem viris moleſtum accidet & miſerum, dignitatem Profeſſionis Traiectinæ civitatis, cum ſuo, tum Profeſſorum ſuorum, ſplendore nobiliſſimæ, proſtitui ab homine, inerudito non tantum, ſed & inepto.

Pag. 45: *Stabo cadamque*. Cadet certe *Reitzius*, ſi quid meo iudicio creditur, nec meo tantum, ſed omnium eorum, quibus Græce & Latine intelligere datum. Utilem operam navavit pueris *Reitzius*, *de ambiguis vocabulis* volumen ſcribens, egregium ſupplementum *Pitiſci* Lexico, utilem etiam operam navavit editis thematibus vernaculis, quæ Latine vertunt pueri. Laudem Ambiguorum tulit a Lipſienſibus; at vero, qui notas eius, *Luciano* impenſas, non oderit, idem laudet *Minelli* & *Iunckeri* commentarios, & hircos, per me licet, mulgat. Grammaticum in iis ſeſe oſtendit *Reitzius*, ſed talem, qui remotus ſit ab arte critica, antiquaria, hiſtorica, &, quanto remotior ab iis artibus, tanto propior homini *Platonico*.

Ibid. *Athenæo conſultum credo*. Conſuletur optime, ſi, clauſis ſcholis Hieronymianis duabus ſuperioribus, ex inferiorum ſubſelliis adoleſcentes

ad novum hunc Profeſſorem informandi allegentur.

Pag. 46: *Si hoc in me collatum beneficium atque honorem ita tacitus abire paterer.* Dignum cœna *Trimalchionis.*

Ibid. *Omnibus & ſingulis.* Credas, te initium Diplomatis medii ævi audire.

Ibid. *A liberis meis.* Digna formula, quam & alii Profeſſores obſervent. Anne mirandum, nemini eorum in mentem veniſſe unquam?

Pag. 50: *Amicitiæ nodo.* Vinculum amicitiæ antiqui Oratores dixerunt, hac ſententia. Nodus quid iisdem ſit, nempe *impedimentum*, ſciunt eruditi homines, neſcit Anticriticus.

Pag. 51: *Floreat - - - Muſica.* Egregium civitatis præſidium. Pudeat autem, Profeſſorum quicquid ubique eſt, etiam Theologorum, quod nulla vota in ſolemnibus ſupplicationibus pro Muſica faciunt, facient tamen, ſat ſcio, poſthac, exemplo tanti Profeſſoris admoniti.

Ibid. *Sibi habeant.* Latine ſonat, faceſſant hinc. Noluit tamen eo ſenſu Noſter, credo, voluit ergo barbare.

Pag. 52: *Quo literariæ bulimiæ morbo.* Quam eleganter hæc locutio a noſtro Profeſſore conficta? Bona tamen, quia Græco de fonte cadit. Bona etiam vox *omniſcium*, quæ mox ſequitur. Et cur bona? quia theologica.

Ibid. *Sit venia verbo theologico.* Accipe veniam a *M. Catone*, viro ſapientiſſimo: *Næ tu nimium nugator es, cum maluiſti culpam deprecari, quam culpa vacare.* Vid. *Gell. Lib. XI Cap. 8.*

Cap. 8. Unum tamen eſt, quod excuſat Noſtrum, nempe neceſſitas: non enim potuit aliter dicere, homo infans & inops verborum.

Pag. 42: *Dixi.* Hoc unum Anticritici noſtri vere criticum. Vocem hanc, maiuſculis literis ſcriptam, geminari voluit ex notiſſima Criticorum regula. Geminata autem exibit DIXIT DIXI. Atque ita exit & conſummata eſt, lepidiſſima Oratio. Coronidis loco hoc unum addo, quod legenti mihi eam crebro ſuccurrit, eſtque apud *Athenæum: Exceptis Medicis, nihil eſt Grammaticis ſtultius.* Qualis videatur *Ioannes Fridericus Reitzius*, ex Medico & Grammatico conflatus, tute, Lector, exiſtima.

Sed hæc ſpeciminis ergo ſufficiant notata ad futilem hanc *Reitzianam* Orationem. Quia vero Eloquentiæ non tantum, ſed & Poetices, titulo inſignis cluit hic *Palæmon*, ex plurimis poetaſtri illius ineptiſſimis verſibus, (nam quis bonas horas tam male collocare vellet aliis *Marſyæ* huius næniis vel legendis, vel caſtigandis?) dabimus hic lugubre illud carmen, quod in obitum Cel. *Drakenburchii* cecinit, vel canere voluit, Traiectinus *Mævius*, digniſſimus certe, qui tali *Atlanti* ſufficeretur *Hercules*: ut ex hoc uno ſpecimine de ceteris iudicium ferre liceat:

AETERNAE MEMORIAE
LONGE CLARISSIMI ET FACVNDISSIMI
DECESSORIS,
ARNOLDI DRAKENBORCHII,
REBVS HVMANIS EXEMTI
d. XVI. Ian. CIↃIↃCC XLVIII.

Parva Drakenborchum ſi magnum forte, viator,
Buſta tenere putas, falleris egregie:
Carceribus ruptis ſuperas elapſus ad auras
Vivit, & æternum ſecula lætus agit.
Vivit, & ex alta mortalia deſpicit arce,
Nosque iubet lacrymis impoſuiſſe modum.
Nunc ibi mutato cognomine Livius *audit,*
Namque vel in terris Livius *alter erat.*
Vir meritis ingens: dubium ſed, laudibus an ſit
Schachtiadæ maior, maior an ipſe ſuis.

L. M. Q. R.

IOANNES FRED. REITZIVS.

Apotheoſis certe illa tam ingenioſa & lepida eſt, qua, auctore *Reitzio*, *Drakenburchius* poſt mortem in cœlo nunc audit *Livius alter*, ut, niſi egregie fallamur, ſpondere *Reitzio* poſſimus, poſt eius obitum omnem Silenorum & capripedum Satyrarum turbam exclamaturam eſſe:

Reitziaden, *hoſpes, ſi forſan parva Magiſtrum*
Buſta tenere putas, falleris egregie:
Reitzius *in cœlo poſt mortem* Mævius *alter*
Dicitur; in terris Mævius *alter erat.*

Exere te nunc, o pubes Traiectina, &, Dædaleo hoc alarum remigio confiſa, ſuper aſtra & nubes volare diſce! Icarios certe caſus ne cum duce tuo metuas, providebit *Hercules Muſagetes*. Nos tamen Germani nihil invidemus, Batavis Academiis tam prudenti conſilio præfici eiusmodi Poetas ex Weſtphalia. Sed, hæc contagio ſi latius iſtic ſerpat, & peſtilenti ſuo ſidere plura Lycea

adſſet, verendum ſane eſt, ne ex pulvere ſcholaſtico plures e grege *Reitziorum* protrahantur *Bavii*, qui, ubi iam deficere inceperint *Heinſii*, *Gronovii*, *Grævii*, ſimilesque literarum vindices, ſuccedant, ut barbariem citatis quadrigis Bataviæ invehant, &, abiecta ferula, togis conſpicui obambulent, ut Arcadico ruditu & Marſis næniis, pro dulci olorum carmine, quo olim delectabantur, iam conſternatas Muſas in fugam agant. Quia vero toties pueris ſuis Gratiarum, quas vocant, actiones pro præmiis in promotione ſcholaſtica compoſuit Ludimagiſter, miramur certe, *Reitzium*, oportunum ſane tempori huic Poetices & Eloquentiæ Profeſſorem, pro honore cathedræ, cui ingeſtus eſt tunc, cum voluit Fortuna iocari, nondum ceciniſſe, ac pro ſuggeſtu recitaſſe, Gratiarum actionem, heroicum nempe Carmen *Gulielmeida*, ad exemplum capitalis illius Gorinchemenſis, nunc Bommelienſis, Pædagogi Collegæ, *Weſtbovii*, ut cum illo *Lucumone*, ut & *Weſterbovio*, *Schrædero*, *Verburgio*, miſerabilis memoriæ Triumviris, ac ſimilibus Anſerum nepotibus, de laude *Hyperborealis Sapientiæ* certet, quem libellum Pædagogomaſtigem ſi altero volumine augere velit Auctor, nos ipſi ex *Reitziorum* putidiſſimis ſcriptis, quæ forte nunquam aliqua lectione dignatus eſt, copias ſuppeditabimus luculentiſſimas.

VIII. CASPARIS BARTHII AD CHRISTIANVM DAVMIVM EPISTOLAE, NVNC PRIMVM EDITAE CVRA F. O. MENCKENII.

PARS I.

Lectori S. D. F. O. MENCKENIVS.

Ea *Barthiani* nominis dignitas, is ſplendor, eſt, ut nemo facile Lectorum ſit futurus, qui, noſtris demum doctum hunc hominem laudibus celebrari, aut ſibi a nobis commendari, quicquid harum eſt Epiſtolarum, cupiat. Dudum is digniſſimum inter præcipua Germaniæ literatæ decora locum occupavit; dudum hæc communis recte de literis exiſtimantium opinio fuit, qui comparari cum *Barthio* debeant, Criticos ſuperioris ſeculi aut nullos, aut certe paucos, fuiſſe. Quam enim is ſubtilis veterum Auctorum, ſive Græcorum, ſive Latinorum, interpres, quam acutus emendator, fuerit, ſi non aliunde, at certe ex magno illo *Adverſariorum* opere, quo, tanquam armamentario quodam, præſtantiſſimos doctrinæ elegantioris theſauros concluſit, & ex doctis illis in *Statium* & *Claudianum* Commentariis, haud difficile omnes intelligunt. Talis ac

ac tanti hominis ſervari, meo iudicio, & ab interitu vindicari, quæcunque exſtant, etiam minutisſima quæque, ingenii politioris monumenta debent: quod fieri vix posſit, ut, qui tanta, quanta *Barthius*, doctrinæ copia abundat, ieiunus aliquando in ſcribendo, & boni ſenſus vacuus, inveniatur. Ut enim pictores excellentes, etiam cum in rudi tabula penicillum exercent, artem ſuam haud disſimulant; ſic homines etiam docti, & utilibus ſcribendis aſſueti, ea, quæ levia & minuta videri poſſunt, quodam ornare ingenii & doctrinæ quaſi colore ſolent. Non eſt igitur, cur reprehendendos eos putem, quos colligendi qualescunque optimorum reipublicæ literatæ civium reliquias tantum tenet ſtudium, ut nihil interire patiantur, unde aliquis, quantuluscunque is demum ſit, ad ipſas literas redire fructus poteſt; nec, ſi uni, aut alteri, ea tantum, quæ ſuis ſtudiis conveniant, quærenti, parum hæc, quæ luce publica donantur, utilitatis præſtant, ideo, ad ceteros omnes uſum ea habere prorſus nullum, putandum eſt. Nihil certe tam bonarum rerum inane, tam ſua ſpecie abiectum & contemtum, oſtendi poteſt, quo non aliquando doctisſimus quisque in re ſibi ignota uſus ſit cum fructu quodam. Eſt hæc inprimis ratio Epiſtolarum, maxime familiarium, quæ non ad oſtentandam doctrinam, ſed amicitiæ cauſa, de rebus privatis & domeſticis, ſcribuntur; quæ, ſi magna ſui parte ſunt eiusmodi, ut ad eum tantum, ad quem ſcriptæ ſunt, neminem alium, pertineant, nec legentem ullo modo doctiorem efficiant,

ciant, ſæpe tamen inter ſordes & ſcorias micam aliquam purioris auri oſtendunt, & ab una, ſucci haud experte, ſententiola, ab hiſtoriola, ſcitu non omnino indigna, a coniectura eleganti, ſimilibusque gemmis aliis, pretii plurimum & commendationis habent. Separanda igitur ab inutilibus bona ſunt, nec hæc numero & mole, ſed præſtantia & dignitate ſua, æſtimanda. Hanc nos tenuiſſe rationem in edendis *Barthii* ad *Daumium* Epiſtolis, ipſe, ſi diligenter attendas, facile intelliges, Lector. Quæ, cum ſint familiares utique, & ſine edendi conſilio exaratæ, fieri haud potuit, quin bene multa continerent, quæ, vix hominis ſani eſſet, ex ſuis tenebris, quibus ſunt digniſſima, protrahere. Itaque cavendum duxi, ne in his inter legendum offenderes, nec moleſta hæc tuis oculis eſſent, quibus legenda a nobis dari non niſi ea ſolent, quæ ſuavitatem aliquam, nec elegantiæ nihil, habent. Cuius generis, ni fallor, hæ ſunt *Barthii* Epiſtolæ, iſto nempe, quo in conſpectum tuum prodeunt, a nobis habitu indutæ, & tanquam lima quadam ita expolitæ, ut placere etiam iis poſſint, quibus nihil, niſi quod venuſtum eſt, probatur. Certe enim, ſi, quo commendari poſſent, nihil his ineſſet aliud, vel ſola illa de cuiuscunque ætatis ſcriptoribus iudicia, non vera tantum, ſed multo etiam ſale condita, quæ tanto plus habere ponderis videntur, quanto maior *Barthii* in hoc genere doctrina fuit, cuilibet, iſtarum rerum curioſo, efficere has lectu gratas & iucundas poſſent. Talia non poterant non inter familiariter ſcribendum excidere

homi-

homini vaſtiſſimæ ampliſſimæque eruditionis, inprimis vero ad *Daumium* ſcribenti, ſibi doctrina elegantiori non adeo multum inferiorem, iſto autem genere epiſtolarum, & lectiſſimis illis orationis floribus, vehementer delectantem. Sunt hæ quatuor & triginta numero Epiſtolæ, adhuc quidem, ſi unam, ordine ſecundam & vigeſimam, quæ inter *Notas Daumii ad Catonis Diſticha*, Cygneæ A. 1672 editas, a *pag.* 212 ad 214 legitur, excipias, non, quod ego ſciam, editæ. Eas iam ad exemplum, ipſa ſcriptum manu *Barthii*, expreſſimus, maiore, quam tu, Lector, putes, cum labore noſtro: quod vulgatum illud: *Docti male pingunt*, in *Barthium* fortaſſe magis, quam in alium quemcunque, cadat. Sæpe enim opus nobis non tam coniectura, quam divinatione, & quodam quaſi Delphico oraculo, fuiſſe, ſæpe etiam integras verborum continuationes, quæ legi nullo modo poſſent, omittendas nobis ideo fuiſſe, ne falſa, aut inepta, exſcriberentur, mihi credas, velim. Si quid igitur habendum nobis, Lector, gratiæ iam putes; haberi id inprimis oculis noſtris æquum eſt, quorum ita obtuſa, lectis illis Epiſtolis, acies eſt, ut ad tale officium vix redituri unquam videantur. Ceterum de ipſo hoc munere, quod, ſi gratus harum rerum æſtimator es, non abiicies, nihil mihi, omnia Illuſtri Viro, *Ludovico Bernhardo* Lib. Baroni *de Zech*, Saxonici olim Ducis, Leucopetræ regnantis, a ſanctioribus conſiliis, vero equitum Saxonicorum ornamento, debes, qui, cum ipſe ſit doctiſſimus, nec, publicis ingenii excellentis monumentis nobili-

bilitari, ſua olim indignum perſona duxerit, nunc illud inprimis agit, ut aliorum ſtudiis tanquam aliquis Mæcenas certisſimo eſſe præſidio intelligatur. Is igitur, cum a noſtra etiam Muſa adeo non abhorreat, ut legendis his *Miſcellaneis* ſui aliquid otii lubens tribuat, nec ſine laude occupari nos in his edendis putet, de iſto, qualecunque eſt, opere præclare meriturus, & in memoriam ſimul revocans veterem illam, qua coniuncti inter nos fuimus, conſuetudinem, quas olim, ære non modico redemtas, in Bibliothecam ſuam intulerat, ſponte ſua ad nos miſit *Barthianas* has *Epiſtolas*, noſtro huic operi non vulgare aliquando decus addituras. In quo cum erga nos talem ſe geſſerit, quales eſſe ex illo ordine, hac quidem ætate, non ſane Muſis auſpicata, pauci ſolent; nihil magis æquitati convenit, quam ut illuſtre hoc literatæ beneficentiæ exemplum debitis laudibus proſequamur, & munere tam honeſto, tam benigne liberaliterque dato, in rem communem omnium utamur. Id nos bono animo lubenterque facimus, honorem ita habentes *Zechianæ* liberalitati, quam, quo ſpectatior eſt & tibi, Lector, fructuoſior, hoc maiori ipſe, ſi bonus in te ſenſus eſt, dignam laude & applauſu iudicabis.

EPISTOLA I.

Priusquem de aliis, de rebus literariis tecum ſermones inſtituam, mi amicisſime *Daumi*, ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς. Poemata tua dulcia, iucunda, & docta, ſunt ad miraculum, præcipue

cipue Anacreontica & Choliambica, in quibus hiatus omnes & duritiæ loquendi cavendæ ſunt, quod paucis contingit perficere. Si ante hos XXV annos tale ingenium mecum certaſſet in his numeris, puto, pridem amore ſuperandi oculos amiſiſſem. Nec ſane nunc tibi ſine quodam animi morſu victoriam totam cedo. Unum pro amicitia noſtra abs te peto, ne nimium labores in hoc omni genere: ſunt enim & eſſe debent ἡδύσματα, non ἐδέσματα. Præcipue in deſcriptionibus, quibus omnino amanuenſem adhibere debes, & tempori & animo parcendo, qui facile ægreſcit in depingendis, quæ ſemel quodam impetu effudit. *Plinium Valerianum* hac æſtate ſe editurum, mihi dixit Vir longe doctiſſimus, induſtrioſiſſimus, & ingenioſiſſimus, *Andreas Rivinus*, Medicinæ hic Doctor. Utrum præſtiturus ſit, tot modis alibi occupatus, neſcio. Non eſt forte tanti, ut tantopere in eo laboretur. Ego, cum eum repecterem, omnibus libris deſtitutus eram, ipſo etiam *Plinio*. *Priſcus* Hiſtoricus eſt, in Legationem Auctoribus a *Davide Hoeſchelio* Græce editus. Latinum fecit *Carolus Cantoclarus* cum ceteris, is, qui *Iuliani Cæſares* olim interpretatus eſt. *Arnulfum Lexovienſem* edidit *Odo Turnebus*, *Adriani* filius. Exiguus liber eſt, paucis Epiſtolis & Carminibus conſtans; ſed capitalis ingenii eo ævo, & præcipue amandus, quia rectiſſimo iudicio fuit, etiam in vita & politico uſu ſuæ doctrinæ. *Hieronymus*, Græcus Theologus, paucarum paginarum eſt, a *Frid. Morello* ex Bibliotheca *Lindenbrogiana* editus,

Paulini Pellæi (qui *Auſonii* nepos fuit, ut dudum docuit doctiſſimus *Sirmondus*, & nos firmavimus,) Euchariſticon anno ad te miſi in calce *Paulini* de Vita *Martini*. Id videris neglexiſſe. Adverſariorum numerus in *Rutiliano* Commentario corruptus eſt, ut totus is liber vitioſe editus, vixque mihi agnoſcendus. *Nonno Nanſii* tibi adeſſe non poſſum, forte luculentiſſima editione *Nicolai Abrahami*, cum Notis ſane exquiſitis, ſed carior eſt iuſto liber, paucis exemplaribus Pariſiis editus. Pro Epithalamio gratias ingentes habeo. Tu tamen ridiculum me facis, quod nihil in me & mea domina laudes, præter leporem. Ipſa quidem, XXI annorum puella, illo titulo digniſſima eſt iuxta alias; quis me autem cum cano capite non cachinnet puellitantem, ut *Varro* loquitur? Multos procos ob genus & formam exploſit illa, ideoque multorum invidiam patitur, cui nihil deeſt, niſi quod ſingularis gratiæ, & moribus eſt ab omni levitate abhorrentibus. Nullis machinis ei perſuaderi potuit, ut in Paulinum meum Muſeum habitatum veniret nunc; nec in urbe tot militibus plena commorandum ei fuit: itaque, paucis diebus hic exactis, reverſa eſt ad ſuos, donec ſequar. Forte tamen ad nundinas reverſura; ægre enim abſentiam eius fero. Si itinera tutiora paulo fient, non denegabo ad vos excurrere aliquando, illa comite, ut videas, quam me Diana bearit. De Catalogo Græcorum Scriptorum concinnando operam non detrectabo, cum ad libros fuero aliquando reverſus. Sodes, admone me eius ne-

gotii

gotii nomine ſæpius. Ne nihil meorum mitterem, donec aliqua alia expediantur, Epigrammata tibi mitto, ut edenda olim arbitratus ſum, ſine titulis, qui ſunt adiiciendi, iunctis primis aliquot Soliloquiis. Iſta retinere poteris, &, ſi placet, edere. Epigrammata erunt remittenda, ſed non propere. Facile enim iis anno aliquo carere potero. Incendium Halenſe ſupra CX domos abſumſit. Proximum fuit una ſola meo domicilio. Sed, quia intermedia erat habitatio Præfecti venationum, ſupremi inter Nobiles aulicos, affinis mei, quique ambit coniugis meæ ſororem, ipſa duobus annis maiorem, ſumma ope, priusquam in hanc graſſari flamma poſſet, exſtincta eſt. Hæc una res mihi ſubvenit, poſt Deum, alioqui una hora omnia peſſum iiſſent. Aiunt non inepti homines, monſtrum quoddam diabolicum, mœnibus inſidens, & tuba clangens, viſum eſſe. Certe mirifica res erat, tantum ignem, quatuor plateas illæſas transvectum, momento e medio oppido in longe diſſitum ſuburbium volitaſſe, atque id totum momento concremaſſe, intactis plus ducentis, aut treeentis, mediis ædibus. Deo Opt. Max. ingentes ago gratias, ſemperque acturus ſum, terrore tanto tam horribilis ſpectaculi, tam repentini, perculſus, ut oculis (peſſime alioquin hactenus habitis) id nondum integrum expulerim. Bibliotheca & Schola tactæ non ſunt; ædes autem Rectoris cum tota vicinia in cineres redactæ. Catalogum ſcriptorum meorum aliqualem mitto, non tamen integrum, nec exemplar retinui; itaque, ſchedium hoc remitti, neceſſe erit. Retinui hic ex tuis libris

Obſopæi & *Delii* de arte bibendi & iocandi, ut cenſuras marginales pertexam; proxima occaſione accipies utrumque, a me in ordinem redactum. Peto ſolum, admoneas; ſum enim nunc opinione omnium longe oblivioſior. *Claudiani Mamerti* Libros cum *Herma*, item omnes, qui Palæſtinas hiſtorias ſcripſerunt, & in Catalogo hoc nominantur, cum Notis & Gloſſariis ſingulos omnesque, paratos editioni habeo. Hos, ſi cupis, aliquo tibi pretio addicam, modo ſciam certo brevique edendos; nam Auctoribus ipſis, alioquin plerisque non niſi ſemel editis, ægre caream. Si diem unum, aut alterum, hic eſſes, fortaſſe omnia curarentur ad lubitum. Optime vale, Amicorum optime. Lipſiæ a. d. xv. Aprilis cIↄ Iↄc xlvi.

EPISTOLA II.

Ambas tuas literas, mi amiciſſime *Daumi*, bene reddidit *S* - - tuus. Diſceptationes, quas tibi ipſemet feciſti, ſic ſino, ut ad me appulerunt; diſplicet vero toties iterata Dei ſacroſancti nominis advocatio in re, cuius ſumma tamen non τῷ θείῳ, ſed τῷ ἀπὸ τῆς ἀζυχίας εἰδώλῳ, a te adſcribitur. Mei facilis eſt compoſitio, quia (quod ſuſpicaris quidem) commotus ſerio non fui. Unum doleo, quod *Libanium* meum accipere perdidiſti iſta tua ſilentioſitate, ſane præpoſtera, erga me meumque animum, qui pacatius tractari, quam pugnantius, amat. Abiit enim is exeuntibus nundinis. Neque tua magna, ut puto, ingratia, cum eius loco habeas hic recipere *Athanaſium* & *Baſilium* iunctos, ex ſumme induſtriorum Virorum editionibus, vice

paga-

pagani, & quidem pervicacis, unius duos Chriſti præcones, omni ſeculo, ex quo fuerunt, utiliſsimos & famigeratiſsimos, quod plenitudo eruditionis tuæ neſcire non poteſt. Vale. Lipſiæ a. d. VIII Novembr. MDCXLVI.

EPISTOLA III.

Mi fideliſsime atque chariſsime Amice. Halæ poſitus, hodie tuas literas accepi. Cumque hodie dies illa (*Luciæ*) ſit, qua quisque Vaſallorum noſtri Sereniſsimi ad recognoſcenda Feuda ſua quotannis in loco præſens, vel (ſub acceptabili excuſatione) per locumtenentem, eſſe teneatur, ut ſciatur, an vertentem annum ſecundum ſtatuta (ſane ſæpe *ἀλλοπρόσαλλα*) vixerit, brevi reſpondere tibi cogor. Nummos tuos accepi, ſatisfaciam, quamprimum Lipſiam rediero. Id ad adultas nundinas futurum, bona fide confido. Si interim pro Corporibus illis gloſſatis hic curari posſint, quæ polliceris, ſane libro aliquo (vel manu mea ſcripto) officium id (præter libros) rependeretur. Idque conficiens negotium, obligatiorem redderes ex obligatisſimo. Sed tuæ diſcretioni totum id reſcribo. Sine omni detrimento, aut metu damni, res expediri posſit, modo copioſa addantur nummis involucra, quod tu admodum ingenioſe excogitaſti. Certe te nunquam ex animo (pæne & oculis) relinquo. Valetudinem tuam, ſi teque meque & Muſas, *ὧν ἄτερ ἄλλο ὀυδὲν πρᾶγμα καλὸν γίνεται*, noſtras animas, amas, ſedulo cura: eam rem faciliorem tibi multis millibus facit curatrix fida, ſedula,

 ſolers,

ſolers, quam & ſalutabis, & amplecteris, meo nomine. Halæ a. d. XIII Decembr. CIↃ IↃCXLVI.

EPISTOLA IV.

Optime & amiciſſime *Chriſtiane*. Infortunia tua certo dolore tecum me tangunt. Utinam in me eſſet, rebus tuis vel cum magno meo detrimento poſſe adeſſe aliquo modo! Tu tamen non ſolum inepte, ſed etiam impie, feceris, ſi quidquam mortale præpoſueris tuæ valetudini. Nuper (male ex lapſu equeſtri in Italia olim læſus) dexter meus pes negotium mihi moleſtisſimum facere rurſum (poſt aliquot annos) exorſus eſt, de quo apud te queri mihi religio eſt, ne & hoc te aliqua afficiat. Certo mihi propoſui res meas ita conſtituere, ut ad te hoc verno tempore adoleſcente veniam, meo ſumtu tecum aliquandiu victurus. Quem enim alium quæram ultimis meis annis amicum commodiorem? Utinam propior mihi eſſes! Doce me, ſodes, proxime, & an ancillam coquam, eamque fidam, aut tale quid, ibi habere posſim, & an quibusdam libris interea diſtrahendis, apud vos pecuniæ quid confici posſit, ne multam mecum portare adigar. Sed totum hoc ſecretum habere velim, præcipue ne Lipſiæ quisquam reſciſcat. *S* - - - tamen tui opera hac in re carere nolim, nec fortaſſe posſim. Quare peto, de longinquo cum eo loquaris, & ita eum (ut exotice nunc loquimur) diſponas, ut, cum tale quid poſt aliquod tempus ab eo poſcam, ſcilicet de proſpicienda vectura, &c. non plane neſcium eum offendam. Sed oro te maximopere,

pere, ne rimas homo habeat: alioquin ſatius eſſet, ipſum celari rem omnem. Ita enim concluſum eſt. *Dionyſius Cato* in Adverſariis Capita occupat Libro CX decimum ſextum, Libro CXXXVI vigeſimum (Libro CXLII octavum & decimum octavum, (Libro CXLVIII decimum, undecimum, & decimum quartum. In reliquos indices Auctorum adhuc nullos habeo, & (ut verum fatear) quærere per ſingulos nunc operæ non eſt. Non enim credis, quam ad omnia humana alius ſim factus; quod vel *Anacreon* meus teſtatur, in quem a te notata in horas hactenus diſtuli deſcribere. Solus tu es (non fingo, nec poſſim,) cum quo loqui & interiaceri literata colloquia velim, meique tuique recreandi. Bene vale, *φιλτάτη κεφαλὴ*, & neminem tibi cariorem habe, niſi velis *ὅλω τῷ ὀυρανῷ πλημμελῶν*. Lipſiæ, a. d. Converſionis *Pauli* MDCXLVII. Saluta coniugem tuam, forte ad tempus matercolam meam futuram.

EPISTOLA V.

Typographus tuus, valde vellem, primum Soliloquiorum Librum iunctim, te correctore, publicaret, quem poſſem ſtatim poſt iſta ſubmittere. Haud dubie tantum lucraretur, ut ſequentium nomine etiam ſupplicaturus eſſet, modo commodam chartam adhiberet; nam ſatis adhuc valent typi. De additamento quod ſcripſi, poſces mediocre aliquid, de quo ego diſpicere non poſſum. Bibliotheca Floriacenſis eſt cariſſimus liber, & non valde ingens. Ei ineſt, quod de

Tortario habetur; minime *Abbo*, quem ſæpius Galli ediderunt, & eſt in XII Scriptoribus Franeicis, a *Pithœo* editis. *Silveſter Giraldus* exſtat inter Scriptores Anglicos. *Sylveſter Bernardus* pauca dedit, quæ ſunt edita; latent autem in Bibliothecis eius multa. *Petrus Bleſenſis*, & *Mauritius*, item *Pictavienſis*, in Bibliotheca Colonienſi ſunt, quam, ſcis, meam iam non eſſe. Item *Hincmari* & *Fulberti* Opera, quæ tamen (ut & *Bleſenſis* ille, valde bonus pro ſuo ſeculo Autor, & Poeta non abſurdus,) melius omnino ſingula emi poterunt. De *Ioſephi Brixii Alexiade* mihi nihil compertum eſt, & vellem eum librum inſpicere. *Boiſſartum* remitto, commodum libellum tali uſui, nec ingratum Poetam, modo non omnia ſua edidiſſet, qua in re vulgus recentium vatum inſubide errat. Quod de adventu ad futuras nundinas ais, ratum ſit. Vale.

EPISTOLA VI.

Votum novi felicis anni totidem tibi verbis revoveo, in cumulum adiiciens, quicquid tutemet tibi vovere a Deo ter Opt. Max. poteris, includens inſuper tuam tuosque omnes. Nolui ſpebus tuis deeſſe, quanquam excuſationis ſatis habuiſſem in immanibus exactionibus, quæ feudis noſtris ob nuptias Domini iam expeditas impoſitæ fuerunt, & præterea ob curandi funeris neceſſitatem, qua animæ & viſceribus meis erepta eſt unica filiola, XXVII hebdomadas nata, qui ſumtus, ex dignitate familiæ faciendi, ultra centum

tum florenos exierunt. Sed dabit, qui omnia noſtra curat, his etiam, ſummis licet, fluctibus emergere. *Auſonium Vineti* quod luges, non puto cauſam eſſe. Eſt enim interpres iſte plane vulgaris, & quovis ſacramento contendere auſim, te, qui Poeta bonus es, longe melius *Auſonium* intelligere, quam ipſum *Vinetum*, exceptis tamen locis & regionibus Galliarum, quibus innatus & ineducatus fuit *Vinetus*, homo alioquin bonus, ſed cuius Poeſin nunquam commendatam memini. Erat præterea liber valde pretioſus, neque pro ſuis virtutibus. Eius vice poteris tibi adſciſcere *Silium Italicum Dausquei*, rariſſimum librum, & ſplendidum tam doctiſſimo Commentario hominis, Græce Latineque doctiſſimi, licet ſtilo moroſioris, quam typis Pariſienſibus, & forma eximia. *Favonius Elogius* a *Schotto* editus eſt ſemel tantum, in 8, Antwerpiæ, iunctus Nodis *Ciceronianis* & aliorum. Sic enim liber *Schotti* inſcribitur, parum equidem ſalſe, ut videtur. Liber, puto, venalis adhuc eſt; meus proxime longe iſthinc, Berolinum nempe, abiit. Fatue *Schottus* egit, qui, cum in 4, auſpiciis *Swartii*, opus id poſtea recuderetur Hanoviæ, omiſit *Favonium*, quem equidem in Bibliotheca habere malim, quam alteros tantos Nodos. Evulgationem, quam ais, Soliloquiorum, putem, non damno, ſed commodo tuo potius, fieri poſſe, & ſcis, eam iam ultra annum retro conſpenſam eſſe. Si quæ alia, remotiores a vulgo Auctores contingentia, doceri vis, parebo dictis, modo in mea res ſit poteſtate. Non iam dextra adeo vacillat,

ut nuper, ſed non conſtat ſibi valetudo eius usque adeo, ut octo dies aliquos mihi firmos ſpondere poſſim; quin maius malum a toto eo latere metuere habeam, cui promovendo horreo facturas perpetuas vertigines, quibus caput ita fatigatur, ut ſæpe gradus non conſtet. Deus clementiſſimus ad bonum finem omnia dirigat. Filiola mea nomen habebat *Agnes-Emerentia*, cuius deceſſus me amplius afficit, quam ullius unquam hominis, nec ullam fere horam ſine lachrymulis perficio, ex quo illa omnium puſarum delicatiſſima me, præcipitante fato, reliquit. Et inviſus pæne mihi ipſi vivo, adeo illam deſidero. Sed Deus illam plus dilexit me ipſo.

Agniſula, o mea lux, Emerentiola, o mea vita! Ut maluiſſem, ut optaſſem, canitiem meam pro tuis candidiſſimis ſpirulis ſepeliri! Vale, amantiſſime Amice. Ad ſequentes nundinas, ſi ſanus tam diu vixero, quod adfuturum ais, ſane lubentiſſime audio, nec facile tibi quidquam negabitur; non enim, puto, deinceps meam faciem videbis: & omnia arctiſſimæ amicitiæ officia tibi ſpondeo. Multa ſane ſunt, de quibus colloqui poterimus, quæ literæ nullatenus admittunt. Cave, credas, ulli me unquam homini addictiorem fuiſſe, qui iam LX annum incolatus mei ſuper terram facturus ſum, nec nato ulli homini tam familiariter inhæſi.

EPISTOLA VII.

Vix memini a longo me tempore ægrius quidquam habuiſſe, quam quod nupero pedatu iſto

iſte ἀλλοπρόσαλλος ita me illuſum habuit. Ter compellatus, ut libros auferret, ter horam præfixit, denique omnia ficta fuerunt, meque ille inſalutato prorſus abiit. Comminiſci non potui, quid rei & cauſæ eſſet; & erat eo tempore hic adoleſcens ex vetere Marchia, cognatus meus, qui, ſtudio Iuris initiandus, illos codices a me petiit, qui & abſtulit illos cum bono Deo, & uſurus, puto, eſt commodo rei publicæ. Eſt enim ingenioſus, & ita bono iudicio, ut dubitem, an vitalis ſit futurus. Editum nunc etiam *Catonem* video cum Notis, unde (ut verum dicam) non multum bonæ rei iuventus eſt hauſtura. Quos a me deſcripſiſti libellos, de illis nunc quidem mihi nihil auditur. Itaque & ego retinui hactenus libros, quos deſcribendos mittere annueram. De adventu meo mature doceberis; forte ante nundinas res non conficet, & tunc poteris tu iſtuc adeſſe, ut iuncti proficiſcamur. Bene vale, mi cariſſime *Daumi*. Lipſ. a. d. XXIV Febr. cIↄ Iↄc XLVII.

EPISTOLA VIII.

Mi Amice. Initia Catalogi Græcorum Scriptorum talia ſunt, ut eorum re vera me pudeat pigeatque, præcipue ſi ventura eſſent in tam accurate doctas manus. Scripſi ea anno ætatis 14, Chriſtiano nimirum 1608. Itaque pudorem meum eorum miſſione rogo ne onerare velis: neque enim tanti res eſt. Tam nulli pæne uſui ſunt omnia mea, præcipue oculi, ut nihil prorſus expedire poſſim. Incipit etiam

dextra

movere mugientem. Hæc mihi reddit pro pie-tate mea. Præcedente quodam pari epulo vulneravit lethaliter hic magni viri, Docto-ris Theologi, filium, qua re Dreſdæ & hic accu-ſatus, quas merebatur, pœnas tulit. Ne irrites, ſuadeo, de more pertinaciter ferventem. Ego to-ta eius me converſatione abſtraxi, idque peiora mala cavens. Hæc hodie. Cras ad tuas reſpon-debo. Pro Soliloquiis gratias habeo; mittam con-tra donarium proxime, de quo moneri volo. Diſcipulus tuus cetera recte curavit. Nihil eſt, quod te editionis pudeat; & tibi enim, & mihi, ſa-tisfacere poteſt his temporibus & locis. Puto, te laborum potius pertæſum, qui ſane ſunt faſtidioſi. De facultate edendi aliquod opuſculum tibi aſſi-ſtere velim ſumtu aliquo. Et quid, ſi *Æneam Gazæum* & *Zachariam* περὶ κόσμου procuda-mus, vel Altenburgi, vel alibi, ubi adfuerint ni-tidiores typi, & Græci? Conſule in medium. Libros iſtos, profundæ Theologiæ non inſuaves conditores, Principi alicui inſcribere liceat. Mitto Nonnum *Abrahami*, librum πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων. Mitto & *Apicium*, qui in Daniam heri adhuc poſcebatur quocunque ære. Sed malui ſic collocare eum cum ſuis ſociennis. *Sibyllina*, poſt obitum *Obſopœi* edita, vitioſiſſime procuſa ſunt, & doleam, ſi te poſt emtorum forte pœni-tuerit: non enim vidi librum pleniorem σφαλ-μάτων; adeo ut etiam *Lubini* Nonnum vincat. *Paſſeratii* in *Propertium* nihil magnæ rei eſt, poſt mortem ex eius dictatis conflatus liber, ma-ior unus his omnibus. In *Catullum* & *Tibul-*

lum

iſte amicus hoc opuſculum deſideraverit, faciat comparari Obſervationes in Matthæum & Marcum *Abrab. Sculteti*, qui eam Diatriben, meo ſuaſu, πρὸς λέξιν ei ſuo libro inſeruit una cum *Lipſiana* reiectione. Aliter ſuccurrere iſti tuo Mæcenati non poſſum nunc, qui ut ipſe quid præſtem, effoetæ vires, & oculorum, totiusque hominis, imbecillitas, negant. De Centauro noſtro Deus tibi præſto fuit, quod illi de magiſterio illo non fueris aſſenſus; nemo enim hic ſtudioſus eſt, qui illi Tympanotribæ bene velit; & acriter memini eum commotum fuiſſe, ut ſtolide ſolet prorumpere, quod ſcripſeras, diſcipulis te tuis omnibus eum honorem vovere, ipſum te non admittere, quaſi ſub ſcholam trivialem redegiſſes eius bullas. Eſt filius *Aloei*, illis veteribus Ephialtis non diſpar. Ego hoc ab ipſo benevolentiæ recepi pro plus quam mille ipſis verſibus, quos ſuis Muſis (quarum ſine Gratiis ad fores ſedet, & *Catulli* furcillas quotidie experitur,) adſcripſit, me tamen non invito, recepi, inquam, id benevolentiæ, ut duobus comitibus ab illo magiſterio ſeſquiebrius tenebroſa iam tempeſtate dormientis iam muſeum meum irrumperet, altero ſartore, altero privigno ſuo, qui præterita æſtate ex ſchola Pfortenſi aufugit, magno ſtridore vas unum & alterum cereviſiæ poſceret; iis exhibitis, vitrum grande poſcebat, ut plene proluerct ſuam illam Pholi ſitim; quod cum abnuerem, per privignum ſuum turbas eas movit, ut neceſſe habuerim, malis verbis belluam ſubmove-

inſularum inſula, Lerina, ſcripſerunt, nulli hic, aut in Germania adeo, notus; inter quos Auctores eſt etiam B. *Eucherius*, cum omnibus ſuis ſcriptis recenſitus auctusque. Tomos duos habet, uno volumine iunctos, & quadraginta amplius Scriptores, *Caniſianis* vetuſtiores pleroſque omnes. Forma ingens, quartam vocant, & penisſime folium. Etiam tibi præ omnibus eum accedere velim; neque enim dignum eſt theſauro tali vulgus, utcunque nunc δεισιδαίμον φιλόλογον, & ego hunc mecum vexi per aliquot centum lapides. Oculi mei, præcipue ſiniſter, me valde male habent, & totum hoc ſeſquiſenile corpus unus languor eſt. Deus Optimus Maximus omnia bene ad bonum finem dirigat, neque deſerat me ſpiritu ſuo. Carmen paſchale prolixo affectu mitterem, ſi idoneus homo eſſet, qui deſcriberet ſine vitiis: nam relegere ab alio deſcriptum non poſſum: labor hic, quam ſcribere, maior. Optime vale, mi Damon. Lipſiæ, a. d. XXVIII Martii MDCXLVIII.

EPISTOLA XII.

Valde placet, quod ſolidæ pietatis documentum & nuperæ, & fere ſingulæ aliæ, tuæ literæ adiiciunt. Macte hac virtutum virtute, quæ nos dubio procul in Chriſti regno coniunget, ubi veros ſuos fructus perpetuæ felicitatis compotibus nobis exhibebit. Ærumnæ iuges & angores cetera ſunt omnia concatenati, diffidentiæque erga Deum, quibus ſatanæ potentia nos perſequi non abſiſtit. *Haſſenſteinium* ad

tempus,

tempus, tuis, puto, gratiis, retinebo. Magnopere enim eo delector in hac infirmitate animi & corporis. *Gildæ* vitam & res habes in Bibliotheca iam Floriacenſi. Dicitur eius eſſe drama non maximæ rei, *Querolus*, quod puto a *Grutero* & *Rittersbuſio* editum te habere. Poematum eius de cetero nihil vidi. *Calpurnius Piſo* neque ipſe magnæ rei opus fuit, ut ex *Delrii* ſcriptis te noſſe puto. Et puto, pridem totum periiſſe. Non enim Pariſiis mihi oſtendi potuit. Si *Ulrichi ub Hutten* quædam habes, rogo mecum communices, ut nunc *Haſſenſteinii*. Ille enim ex materna noſtra cognatione fuit, vir melioribus fatis dignisſimus. Fuit enim, ut inſignis & prorſus memorabilis animi Heros, ita corporis ægerrimi. Vale, optime mi & longe omnibus carior amice. Datæ Lipſiæ a. d. x April. M DC XLVIII.

EPISTOLA XIII.

Libros huc nullos attuli præter partem priorem ultimi *Tomi Adverſuriorum*, cuius Capitibus iam ſummaria præfigere incipio. Poſt reditum inclyti noſtri Principis diu hic non ero, eum præſtolari ore ipſius clementiſſime iuſſus. *Iatſaldus* & *Odilo* in Bibliotheca Cluniacenſi ſunt, quam a me habet, ſane ingratiis meis, *Typhæi* ille frater, quem noſti. *Abbo* ex Normannicis Scriptoribus *Duchesnii* facile a puero aliquo transſcribetur. De opere, a te ſuſcepto, eoque quotidie ſe ſubiiciente, libentiſſime audivi. Et

anhelat animus, ante exceſſum e rebus mortalium videre tuam gloriam, præ qua ſane omnia Grammaticorum conata nihili ſunt. Confice Germanis noſtris hoc perpetuum literariæ virtutis monumentum, quod ſane tanta mole male ſuſceperis, ſi neglexeris detexere, modo Deus Opt. Max. det annos & otium. Noſtra opis tibi nullo loco, qua poterit, unquam defutura eſt. Libri mei ἀνέκδοτοι forte incipient expediri, ita venti mihi leniter adſpirant. Vale, mi amiciſſime *Daumi*, quem utinam hic complecti ad aliquot dies daretur in amoenitate hortulorum meorum, Muſico mecum conviventem in otio! Deus Opt. Max. omnia tua honeſtiſſima vota ſecundet! Hallis, die v Iunii MDCXLVIII.

EPISTOLA XIV.

De quæſtione tua libens tibi gratificarer, ſi eſſet τῶν δυνατῶν. Quam enim rem Latini penitus ignorarunt, quomodo ab iis nominatim traditam poſſis ſperare? Illud tuum tamen de Radiatricibus verſatis ſatis placeret, ſi opus, aut artificium, non inſtrumentum ei parando, indicaret. Conſulam, ut aliquo modo quid deprehendas, Idiomata exotica hodierna per Onomaſtica diligenter ſcruteris, an forte Barbari noſtri, imperio Romano peſſumdato, invexerint tale quid, eique mixtum, aut adumbratum Latino, nomen poſuerint. Ventum textilem fruſtra *Petronio* adſcribis; eſt enim in *Publii* verſiculis, ab *Arbi-*

ſtro relatis, quam tecum erratiunculam non pauci errarunt. Sed prorſus *Petroniani* non ſunt illi, & palam nomine *Publii* citati. Lini quidem præ noſtris moribus exiguum uſum antiquitas habuit, nedum ut illis textibus impenderit. Et pro magna re, adeoque pompa quadam, adhibebant lintea, ut videre eſt in *Prudentii* Hymno funebri, *Fortunato*, *Paullini Petrocorii Martiniano* Carmine *Lib. II v. 227*, *Optato Afro*, *Gratii Cynegetico*, aliisque Scriptoribus. Lineas loricas memini apud *Æmilium Probum* legere. Laudat in veſtitu *Lib. VIII Philoſtratus* (ſi memini), quem recolo etiam ſtillatitiam quandam pinguedinem ei adſcribere, ut quidem apud Indos proveniat. Ad induſia (ut nunc) uſitatum doceor ab *Euſebio Hiſt. Eccl. Lib. VI Cap. 35*. Barbaros, ut innui, linteis textis nove ad mores Romanos uſos, apparet ex eo, quod linteam monetam memoret *Helmoldus* in Chronico Slavorum. Linteamina & lintea argentea *Thomas Walſinghamus* in *Eduardo III*, Angliæ Rege, memorat. *Linteus* ſimpliciter velum linteum miræ efficaciæ ſonat *Petro Venerabili Lib. I Miracul. C. XXV*. Lineas armaturas totas legas apud *Matthæum Pariſium*. Matronas tamen non abſque lineo veſtimento incedere ſuadet alibi, ad *Nepotianum* ſcribens, B. *Hieronymus*, iam tum eius uſum velut mulieribus aſſignans, qualem veſtem prima velamenta diſcas ex *Thucydide*, non longe a principio operis, & Græcis fuiſſe. *Pythagoræ* quidem ævo linum nondum

celebris uſus docet *Laertius Lib. VIII.* Ut parum ſint fide digna, quæ ſcribit *Philoſtratus Lib. VIII Cap. 3.* In lectis texta linteamina & plumas agnoſcit *Prudentius* noſter *Hamartigenia*; itemque *Hieronymus* ad *Demetriadem*: *Nunquam eam linteaminum, nunquam plumarum, uſam mollitie.* Vetera mollia linteamina (ſi memini) laudat *Theod. Priſcianus Lib. II Cap. 12.* De linteis libris notat quædam ad *Artemidorum Rigaltius.* Linteo cincta marmora ſepulcralia, docet *Alcimus Avitus Lib. III v. 266*; item corpora *Lib. ad Sororem v. 280*, qua de re multis *Chifletius*, pulcre *Lazaro*, ut reſuſcitatus proceſſit, præpicto. Sed hæc iam nimia ſunt, nec ad tuam rem faciunt. Malui tamen, ut incidebant, ſcribere, quam penitus nihil. Vale, mi optime amice. Lipſiæ, d. XVII Decembr. MDCXLVIII.

EPISTOLA XV.

Ad literas tuas καλὰ πόδα reſpondebo. *Claudiani* duo iam excuſa ſunt Alphabeta (ut nunc βαρβαρίζομεν). Ea poſt nundinas Francofordianas exſpectabimus. De edendis Soliloquiis res in tua eſt poteſtate. Melius tamen eſt, maturari rem, quam differri. De locis inibidem, cum ſcriptæ ſunt eæ diatribæ, (vel quocunque vocabulo dignius appellari poterunt,) utique mihi ratio conſtitit ſcriptorum, quam ægerrime nunc poſt tot annos, memoria ſenio & adverſis tot rebus debilitatiſſima, ex puteo velut quo-

quodam reducam. Obſcurorum Epiſtolas vellem a te expeditas, ne liber *Euricii* in aliena ſcrinia abire cogatur. Libros, quos petis, omnes mitto. *Harmenopuli* interpreti (libro valde raro) iunxi Commentaria *Balduini* in Leges ruſticas *Iuſtiniani*, quæ leges *Harmenopuli* Enchiridio ſubiectæ ſunt, ut totum illud (quod indicatum eſt) una habeas. Rhetores minores tribus Tomis (non tamen grandibus) Francofurti in forma octonaria editi ſunt; ultima pars *Gruteri* nomen præfert. Vale, meorum meique memor, ὦ παμφίλτατη κεφαλή. Et reſcribe, an ad noſtras nundinas exſpectare te habeam. Scriptæ Lipſiæ, XI Martii, MDCXLIX.

EPISTOLA XVI.

Mitto carmen ad *Dunſium*, hominem egregium, ſed militarem tamen; ſodes, apud te, tuaque cura, quam primum excudi typis facias, & mihi aliquot exemplaria eius mittas; ero gratus, ubi potero. Cauſæ ſunt prægnantes, quare hic nolim procudi. Poemata mea puerilia, quæ petis, tanti non ſunt; de aliis videbimus alias. Vale, mi exoptatiſſime *Daumi*. Æger hæc valde ſcripſi, non tamen ut periculoſa res aliquatenus ſit; ſolum tremor quidam ſenilis me fatigat, & nullius friguſculi ſum ullatenus patiens. Lipſiæ, IV Aprilis, MDCXLIX.

EPISTOLA XVII.

Pro Carminis noſtri excuſione magnas ago gratias. Ut aliqua reponam, mitto ad te

cum

cum aliis, a te adſcriptis, Commentarium meum in Cirin *Virgilianam*, ducentis ipſis locis utiliter auctum, ſi fortaſſe uſui tibi eſſe poſſit. Mea valetudo ſplendidior extra eſt, quam ullo pacto intra me, hic adeo ſæpe infrunita, ut ſæpiuſcule nullo fere non ſenſu, certe omni non raro ingenio & memoria, caream, Itaque fugere me cane & angue peius oportet omnis curæ & laboris vel tantillam continuationem, niſi ſubito aliquando concidere, & animam reddere, velim, quod hac hyeme ter quaterve, parum, quin fieret, abfuit. Et nunc vere adulto cerebri vertigines increſcunt, nec præſto eſt, cuius fidelitati aliquod conſilium inſit, vereorque, ſi vel tantillum me loco moveam, ne prorſus omnia conturbem. In ſinum tuum hæc ægra ſatis manu effundo, more meo: nec enim mihi poſſibile eſt, cuipiam ſapienti bonoque homini plus confidere. Peſſime me habet, tot bonos libros meos impotentibus bonæ doctrinæ obvenire debere hominibus. Commentarii *Claudianini* duo alphabeta ad nundinas noſtrates exſpecto. Salve & vale, unice mi Amice, cum tua tuisque, quos unice mecum Deo commendo. Lipſiæ, XXIII April. MDCXLIX.

EPISTOLA XVIII.

Naogeorgi (ita me Chriſtus innuet) nihil habeo, quod tuum ſit, & miror, quomodo tale quid tibi obvenerit. Niger ille cacodæmon non deſinit inimicitias ſerere, inter quos poteſt, ut ſcilicet ſatis ipſe regnet, & abutatur candore aliorum. Com-

Compellatus ſum a Viro magno hic, quod ita invidiam ipſis obiicere voluerim in Hymno meo erga Odium illud publicum, a qua procul ipſorum chorus omnis abeſſet. Ego vero ſtudio pridem nomen hominis deleveram, quod & ipſe mihi obiici fecit, adiecto etiam *Zimmeri* nomine, quod ſuppoſueram. Alioquin ſane tam ſum Chriſtianus, ut parum de ipſius rebus ſollicitus ſim, quem novi iam ipſos triginta annos, & talem ſemper expertus ſum, qualis eſt. *Claudiani* quod miſi, valde rogo, (ubi errata notata fuerint,) mihi illico remittas; incidit enim cauſa, qua ipſius indigeam. Indicem Auctorum per otium ipſe faciam. De verbis annotandis, & mihi mittendis, tibi non deero, quantum potero. Nec libros, tibi aſſignatos, amovebo, & tu facies viciſſim, quod poteris. *Gregoras* (cuius hiſtoria notiſſima eſt) non ſpectat ad ἐρωτικοὺς, ſed ad σοφιστικολόγους ſcriptores. *Barlaam Gyracenſis* eſt in Collectaneis *Caniſii*. Vale, mi amice, & ave. Scripſi incerta omnino valetudine, nec facile integranda. Lipſiæ, a. d. XI Maii MDCXLIX.

EPISTOLA XIX.

De ordine iterum immutando vexari me prorſus nolim, & *Claudiani* plura ante nundinas Michaelis non puto me habiturum. Ideo autem ſeriem datam, & toties affirmatam, mutari abnuo, quod hoc ordine libros revolvere ſedeo, & loca ex iis ad *Papiniani* mihi notata ultimum componere, cum adeo calumniis hominum nebulonum

ſonum undique impetat. *Sedulius* iunior ſcriſpſit librum de Principe, ex Bibliotheca Palatina ſemel tantum editum. Si gravis eſt *Claudiani* mei recenſio, poteris indicare, quamvis tanta pretia portatorum exigantur, ut, ante dictum terminum quid ultra miſſum iri, non ſperem. Vale, mi optimorum optime, *Daumi*. Lipſiæ, a. d. VI Iun. MDCXLIX.

EPISTOLA XX.

Ad geminas tuas, mi amantiſſime *Daumi*, nunc reſponſum ſimul, puto, accipies. Priores meas Hallis, ſero acceptis tuis, tabellario iurato tradidi: poſteriores eccas hic. De *Claudiano* nihil adhuc poſſum mittere. Erratorum enim Catalogum & Indicem typographus nondum accepit. Et, ſi quæ exemplaria proſtant, ſine his venduntur. Tibi promiſſum ſtatim, ubi ego potitus fuero, ad te ibit. *Cluverianæ* ἐπιφυλλίδες communicabuntur, modo ipſis ego me expedivero. Aiunt, ſecundam ab eo editionem adornatam ante exceſſum, quam ſtudioſe inquiro, ut appendicem meis Notis adiiciam. Leydæ excuditur idem *Claudianus* cum Notis Iunioris *Thraſonis*, qui iam nunc in Suecia ſtrenue, patrio more, ἀρεἰοπαγεῖ, ſimul illud agitans, quod dicere nolo. Vale, mi amiciſſime *Daumi*, & perenna hunc amorem mei, cuius ſane res prope cancellos Elyſios verſari incipiunt. Sed Deo omnia noſtra & nunc & olim commendata ſunto. Saluto tuos, quos aliquando tandem coram complecti

plecti deſidero. Scriptæ Lipſiæ a. d. ultimum Maii, MDCL.

EPISTOLA XXI.

Claudianum, ut tibi ſervares, dono miſi, miſſurus, quæ reſtant, quamprimum expedita ad me appellent. Longum tamen ſpatium ei rei ille nebulo inſumturus eſt, cum manuſcripta mea hic adhuc hæreant, Francofurti edenda. Si minus gratum hoc donum videtur, (ut ſuſpicari tuæ literæ faciunt,) culpa in me nulla erit, qui minime ſoleo aliud agere, quam ut ea, quæ ſemel promiſi, quamprimum confiant. *Freculphi*, præter quod *Comelinus* edidit, nihil habui unquam. *Etzardum* non eſſe κῶφον illud πρόσωπον, tanto mihi acceptius cadit. Illum alterum nihil omnino moror, ut nec eius apud te traditorem, quem toties aſinum malevolentiſſimum, nec ullius omnino hominis verum amicum, expertus ſum. Satyram in *Salmaſium* nullam vidi: nec enim cum literis tuis *S*-- attulit. Dies meus natalis cum meis mihi iſto anno Hallis erit ad aulam noſtram celebrandus: de reditu meo certiorem te faciam, ut primum Lipſiæ pedem reponam. Sin vero Hallis me compellare volueris, gratum erit magnopere. Vale cum tuis omnibus. Lipſiæ, a. d. XIX Iunii, MDCL.

EPISTOLA XXII.

Coniecturam in *Catonem* penitus veram eſſe putarem, ſi congruerent illa -- *pura mente ſuum animum quemque colere* &c. Cum autem

mens

mens omnino animæ ipſius quædam medulla ſit, & ita *mens animi* a multis bonis Auctoribus intelligatur; *Catonis* alium ſenſum eſſe puto: cui quod ſublimitas vindicetur, nihil puto cauſæ eſſe, cum humilitatem contra affectaſſe videatur, & ea mente iam olim ſit puerilibus ſtudiis addictus. Senſus eſt ſimplex & optimus. Cum conſtet ratione & auctoritate, Deum Animum eſſe, colendum ante omnia, & quidem pura mente; neceſſe enim talem animum eſſe illud ſummum bonum, qui nulla re magis, quam puritate, gaudeat. Quomodo *Tibullus*:

Caſta placent ſuperis, pura cum veſte venite,
Et manibus puris ſumite fontis aquam.

Et plures alii. Itaque nulla opus correctione puto, & recte expreſſiſſe ſummum illud *Scaligeri* ingenium:—

Εἰ Θεός ἐστι νοῦς, ὡς θέσφατα φησὶ παλαιῶν,
Καὶ σὺ μάλ' ἐνδυκέως καθαρῷ νοῒ τόνδε σέβιζε.

Qui & ſingulari prudentia *carmina* omnem de Diis ſermonem, ſive doctrinam veterum, intelligendam docuit, divina illa velut παραφράσει, cum vetus theologia ethnicorum ſententiis talibus conſtiterit, ut memoriæ facile inſigi ſummæ poſſent, quæ *carmina* rectiſſime dicuntur, etiamſi ſoluta metro. Poterat nulla difficultate, ἀντὶ παλαιῶν ποιητῶν, Heros noſter ſcribere, ſed longe eſt illud eruditius, &c. Scripſit autem *Cato* ut *Pythagoricus*, qui Deum purificata mente adeundum ſanxerunt, & longis logis eam purificationem explicarunt & commendarunt, de qua re

con-

conſulere potes aurea Commentaria in aureum Carmen *Hieroclis*, libri mihi, dum fata Deusque ſinebant, cum paucis commendati. *Pythagoricam* in his verſibus doctrinam notavit olim & *Alciatus Parergon Lib. IV Cap. X*, ſi recte numerorum memini. Et ſcripſit eo tempore hic *Cato*, quo *Platonica* & *Pythagorica* θέσφατα permiſta & coniuncta erant, regnantibus in tali Philoſophia *Plotino*, *Iamblicho*, *Attico*, *Hierocle*, *Antonino*, *Iuliano*, *Maximo Tyrio*, *Themiſtio*, *Porphyrio*, & pluribus aliis.

EPISTOLA XXIII.

Quod, te mea cauſa amicos tuos non ſpreturum, ais, & invidioſe ſatis mihi obiicis, iniuriam mihi facis: non enim hoc unquam popoſci, modo ne capitalis bonorum omnium ſycophantæ, me invito, ſcripta meis inferſeris, quod ſane facinus parum amicum & bene erat inimicum. Catarrhus duplex mirifice me male habuit, nec nunc reliquit, itaque vix ad hanc ſcriptionem viſus ſufficit. Vale. Lipſiæ, a. d. x Novembr. MDCL.

EPISTOLA XXIV.

Libros recte acceptos de literis tuis intellexi, amiciſſime amicorum. Miſi Errata &c. cum magno meo detrimento; nam integrum exemplar *Claudiani* truncum reddidi, ut tuo tu parceres. Eius rei non bonam reddidiſti gratiam, cum pro *Guterii* Codice redimendo integrum pretium, quod debebas, non præſtitiſti, retentis nempe ſeptem argenteis, quos nunc exſpecto. Sodes, ne lude ita cum fide tua, meque ludos fac: non enim

tale

tale quid de te merui, cui omnia optimæ ſemper animæ officia præſtiti. Indicem Auctorum in *Claudiani* Commentario a Bibliopola exſpectare reducem iuſſus ſum. Itaque meas ſchedulas confoſſiores ſoricina nænia prorſus peſſum proieci, neque tuos indices magnopere expeto, cum conditiones, meis mittendis a me poſitas, ſemel contemſeris. *Bernartii* Commentarium in Sylvas (ineptiſſime ſic præſcriptum) *Papinii*, ſcis tute, non magni eſſe ponderis; itaque, tempus, quam ut eum tam diligenter pellegas, expetasque, melius omnino te collocare poſſe, tute non neſcis. Non habeo iam ego, ſed ubique parabilem puto. Scripſit ediditque longe meliores in idem opus Silvarum notas *Io. Frid. Gronovius*; eas habeo, rarum librum: non enim niſi tria exemplaria in hanc urbem, tempore, quo editus eſt, venerunt. Eum a me habere aliquando poteris, Belgico quidem faſtu ingruentem, quique ſolum ſe ſapere putet, omnesque præ ſe contemnat. Itaque, cum nos in idem opus ante hoc quadriennium ſcriberemus, non niſi uno loco iactatorem ſummum adhibuimus. Vale, optime amice, A. d. XXII Decembr. MDCL.

INDEX

INDEX DISSERTATIONVM,

QVAE

VOLVMINIS OCTAVI

PARTE SECVNDA

CONTINENTVR:

I. Io. Christoph. Harenbergii Commentatio in Pſalmum XXII. Pag. 189-224.

II. Gottlob Friderici Gvdii, A. M. & V. D. M. Laubani, de pretio, quod humanioribus literis ſtatuerunt Patres, Commentatio hiſtorico-literaria, ad illuſtranda *Heumanni* verba, in Conſpectu reipublicæ literariæ *Cap. IV §. 15.* Pag. 224-243.

III. Christ. Gvil. Francisci Walchii, Philoſ. Prof. Publ. Extraord. in Academia Ienenſi, C. Iul. Cæſar, virtute Germanorum, Romanorum dominus. Pag. 243-260.

IV. Sam. Koenigii, Profeſſ. Phil. Franequeræ, de indole dominii, quod marito in dotem competit, diſquiſitio. Pag. 260-268.

V.

V. Ioannis Christiani Levschneri, A. M. & Lycei Hirſchbergenſis Prorect. Diſſertatio de genuina verbi ἐκβάλλειν notione, eiuſdemque uſu multiplici ac vero.
Pag. 268-293.

VI. Io. Iac. Reiske Conie&urarum ad *Herodotum* Pars III. Pag. 294-315.

VII. *Anonymi* Animadverſiones ad Ioannis Friderici Reitzii Orationem inauguralem, qua demonſtrare voluit, Criticum, artium ſcientia carentem, eſſe hominem *Platonicum*. Pag. 315-341.

VIII. Casparis Barthii ad Christianvm Dayivm Epiſtolæ, nunc primum editæ cura F. O. Menckenii. Pag. 342-374.

MISCELLANEA
LIPSIENSIA
NOVA,

AD INCREMENTVM

SCIENTIARVM,

AB HIS,

QVI SVNT IN COLLIGENDIS

ERVDITORVM NOVIS ACTIS

OCCVPATI,

PER PARTES PVBLICATA.

VOLVMINIS OCTAVI PARS TERTIA.

Cum Privil. Regis Pol. & Elect. Saxoniæ.

LIPSIAE,

APVD B. LANCKISII HAEREDES.

MDCCLII.

MISCELLANEA
LIPSIENSIA
NOVA,
AD INCREMENTVM
SCIENTIARVM,
AB
HIS QVI SVNT IN COLLIGENDIS
ERVDITORVM ACTIS
OCCVPATI,
PER PARTES PUBLICATA.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

I.

IOANNIS CHRISTOPHORI HARENBERGII ENODATIO DIFFICVLTATIS CHRONOLOGICAE, QVAE VIDETVR INESSE LOCO ACTOR. XIII, 20, 21.

SYNOPSIS.

§. I. *Exhibetur tranſlatio utriusque inciſi & comprobatur.* II. *Vindicatur verus numerus annorum* 450. III. *Indicatur terminus ſupputationis, a quo incipiendum, & in quo ſubſiſtendum ſit.* IV. *Supputationis decurſus & intervallum demonſtrantur.* V. *Adduntur ſpecialiora momenta de Samuelis, Ioſuæ, ac reliquorum iudicum, annis.* VI. *Oſtenditur, intervallum* 450 *illorum annorum claudi primis* Sauli *regnantis annis, ac circiter obitu Samuelis.* VII. *Supputatio Iacobi Kochii exhibetur.* VIII. *Afferuntur rationes,*

tiones, cur ea haud poſſit penitus approbari. IX. *Examinatur ſententia Bedæ, Lyrani, Calovii, Voetii, Millii, aliorum.* X. *Supputatio Franciſci Fabricii expenditur.* XI. *Iacobi Perizonii & Anonymi calculus inveſtigatur & diſcutitur.* XII. *Refellitur & repudiatur idem.* XIII. *Quem in finem adiunguntur argumenta ſpecialiora.* XIV. *Differitur de varietate numerorum in tranſlatione Lutheri ante annum* 1541, *& poſt eum.* XV. *Ventilatur ſententia Campegii Vitringæ.* XVI. *Sententia Hoſmanni examinatur.* XVII. *Exponitur uſus chronologicæ huius diſquiſitionis.* XVIII. *Saulum 40 annis regno præfuiſſe, oſtenditur, & argumenta ſecus ſentientium diiudicantur.*

I.

Locus, quem ſuſcepimus enodandum, ac luci ſuæ reſtituendum, ita fuit a *Paulo* oratore pronunciatus, ac a *Luca* relatus in acta: Καὶ μετὰ ταῦτα, ὡς ἔτεσι τετρακοσίοις καὶ πεντήκοντα ἔδωκε Κριτὰς ἕως Σαμουὴλ τοῦ Προφήτου, κἀκεῖθεν ᾐτήσαντο βασιλέα. Καὶ ἔδωκεν αὐτοῖς ὁ Θεὸς τὸν Σαοὺλ, υἱὸν Κὶς, ἄνδρα ἐκ φυλῆς Βενιαμὶν, ἔτη τεσσαράκοντα. *Poſt hæc, cum annis quadringentis & quinquaginta* (Deus) *dediſſet Iudices* (patribus noſtris)

ſtris) *uſque ad Samuelem illum Prophetam, ex eo etiam tempore* (patres noſtri) *in petendo* (divinitus) *Rege occupati fuerunt vehementer. Tum itaque dedit illis Deus ille*, qui eo uſque eos rexerat, *Saulum illum famoſum, filium Kis, virum ex tribu Beniamin, annos quadraginta.* Voces *poſt haec* ſpectant ad ea, quae fuerant praemiſſa. Praemiſerat *Paulus* commemorationem de Deo, qui delegerat progenitores Iudaeorum, non ad vitam ſempiternam ſingulatim, ſed ad inſtituta peculiaria & ad promiſſiones obtinendas, quarum magna pars in occupanda Cananaea verſabatur. Vocatur haec ſelectio alibi ἐκλογὴ, *Rom. IX, 11, XI, 5, 7, 28.* Et ſimili ratione ſelectio Chriſtianorum ad Chriſtocratiam denominatur *1 Theſſ. I, 4, 2 Petr. I, 10.* De illa Iudaeorum ſelectione, ad inſtituta peculiaria & ad theocratiam, *Paulo* eſt ſermo *Eph. I, 4,* ubi per voculam ἡμεῖς Iudaeos, & per voculam ὑμεῖς paſſim gentes, ad eccleſiam Chriſti adductas, deſignavit a). De Ieſu, qui nonnullos Iudaeorum in diſcipulos & Apoſtolos ſibi ſelegit, vox eadem ἐκλέγεσθαι adhibetur *Act. I, 2, 24, Luc. VI, 13, Io. XIII, 18, XV, 16, 19,* licet unus ipſorum eſſet diabolus, ac in locum ſuum decederet, *Io. VI, 70, Act. I, 25.* Praemiſerat *Paulus* beneficium Dei, progenitores Iudaeorum in Aegy-

 pto

a) Cel. *Romanus Teller* in Diſſ. *de Uſu pronominum* ἡμεῖς καὶ ὑμεῖς *in ſcriptis S. Pauli*, quae eſt *quinta Diſſertationum ſacrarum, ad cauſas hermeneuticas ſpectantium, p. 69 ſeq.*

pto alentis, ac miraculorum robore inſignientis. Præmiſerat idem mentionem de eductis ex Aegypto Iudæis. Præmiſerat ipſe beneficium Dei, quo Israelitæ per quadraginta annos in deſertis Arabiæ fuerant tolerati ac conſervati. Præmiſerat ipſe mentionem de Israelitis in Cananæam inductis, ac de Cananæa Israelitis tributim tradita. Hiſce monumentis ſubiungit in præſens mentionem de iudicibus, populo divinitus datis, ac de origine Regum, Iudæis impoſitorum. Elucet ex ea enarratione inſignis, eaque accuratiſſima, hiſtoriæ Iudaicæ, ſucceſſio, viciſſitudini rerum geſtarum conformata. Oſtendit *Paulus*, a ſeſe doctrinam prorſus novam haud afferri, perſtare ſelectionem patribus indultam, Meſſiam e progenie *Davidis*, adeoque ex patribus illis, exortum merito prædicari, & beneficia, per Meſſiam Ieſum parta, eſſe Iudæis amplectenda. Hæc ad rem ipſam dicta ſunto. Nunc autem pauca docendus es, Lector, critica momenta. Καὶ vocula præfixa apparet *inciſo* æque 20 ac 21. In poſteriori loco eſt ipſa explanandi vi prædita, ſenſumque fundit *immo ex eo tempore*, κἀκεῖθεν, *inde a Samuelis ætate*. En ſententiam *Pauli*, teutonice expreſſam: *Und nach dieſem, als er ihnen in 450 Iahren, bis auf den Propheten Samuel, Richters gegeben hat, haben ſie auch von da an einen Kœnig begehret. Darauf hat ihnen derſelbe Gott den Saul vierzig Iahr (zum Kœnige) gegeben.* Denotatio illa temporis μετὰ ταῦτα ſpe-

ſpectat ad decurſum ætatis, quo Iudices deſierunt, ac regia poteſtas fuit invecta. Initium Iudicum divinitus datorum haud indicatur perinde ac finis. Iudicum poteſtas ceſſavit deſiitque, cum *Samuel* adhuc fere eſſet in vivis. Quæritur vero, quis Iudicum exſtiterit primus. Ab *Athniele* primordia capiunt, qui librum, de Iudicibus conſcriptum, ob oculos poſitum habent. At nonne tum *Moſes*, tum *Ioſua*, eximio quodam ſenſu nomen & appellationem iudicum merentur? Ipſi enim & domi & foris res populi dixerunt, nihilque reliquerunt intentatum, quo ſuum cuique tribuerent, ius univerſis dicerent, ipſosque bella geſturos præirent. Interpunctionem paravi eam, quæ contextui & veritati eſt conſentanea. *Inciſa* minora incommode ſæpius & perperam diviſit *Stephanus* ita, ut protaſin uni *inciſo* incluſerit, ſubieceritque ei punctum; altero autem *inciſo* apodoſin complexus ſit. Præſtat, paſſim terminare *inciſa* commate, quam puncto. In editione *Maſtrichtiana* ſub finem *inciſorum* poſita fuerunt commata *Act. XIII, 23, XIV, 5, 9, 14, XVI, 6, XVII, 2, 6,* &c. Ecquis merito negabit, commata eſſe ponenda in fine *inciſorum Tit. I, 1, 2?* Omitto loca alia complura. *Stephanianæ* editiones nihilo minus in fine *inciſorum* repræſentant puncta. Qui in loco noſtro ponunt commata poſt voces μετὰ ταῦτα & πεντηκοντα, ſic ſentiunt, ut annos illos 450 ab *Iſaaci* natalitio ſupputent. Ipſi ſuam translationem

ſic adornant b): *Poſt hæc, quæ ſpatio 450 plus minus annorum geſta ſunt, dedit Iudices.* Doleo autem vicem meam, qui tam acute haud cerno, ut deprehendam in *Pauli* verbis Græcis verba *quæ geſta ſunt.* Syrus Interpres, antiqua fide præditus & vetuſtus, ſimpliciter ac aperte habet hunc in modum: *Et quadringentis ac quinquaginta annis dedit eis iudices usque ad Samuelem Prophetam: & tunc petierunt ſibi Regem, & dedit eis Deus Saulum* &c. Haud legit hic Interpres in exemplari ſuo illud μετὰ ταῦτα, nec id habet Codex Cantabrigienſis. Senſus inde idem elucet ac is, quem dedimus. Reſtat, ut oſtendamus, voculæ ὡς ineſſe vim & poteſtatem eam, ut ſæpius hæc ſit eadem ac *poſtquam, cum.* Si quis de hoc ſignificatu ambigit, eum inſpicere iubemus hæc loca, *Luc. I, 23. 41, 44, II, 15, 39, V, 4, VII, 12, XV, 25, XIX, 5, 29, 41, XXII, 66, XXIII, 26, Act. I, 10, V, 24, VIII, 36, IX, 23, X, 7, XIII, 25, 29, XIV, 5, XVI, 4, 10, 15, XVII, 13, XVIII, 8, XIX, 21.* Nota vel ordinis vel temporis, μετὰ ταῦτα, nunquam in Fœderis novi tabulis deſignat id, quod *Franciſcus Fabricius* contendit, *præter hæc*; ſed idem ſonat ac *poſt hæc, intra hæc.* Liceat provocare ad ſingula Inſtrumenti novi, ſeu Chriſtocratiæ fundatæ pronuntiata, in quibus illa loquendi formula μετὰ ταῦτα legitur.

II.

b) *Ioannes Millius* ad *Act. XIII, 19, p. 286, Annales Academiæ Iuliæ Semeſtr. III p. 136 ſeq.*

II. Sunt, qui notas temporum, in ſacris literis paſſim definitas, numeriſque expreſſas, vel truncant & contrahunt, vel dilatant & augent, quoties nodus vindice dignus inciderit. Ut eundem morem ſequerer, nunquam potui a me impetrare. Experientia enim me edocuit, ſuppetere facillimas interpreti ſacro vias, quibus difficultates chronologicæ expediri & ſuperari queant, dummodo ſapientiam adhibeamus, & cauſas ipſas legitime tractemus. Inceſſit me religio, ut abhorream ab omni falce critica, quæ violento modo in ſacras literas immittitur. Id quoque in violenti modi loco a me deputatur, ſi numeros, in ſacro Codice demonſtratos, turbare, mendi librarii arguere, demere, & mutare, haud erubeſcas, quamprimum tibi via videtur præcluſa, quo minus ſine illa violentia te poſſis extricare. Si, cur ita ſim religioſus, rationem noſſe pervelis, eam tecum communicabo. Dic, obſecro, quis futurus ſit emendationum limes & exitus, ſi univerſi, qui exiſtimantur viri docti, in mutandis numeris libertatem & rationes, quas ipſi ſemel inierunt, fuerint affectati? Quis certus erit de veritate vocum, dictionum, periodorum, ſi nobis liceat voces, quibus numeri paſſim ſignificantur, mutare, eiſque ſubſtituere voces alias, a conjecturis interpretum pendentes? Et num quid fas eſt, numeros, qui in ſingulis Codicibus, & manu ſcriptis, & editis, eodem modo leguntur, ſorti criticarum diſquiſitionum incertæ,

ac verſabili ſcriptorum ingenio, permittere? Id profecto nefas eſt dictu, eſt nefas factu. Providentia enim Dei tam ſingularis invigilat fontibus literarum ſacrarum conſervandis, ut ne minima quidem dictio, vel verbulum exile, per univerſos Codices poſſit usquequaque corrumpi, vel vitiari. Ni hoc ipſum perſpiceretur ex ipſis divinioris Scripturæ teſtimoniis, finis ille, quem Deus in literis ſacris condendis reſpexit, de eo nos haud ſineret dubitare. Exhibetur in loco, qui ſub manibus eſt, numerus annorum quadringentorum & quinquaginta. Pateſcit & dilucet numerus ille ex Codicibus, quotquot exſtant, & manu ſcriptis, & forma publica expreſſis. Habetur ille numerus in translationibus pervetuſtis, in Syriaca, Latina, Coptica. Et, licet difficultas extricandi hunc numerum, ac cum hiſtoria ſacra in concordiam redigendi, variantes pepererit in argumento noſtro interpunctiones, numerus tamen ipſe, tam religioſe, quam conſtanter, aſſervatus, ubique ſuppeditatur idem. En rationes, cur in illo numero nihil exiſtimemus eſſe immutandum. Abſit tamen per omnem modum, ut quis arbitretur, nos manibus famæque illorum bella indicere, qui numerum illum voluerunt mutatum. Noſtrum eſt, de ſententiis iudicium facere, diſſentientes vero relinquere Numini diiudicandos.

III. Cardo difficultatis chronologicæ, quæ videtur numero illorum 450 annorum ineſſe, verti-

vertitur in termino, a quo illi ſunt ſupputandi. Finis ipſorum incidit in exitum muneris, quod *Samuel* qua iudex geſſit, & in initia regni, quod *Saulus* ſolus capeſſivit. Quæritur vero, quis ille ſit temporis articulus, a quo numerus ille inchoetur. In promtu eſt reſponſio. Finis illorum illuſtrium 450 annorum præſto fuit, cum Iudices populo deſinerent præeſſe. Quid itaque luculentius eſt, quam initium eorum ab initio datorum ei divinitus Iudicum pendere? Et quis ignorat, Deum conſtituiſſe *Moſen* iam Iudicem, cum hic eſſet quadraginta annos natus? *Stephanus* luculente de divino hoc viro, tot annos habente, iudicat *Act. VII, 25: Exiſtimabat* (ipſe) *intelligere fratres ſuos, quod Deus per manum ipſius daret ipſis ſalutem.* Ipſi autem hanc miſſionem & iuſſum hoc Dei negligebant. Iſraelitæ nolebant ipſum pro iudice ac ſervatore habere, quem Deus iudicem conſtituerat. Quam ob rationem unus fratrum ſic in *Moſen* fuit invectus: *Quis te conſtituit magiſtratum & iudicem in nos? Exod. II, 14; Act. VII, 27.* Ex qua repudiationis formula intelligitur, qualem ſeſe *Moſes* præſtiterit, & quomodo in eripiendis atque vindicandis fratribus ſe geſſerit. Iudices illi extraordinarii, quorum opera Deus ad vindicandos & dirigendos Iſraelitas uſus fuit, muniis iisdem præfuerunt, quæ a *Moſe* atque *Ioſua* fuerunt adminiſtrata. Ratio, cur illi appellati ſint iudices, haud alia extitit

ſtitit in munere, quod *Moſes* & *Ioſua* ſuſtinue-runt. Iudices id habebant eximii, ut 1) hoſtes ab Iſraelitis, Deo peculiariter diſpenſante & præeunte, repellerent, 2) Iſraelitas tranquillarent, & 3) negotia ardua, inter tribus & cœtus maiores in controverſiam vocata, definirent & diiudicarent. Nonne autem *Moſes* & *Ioſua* eundem volverunt lapidem, & in eodem clivo ſudarunt? Exſtitit itaque uterque illorum iudex. Cur iudicum nomine haud veniant Duumviri, ratio haud longe eſt petenda. A potiori dignitate & munere ſolet appellatio arceſſi. *Moſes* & *Ioſua* univerſos Iſraelitas auſpiciis & iuſſu angeli Iehovæ, qui & ipſe erat Iehova, duxerunt, & ad terram promiſſam admoverunt. Tantum opus, tanta tamque admirabilis opera, ad reliquos iudices haud ſpectat. Et hanc ob cauſam *Moſes* vocatur *Vir Dei*, & *Ioſua* appellatur *ſervus Dei*, eximio & excellenti quodam ſenſu. Inde autem cogi efficive non poteſt, duumviros hoſce e numero iudicum eſſe eximendos, licet nemo inficietur, ipſos fuiſſe & ductores Iſraelitarum univerſorum, & oratores Dei, & Prophetas, & ſcriptores divino ſpiritu afflatos.

IV. Ut vero curriculum illorum 450 annorum recte determinemus, maiora intervalla a mundo condito colligenda ſunt usque ad exitum Iſraelitarum ex Aegypto. En illa:

Efflu-

Effluxerunt ab orbe condito usque ad diluvium	1656 anni
Inde ad natalem *Iſaaci* - -	393
Inde ad exitum Israelitarum ex Aegypto - -	430
Inde ad quartum regni *Salomonæi* annum - -	480
Summa	2959

Munus, quo *Moſes* divinitus iudex fuit declaratus, quadraginta annis præcurrit exitum Israelitarum ex Aegypto. Quare initium univerſorum Iudicum incipit in anno mundi 2439. Periodus *Iuliana* præcedit aeram mundi conditi annis $747\frac{1}{4}$. Ergo cœpit Iudicum aera ſecundum Periodum *Iulianam* anno $3186\frac{1}{4}$. Incidit vero in annum, quo *Debora* & *Barak* Israelitas ſeptentrionales a *Iabini* iugo in libertatem aſſeruerunt, ac in ipſum prælii diem deliquium ſolis magnum, quo interdiu ſtellæ in cœlo apparuerunt, *Iud. V*, 20. Cantilena, ſeu oda, *Deboræ* ſignificat, prælium illud paulo poſt feſtum paſchale fuiſſe commiſſum. Niſi Vir Pl. Rev. IACOBUS KOCH id ipſum demonſtraſſet c), argumenta, quibus id evincitur, poſſent in medium proferri. Contigit vero, ut anno periodi *Iulianæ* 3460 in novilunio Ijar ſol ex toto fuerit in Palæſtina obſcuratus rariſſimo exemplo, quale nec ante, nec poſt, id tempus, niſi

c) In *kurzen und ſicheren Anfangs-Gründen zu einer richtigen Chronologie* p. 48.

niſi remota inde ſatis ætate, uſu venit, Subtrahe ab illo anno 3460 annos 747¾, tum reſtabit annus a condito mundo 2712¾, ſeu 2713. Adde, quod univerſi Israelitæ adverſus *Iabini* exercitum haud obviam exierunt armati, & oppreſſio, a *Iabino* Palæſtinæ intentata, Israelitas, ad meridiem incolentes, haud attigit. *Ephraim* enim & *Beniaminitæ* eo tempore cum Amalekitis conflixerunt, *Iud. V*, *14*. Amalekitæ autem cum Moabitis faciebant *III*, *13*. Quocirca neminem fugiet, ſervitutem, a *Iabino* cervicibus Israelitarum ſeptentrionalium impoſitam, haud fuiſſe univerſalem: ideoque viginti annos, illi attributos, ex chronologia generali Israelitica eſſe eiiciendos. Iudex unus alteri haud ſic ſucceſſit perpetuo, quemadmodum *Ioſua* ſucceſſit *Moſi*. Factum *Samgaris* heroicum incidit in tempora iudicis *Ehud*, *Iud. IV*, *1*,*2*, *V*, *6*. *Abimelech* ad Sichemitas ſpectat ſolos *Cap. IX*, *18*. Reliquis Israelitis nihil commercii cum eo fuit. Iudex *Bedan* d) in libro *Iudicum* omittitur. *Thola* fuit Iudex inter Ephraemitas; & *Iair* inter Gileaditas. Oppreſſio, quam Israelitæ perpeſſi ſunt a Philiſtæis & Ammonitis, in tempus idem incidit, eisdemque annexa eſt initiis, *Cap. X*, *7*. Qua ratione *Iephtha* Ammonitas profligaverit, ſcriptor divinus exponit *v. 8*, priusquam moleſtias, a Philiſtæis creatas, commemorat, quas appellat *tempus Philiſtæorum Cap. XV*, *20*. At quorſum hæc diſpu-

d) *1 Sam. XII*, *11*.

diſputamus? Quorſum? Scilicet ut oſtendamus rationem, cur ex annis Iudicum, in ſummam unam collectis, filum haud nectamus chronologicum.

V. Servitus, a Philiſtæis cervici Iſraelitarum impoſita, perduravit ad annos 40, *Iud. XIII, 1.* Iſraelitas vexarunt Midianitæ 18 annos, eisque exactis a *Iephtha* repreſſi ſunt ac profligati, *Iud. X, 8.* Hosce annos ſi ab illis 40 demſeris, reperies annum victoriæ, a *Iephtha* reportatæ, quo Iſraelitæ Ammonitas docuerunt, transiordanicam ab Iſraelitis iam trecentis annis fuiſſe poſſeſſam, *Iud. XI, 26.* Quantum vero ad illos annos 40 attinet, eorum dimidiam partem *Samſon* vincendo & iudicando transegit, *Iud. XVI, 31.* Cum ſervitus illa Philiſtæa exſpiraret, *Samuel* muneri, quod Iudicibus erat proprium, præeſſe cœpit, *1 Sam. VII, 3. – 10.* Quo ipſo intelligitur, munus id a Pontifice *Eli* ſimul cum *Samſone* annos viginti fuiſſe expeditum. Non obſtat nobis obſcurior ille locus *1 Sam. VII, 7,* dummodo is ex fonte Ebraico dextre exponatur. *Samuel* vero Iſraeli præfuit muniere iudiciali, quoad vixit, *1 Sam. VII, 15,* & ad ſummam pervenit ſenectutem, ſiquidem, *Saulo* in Regem deſignato, iam filiis gaudebat, qui munius illud poterant adminiſtrare, *1 Sam. VIII, 1.* Ultimis *Eli* Pontificis annis vocatur ipſe adhuc *puer 1 Sam. III, 1. Saulus* regnavit annis 40, *Act. XIII, 21.* Totidem annis *David* peregit regnando *1 Reg. II, 11.*

Quæ-

Quæſtio autem inſtituenda eſt, quot annos populo *Ioſua* præfuerit. Cum ipſe terram occupatam Iſraelitis diſtribueret, ſeptem anni fuerant elapſi, *Ioſ. XIV, 7, 10. Caleb, Ioſuæ* æqualis, tunc 85 natus erat annos. Cum, comite *Ioſua* aliisque, Canaanæam exploraret *Caleb*, annos habebat quadraginta. Inde ad mortem *Moſis* effluxerant anni 38. Enaſcitur inde ſumma annorum 78. Neminem itaque fugiet, diſtributionem terræ Canaan occupatæ ſeptem poſt annis fuiſſe ſuſceptam. Vixit *Ioſua* annos 110. Si igitur *Calebo* fuit ætate æqualis, populo præfuit annos 32. *Ioſephus* vero annos muneris tribuit viro divino 26, ſcilicet in translatione *Ruffini* Latina. Qui recordantur, *Ioſuam* ſam cum *Moſe* in Sinai montem miniſterii cauſa adſcendiſſe, eis mirum haud videbitur, ſi ipſe eo tempore annos iam 34 attigerit vivendo. Inter mortem *Ioſuæ* & ſervitutem, a *Cuſano* conflatam, locanda eſt ætas unius alteriusque hominis ob locum *Ioſ. XXIV, 31,* qui repetitur *Iud. II, 7,* & ob *Iud. II, 1, 2, 3.* Fingamus, *Saulum* cœpiſſe regnare, cum *Samuel* populo præfuiſſet annos quinquaginta & unum. Expleamus ſpatium temporis inter mortem *Ioſuæ* & oppreſſionem *Cuſanitam* annis 83, recordati, annos 20 oppreſſionis, a *Iabino* profectæ, in chronologia generali negligendos eſſe; quo hic prodibit latereulus:

Anni

Anni *Moſis* ab initio muneris iudicialis	80	
Anni *Ioſuæ*	26	
Anni Seniorum	83	
Servitus *Cuſanica*	8	*Iud. III*, 8.
Quies terræ	40	— — 11.
Oppreſſio *Moabitica*	18	— — 14.
Quies terræ	80	— — 30.
*Oppreſſio *Iabinica*	20	— *IV*, 3.
*Quies terræ	40	— *V*, 31.
Oppreſſio *Midianitica*	7	— *VI*, 1.
Quies terræ	40	— *VIII*, 28.
Oppreſſio *Philiſtæa*	40	— *XIII*, 1.
Samuelis anni	51.	
Summa	533.	
Deme duo momenta, aſteriſco notata	60	
	473.	

Emergunt hac ratione anni 23 plus quam par erat. Annus deliquii ſolaris incidit in annum mundi 2713 (*§. IV*), annus vero templi, a *Salomone* conditi, in 2959. Interceſſerunt itaque anni 246. Deſunt autem nonnulla momenta. Latet oppreſſio, profecta a Sidoniis *Iud.* X, 12, & ab Amoræis *v.* 11, eiusque anni nos prætereunt. Unde intelligitur, ex notis chronologicis libri Iudicum collectis accuratam chronologiam exſtrui haud poſſe, niſi alia ſimul ſubſidia adſciſcantur, & in cenſum vocentur.

VI. *Paulo* autem res eſt cum ætate illa, quæ

quæ inter initia Iudicum & initia regni, a *Saulo* ſolo adminiſtrati, interceſſit, qua iudices extraordinarii, hisque deficientibus ordinarii, Iraelitas rexerunt. Initium univerſorum Iudicum incidit in annum mundi conditi 2439. Annus autem templi *Salomonæi* fundati pertinet ad annum mundi 2959. Ab hoc ſubtrahe tres *Salomonis* annos, quadraginta *Davidis*, & quadraginta *Sauli*. Summa ſubtracta conficiet annos 83, quos ſi ab anno 2959 demſeris, reſtabunt anni 2876. Si ab hiſce reſecueris denuo annos 2439, reſidui erunt anni 437. Memento autem, *Samuelem* per totum vitæ tempus iudicem egiſſe, 1 *Sam.* *VII*, 15, & initio *Sauli* regno munus nondum depoſuiſſe. Ob hanc rationem haud gravaberis, *Samueli* addere annos a) 13, ut expleantur anni illi 450, ſiquidem acta *Sauli* priora ſatis docent, *Samuelem* in eorum partem & curam veniſſe. Confirmatur hæc ſententia per voculam ἐκεῖθεν. Perhibet enim *Paulus*, Iſraelitas etiam *illinc*, ex intervallo temporis ipſo, quod iudices rebus præfuerint, Regem poſtulaſſe, eum ſpatium illud nondum fuiſſet finitum, terminoque concluſum. Dedit Deus Regem poſtulantibus eo temporis articulo, quo Iudex munia ſua nondum depoſuerat. Et hacte-

a) *Ioſephus* tradit *Ant. Iud. VI fin.* *Samuelem Saulo* regnanti operam accommodaſſe, Iudicemque egiſſe, adhuc annis 18. Quam proxime hæc ad opinionem noſtram accedunt. *Paulus* utitur numero rotundo.

haſtenus nihil ſeſe offert, quo ſententia noſtra poſſit premi perimique.

VII. Subduxit Vir optimus, *Iacobus Kochius*, f) paulo aliter rationes ſuas. Ipſe enim ita inſtituit annorum illorum 450 ſupputationem:

Ab initio muneris iudicialis *Moſaici* ad finem	80	anni
Iudicis *Ioſuæ*	26	anni
Iudicum ad mortem *Eli*	293	anni
Iudicis *Samuelis*	51	anni ante *Saulum*
Summa	450.	

Anni autem Iudicum illi 293 ita computantur:

Servitus ſub *Cuſano*	8	annorum
Quies terræ	40	
Servitus Moabitica	18	
Quies terræ	80	
Servitus Cananæa	20	
Quies terræ	40	
Servitus Midianitica	7	
Quies terræ	40	
Servitus Philiſtæa	40	
Summa	293.	

VIII. Inveſtigare iam iuvat rationes, cur huic

f) In *Entſiegelten Daniel p.* 123.

huic computationi manus dare victas, herbamque porrigere, non poſſumus. Recolimus, primo memoriam deliquii ſolaris maximi, quod in annum mundi conditi 2713, & in finem ſervitutis Cananææ, cum *Siſſera*, *Iabini* dux bellicus, a *Baraco* devinceretur, incidit (§. IV). Templi autem *Salomonæi* initia congruunt anno orbis fundati, ex hypotheſi creationis hexaemeræ, anno, inquam, 2959. Fluxerunt itaque inter illam eclipſin & originem templi *Salomonæi* anni 246. Si vero a ſublatæ ſervitutis Cananææ anno reliquos temporis articulos collegeris; ſumma, inde ad initium fundati templi ducta, æqualis erit annis 261. Superflui ſic erunt & abundabunt anni 17. Et eo ipſo docemur, ſervitutem Cananæam ex omni parte haud inſerendam eſſe Chronologiæ generali. Unde porro colligere licet, annos illos Judicum 293 non eſſe amuſſim, cui artus partesque Chronologiæ generalis debeant attemperari. Finge tamen, reſiduos illos annos ſeptendecim adhuc addendos eſſe annis, quos *Samuel* Judicem egit ante *Saulem*, ut adeo ipſe per 68 annos iudiciis anniverſariis & ſummis præfuerit; nihilo minus tamen intervallum illud inter quadrageſimum *Moſis* annum & initia templi *Salomonæi* nec creſcet, nec amplificabitur. Id enim nunquam non annos 437 complectetur (§. VI).

IX. Progrediendum nunc eſt ad ſententiam *Bedæ*, *Lyrani*, *Abrahami Calovii*, *Gisberti* *Voe-*

Voetii, *Hieronymi van Alphen*, *Ioannis Millii*, *Cornelii Diterici Kœbii*, viri quondam præſtantiſſimi, ac ipſius *Ioannis Harduini*. Latinus Interpres, quem vocant Vulgatum, ita ſenſum *Pauli* exhibuit: *Et deſtruens gentes ſeptem in terra Canaan, ſorte diſtribuit eis terram quaſi poſt quadringentos & quinquaginta annos. Et poſthæc dedit Iudices usque ad Samuel Prophetam.* Animadvertendum vero nobis eſt ad Interpretis illius Acta Apoſtolica & unum & alterum. Primo quidem translationem hanc congruenter exemplari aliquantulum læſo adornatam fuiſſe, oſtendit *Ioannes Millius* in *Prolegomenis*. Deinde manifeſtum eſt, librarios quoſdam & interpretes data opera modo eodem ad evitandam calculi iſtorum 450 annorum difficultatem ordini verborum perturbando faviſſe. Id cum notáſſet *Ioannes Millius*, ipſe extemplo hæc ſubiecit: "*Quæ difficultas tamen absque tali transpoſitione, adhibita* ὑποστιγμῇ *ad voces* ταῦτα & πεντήκοντα, *videtur plane tolli. Senſus enim fuerit*: Poſthæc, quæ ſpatio 450 plus minus annorum geſta ſunt, &c. *ſeu*: Poſt tempus hoc, quod intervallum erat 450 annorum præter propter, dedit Iudices, &c. *Id quod, facta cum Apoſtolo a tempore, quo Deus* elegit patres *v.17*, *ſive a natalibus Iſaaci*, in quo eos elegerat, ad κληροδοσίαν *ſupputatione*, *veriſſimum erat. Nam ab Iſaaco nato, ſeu anno Abrahami centeſimo, ad Exodum numerantur*

"tur anni 405. *Ab Exodo, qui Calebi,* ὡς ἐγ-
"γιστα, *quadrageſimus erat* Ioſ. XIV, 7, *ad*
"κληροδοσίαν (*annum eiusdem octogeſimum*
"*quintum* v. 10) 45. *In univerſum, ſaltem* ὡς
"450." Eadem fere repetivit b. m. *Cornelius Dietericus Kochius* in *Annalibus Academiae Iuliae Semeſtri III* p. 136 *ſeq.* Copioſius cauſam eandem ornavit *Hieronymus van Alphen* in *Diſſertatione*, quam *Iacobi Perizonii Aegyptiacarum originum & temporum antiquiſſimorum inveſtigationi*, a ſeſe Traiecti ad Rhenum A. 1736 editae, ſubiunxit. Ipſe provocavit ad *Exod. XV*, 13, ac inde colligit, numerandos eſſe 400 annos ab *Iſaaci* natalibus usque ad exitum Israelitarum ex Aegypto. Addidit annis hiſce iter Israelitarum per deſerta, opus 40 annorum, & ſeptem annos *Ioſuae*, quibus elapſis *Ioſua* Israelitis terram ſortito diviſit. Ex qua ſupputatione prodeunt 447 anni. Ipſe ſibi perſuadet, vocibus καὶ μετὰ ταῦτα ſubiiciendum eſſe in animo lectoris verbum γενόμενα, ac ſenſum ſic videri formandum: *Et poſt haec acta, quae circiter 450 annis contigerunt, dedit eis Iudices.* Diſplicuit illa enodatio viris non unis, quorum in numero is nomen ſuum profitetur, qui Lipſiae de *Alpheni* Diſſertatione ſententiam dixit g). Dolendum ſane, *Paulo* nihil fuiſſe rei cum epocha quadam, eiusque initio, ſecundum quam ſortitio tribuum terrae

occu-

g) *Nœthiger Beytrag zu den neuen Zeitungen von gelehrten Sachen* T. V p. 574.

occupatæ fuerit dinumerata. Inchoavit ipſe orationem a ſelectione patrum. Quis vero *Abrahamum* ex eorum albo expunget? Delegit Deus *Abrahamum* in peculii ſui principatum, cum ipſum iuſſit ex Ur Caſchdim emigrare. Quis dixerit, ipſum fuiſſe demum delectum, ex quo promiſſionem de Cananæa poſteris ſuis impertienda ſuſcepit? Quis credet, ipſum fuiſſe demum nato *Iſaaco* ſelectum? Quis ignorat, annos a nato *Iſaaco* ad exitum Israelitarum effluxiſſe 430? Leguntur hæc *Exod. XII, 40: Commoratio Israelitarum, qui conſederant in Aegypto, fuit annorum* 430. Indicatur exſpectatio Israelitarum & ſedes, exſpectationis plena. Non deſignatur commoratio ipſorum Aegyptiaca. Anni illi deſierunt cum ipſo itinere ex Aegypto. Inchoandus autem eſt numerus eorum a h) confirmato fœdere Dei cum *Abrahamo*. Promiſſio prima, *Abrahamo* impertita, dici nequit διαθήκη, inſtrumentum, diſpoſitio, fœdus. Inſtituta circumciſio erat διαθήκη, *conſtitutio*, ordinatio œconomiæ diſtincta. At ipſa dici haud poteſt confirmatio conſtitutionis. Hæc enim in ipſo *Iſaaci* natali eſt figenda & collocanda. At diu iam *Abrahamus* fuerat a Deo ſelectus, antequam in lucem ſuſciperetur *Iſaacus*. Eſto tamen, illos 450 annos a natalitio *Iſaaci* die eſſe ſupputandos. Nonne hac ratione prodibunt ab eo tempore usque ad diſtributionem terræ promiſſæ anni 477? Nec

 eſt,

h) *Gal. III, 17.*

eſt, quod ad loca *Gen. XV*, 13, & *Actor. VII*, 6, refugias, in quibus quippe memoriæ legitur proditum, progeniem *Abrahami* in aliena terra habitaturam, variisque vexationibus obnoxiam fore per annos 400. Nam *Iſaacus*, progenies *Abrahami* prima, ſecundum promiſſi divini modulos, non potuit in alieno habitare, antequam ipſe eſſet paterfamilias, & rebus ſuis domeſticis dominaretur. Duxit uxorem *Iſaacus*, reique familiari ſuæ vacare cœpit, matre *Sara* defuncta, quæ annos ætatis vivendo compleverat 127, *Gen. XXIII*, 1. Pepererat *Sara Iſaacum* nonagenaria, *Gen. XVII*, 17. Habuit itaque *Iſaacus* annos 37, cum matre orbaretur. Tum demum cœpit in alieno habitare, & a vicinis ipſe variis artibus pravis tentari cœpit atque affligi. Anni igitur 400 illi, quorum fit mentio *Gen. XV*, 13, ſunt rotunde poſiti, licet deficerent ſeptem. Ut dicamus, quod res ipſa poſtulare videtur, iam relinquitur. Difficultas Chronologiæ *Paulinæ* ea enodationis via, quam demonſtravimus, nec tollitur, nec imminuitur, tantum abeſt, ut nobis in ea verborum transpoſitione & interpunctione, quam librarii quidam, eorumque ſectator Vulgatus, tentarunt, ſit acquieſcendum. Nihilo tamen ſecius honorem eruditioni meritisque eorum habemus, quos hæc ſententia habet fautores & patronos, ſiquidem non ſolum magnus ille quondam *Joannes Franciſcus Buddeus*, i) *Ioannes Fridericus*

i) In *Hiſt. Eccl. V. T. P. I p. 917 ſeq.*

Stein, k) *Ioannes Iacobus Schmidius*, l) ſed etiam *Eduardus Stillingfleet* in epiſtola, ad Deiſtam quendam data, eam amplexi fuerunt, ſuoque dignati ſunt aſſenſu.

X. Propius ad ſententiam, cui principatum attribuimus, acceſſit *Franciſcus Fabricius*, vir, cuius ſcripta ſolent cedro digna exiſtimari. Ipſe enim m) annos illos 450 inchoat a *Moſis* munere iudiciali, & *Samuelis* anno 13 concludit. Ipſe rationes ſuas ſic putat. A ſervitute *Cuſanica* usque ad Ammoniticam & Philiſtæam computat ipſe annos 301. Addit annos *Moſis* 80, *Ioſuæ* 16, *Eli* Pontificis 40, ac *Samuelis* 13. Cooriuntur ex datis hiſce numeris anni 450. Diſputavit hæc Auctor per modum epiſtolæ, ad *Perizonium* datæ, ac formulam illam dictionis *μετὰ ταῦτα* reddidit non per Latinum *poſt hæc*, ſed per *præterea*. Reſponſoriam *Perizonii* adiunxit ipſe pro eo, ac debebat. Hic vero notat 1) inuſitatam illam formulæ *μετὰ ταῦτα* translationem, 2) priores 40 *Moſis* annos, 3) annos *Samuelis* 13, iuſto quippe minores. Primam animadverſionem non poſſumus non approbare (§. I). Ad ſecundam reſpondimus,

 eique

k) In *Vernünftigen Betrachtungen über die Wahrheit, Alterthum, und Gœttlichkeit, der Schrifften des A. und N. T. P. VII §. 18 p. 791 ſeq.*

l) In *Bibliſchen Hiſtorico.*

m) In *Chriſtologia Noachica & Abrahamica*, Lugd. 1727, 4. *Beytrag zu den gelehrten Zeitungen IV Band, p. 512 ſeq.*

eiſque nervos, opinio, incidimus (§. III). Tertiam ſuffragiis univerſorum arbitramur dignam (§. V). Attingendum vero nobis eſt id, quod familiam ducit, & in quo caput & cardo rei verſatur. Credidit, ſibique perſuaſit, Cel. *Fabricius*, ſucceſſionem annorum, quibus Iudices populo Iudaico præfuerunt, æſtimandam & colligendam eſſe ex ſervitute & quiete multiplici Iudæorum, cuius ſummam dedimus ſupra §. VII. Oſtendimus vero (§. VIII), ſummam illam fundando laterculo chronologico, ſucceſſionibus conſtricto, eſſe ineptam. Monemus præterea, annos 40 muneri Pontificis *Eli* dictatorio aſſignandos haud eſſe, & annos illos viginti, quibus ipſe Iudicem egit, iam annis illis quadraginta ſervitutis Philiſtææ contineri (§. V). Necdum de annis illis 16, quos *Ioſuæ* muniis attribuit *Fabricius*, prorſus certi ſumus. Laudamus conatum & *Fabricii*, & *Kochii*. Utrique enim debemus primam originem illius, quam poſtea eruimus, opinionis. Si quis vero luculentiorem noſtra ſententiam exquirere poſſit, eum non ſolum honorabimus, ſed etiam publica proſequemur dilaudatione. Res enim hic non agitur noſtra, ſed Dei & eccleſiæ. Hanc qui digniſſime ſartam tectam ſervare & vindicare valet, is profecto dignus eſt, ut ſemper honos nomenque eius laudesque canantur.

XI. *Iacobus Perizonius* non ſolum *Franciſci Fabricii* ſententiam repudiavit, ſed ipſam

quo-

quoque *Abrahami Calovii* n) opinionem, quam examinavimus (§. X), calculo ſuo indignam exiſtimavit o). Nec tamen ipſe tolerabiliorem & præſtantiorem ſubſtituit utrique opinioni ſententiam, hæſitans quippe & ſubdubitans, utrum annos illos 480, *1 Reg. VI*, *1*, commemoratos, pro genuinis admitteret, an, illos eſſe vitioſos & corrupte deſcriptos, arbitraretur. Priorem amplexus fuit ſententiam in *Originibus Ægyptiacis Cap. XVI p.* 277, accedens *Iſaaco Voſſio*, *Cappello*, aliisque, qui, annos 580 annis illis 480 ſubſtituendos eſſe, crediderunt. Poſteriorem, eamque emendatam, ſententiam illi tribuit fama, cui quid inſit veri, dicere non habeo. In epiſtola, ad *Fabricium* data, annos *Paulinos* 450 ab oppreſſione *Cuſanica* inchoandos ducit, & ad finem muneris iudicialis, quod *Samuel* geſſit, prorogandos cenſet. Qua autem ratione illud intervallum ſit computandum, docuit tandem Anonymus in Epiſtola ſingulari, quæ cum binis aliis literis Gallice Hagæ Comitum in forma, quam vocant octavam, A. 1720 in lucem exiit ſub titulo: *Conſiderations ſur trois d'entre les principaux points en diſpute de l'Ecriture ſainte* p. In hiſce conſiderationibus, earumque ſecunda, diſſeritur de 450 annis *Paulinis*. Laudat illam, ſuoque aſſenſu dignatur, B.

n) In *Critico ſacro p.* 794, & in *Bibliis illuſtratis* ad h. l.

o) In *Originibus Ægyptiacis* p. 277.

p) *Acta Eruditorum Latina A.* 1721 *p.* 242.

Joannes Chriſtophorus Wolfius q). Recenſet eandem & refellit B. *Cornelius Ditericus Kochius* r). Repetemus illam denuo ſuccincte, & deinceps iudicium ſubiiciemus. Anonymus ex annis ſervitutis 114 &, libertatis annis 336, ſummam annorum 450 conficit, quos quidem a morte *Ioſuæ* ad *Samuelem* usque elapſos hae tabula demonſtrat:

Israelitæ, inquit, in ſervitutem redacti fuerunt:

1) a Syris per annos	8.	*Iud. III,*	*8.*
2) a Moabitis —	18	— —	*14.*
3) a *Iabino* —	20.	—	*IV, 3.*
4) a Madianitis —	7.	—	*VI, 1.*
5) ab *Abimelecho* —	3.	—	*IX, 22.*
6) a Philiſtæis —	18.	—	*X, 8.*
7) ab iisdem —	40.	—	*XIII, 1.*
Anni	114.		

Israelitæ, in libertatem vindicati, pace gaviſi ſunt:

1) Sub *Athniele* annis	40.	*Iud. III,*	*11.*
2) Sub *Ehud* —	80.	— —	*30.*
3) Sub *Barac* & *Debora* —	40.	—	*V, 13.*
4) Sub *Gideone* —	40.	—	*VIII, 28.*
5) Sub *Tola* —	23.	—	*X, 2.*

6) Sub

q) In *Curis philologicis & criticis ad Act. XIII, 20,* p. 1188 *ſeq.*

r) In *Annalibus Academiæ Iuliæ Semeſtri* III p. 134 *ſeq.*

6) Sub *Iairo*	— 22.	*Iud. X, 3.*
7) Sub *Iephta*	— 6.	— *XII, 7.*
8) Sub *Abeſano*	— 7.	— — *9.*
9) Sub *Elone*	— 10.	— — *11.*
10) Sub *Abdone*	— 8.	— — *14.*
11) Sub *Samſone*	— 20.	— *XVI, 31.*
12) Sub *Eli*	— 40.	*1 Sam. IV, 18.*

Sunt anni 336
quibus adde 114 ſuperiores

Et erunt anni 450.

XII. Novum hoc non eſt inventum. Id enim iam pridem ab aliis Chronologis, ac nominatim a *Matthæo Beroaldo*, fuit expoſitum; quoniam quidem nihil iuvat conciliationem locorum *1 Reg. IV, 1*, & *Act. XIII, 20.* Etenim, cum iſto loco legamus, annos ab exitu Iſraelitarum Aegyptiaco ad templum usque *Salomonis* inchoatum 480 fluxiſſe, quomodo Iudicum annos 450 nanciſcimur? Pone enim hos annos Iudicum 450 morte *Ioſuæ* ad primum *Samuelis* elapſos; atque iis adde annos 40 ab exitu Aegypti ad introitum usque Palæſtinæ, vel peregrinationis in ſolitudine: adde item annos *Samuelis* 21, *Saulis* 40, *Davidis* 40, *Salomonis* tres; & habebis annos 594 ab exitu Iſraelitarum ex Aegypto usque ad initium templi, non 480, quos poſuit ſcriptor ſacer *1 Reg. VI, 1.* Hæc ex vero venerandus olim præceptor & hoſpes meus, *Cornelius Ditericus Kochius*, in *Annalibus Academiæ Iuliæ Semeſtri tertio p. 135 ſeq.*

XIII.

XIII. Addemus iam argumenta alia, quibus, enodationem allatam non ſatis firmo ſtare talo, perſuademur. Primum eſt, quod a ſeparatione annorum, quibus Iudices ſinguli floruerunt, & annorum, quibus vicini Israelitas infeſtârunt, contra ius, faſque inſtituta, deſumimus. Quis enim animum inducet, ut credat, Iudices populo haud præſediſſe, niſi poſtquam divino iuſſu in bella contra oppreſſores exercitum eduxerunt? Notavit iam hanc opinionem *Iacobus Kochius*, in Chronologia veteri exercitatiſſimus *s*). Deinde monendum eſt, ſingulos Iudices ſibi haud ſucceſſiſſe, ſed ſæpius diverſos eadem ætate in diverſis populo præfuiſſe provinciis. Monuerunt iam idem & *Ioannes Marshamus*, & *Iacobus Kochius*, & alii. Ediſſeruimus nonnihil, quod huc ſpectat, ſupra (*ſſ. IV*). Obſervamus tertio, *Moſen* & *Ioſuam* immerito fuiſſe omiſſos, quippe qui procul dubio ſummi Israelitarum Iudices extiterunt (*ſſ. III*). Addimus quarto, omitti pacem ab obitu *Ioſuæ* usque ad initia oppreſſionis, a *Cuſano*, peractæ. Quis credet, eo temporis ſpatio nullos Israelitis fuiſſe duces? Conquerimur quarto, quod annorum *Samuelis* nulla ſic ratio habeatur, qui tamen Iudex fuit Israelitarum per univerſum vitæ tempus, 1 *Sam. VII, 15.* Monemus quinto, immerito duas cenſeri Philiſtæas ſervitutes, priorem 18 anno-

s) In *Anfangs-Gründen zu einer richtigen Chronologie p. 90, Entſiegelten Daniel p. 121*, &c.

annorum e *Iud. X, 8*, & poſteriorem quadraginta annorum ex *Iud. XIII, 1.* Locus enim prior indubie de ſervitute exponendus eſt Ammonitica, ſiquidem adiicitur mentio de Iſraelitis transiordanicis, Ammonitarum vicinis, miſere afflictatis, quae ad Philiſtaeos haud quadrat. Anni itaque illius ſervitutis Ammoniticae incidunt in annos priores ſervitutis, a Philiſtaeis) exortae, *Iud. X, 7.* Notamus quinto, acta *Abimelechi* ad Sichemitas ſolos ſpectare, partem Iſraelitarum, nec triennium regni eius ad ſeriem Iudicum referendum eſſe. De Iudicibus exponit *Paulus* illos 450 annos, non de Regibus. Adiungendum eſt ſexto, oppreſſiones aliquot & nonnullos Iudices in libro Iudicum omitti (*§. V*). Monemus ſeptimo, annos *Samſonis* incidere in ſervitutis Philiſtaeae 40, hisque finitis Iudicis munus inchoaſſe *Samuelem*, ac hinc colligi, annos 40 Iudicis *Eli* comparandos eſſe cum quadraginta annis, quibus Philiſtaei Iſraelitis fuerunt graves. Addimus octavo, deliquium ſolis ſupra memoratum, & cum victoria *Baraci* coniunctum, in opinionibus Anonymi chronologicis locum haud invenire. Si quis exiſtimaverit, in hiſce annotationibus noſtris argumenta & rationes haud apparere, eum ſuo facile patimur ingenio abundare.

XIV. Superſunt ſententiae duae, quae, 1) annos illos *Paulinos* 450 corruptos, eisque annos 350 ſubſtituendos eſſe, vel 2) integram

opini-

enuntiationem de Iudicibus a Deo per annos 450 datis a librariis intruſam fuiſſe, dictitant. Priori ſententiæ ſubſcripſerunt Commentatores quidam ante *Lutherum*, immo *Lutherus* ipſe & *Theodorus Beza* in annotationibus ad hunc locum. Poſterior opinio eſt præſtantiſſimi quondam *Campegii Vitringæ*. Ita ſumus homines, ut nonnunquam mente haud improba aliquid, venia dignum, admittamus. Quantum vero attinet ad *Lutherum*, is initio locum noſtrum *Act. XIII, 20*, congruenter Græcis ſuis Codicibus ad annum usque 1541 legit & tranſtulit: *Bey vierhundert und funfzig Iahr lang*. Anno demum 1541 ex quadringentis annis fecit trecentos, non ob ullum Codicem, in quo ſic fuerit lectum, qualis haud exſtat, ſed quod ſibi perſuadebat, errorem ſubeſſe librarii, qui *quatuor* pro *tribus* ſcripſiſſet. Id enim teſtatur *Lutheri* nota marginalis, tunc ab eo adiecta in hunc modum: *Etliche Texte haben vier hundert. Aber die Hiſtorien und Rechnung der Iar leidens nicht. Iſt des Schreibers Irrthum, der vier für drey geſchrieben hat, welches leicht iſt geſchehen im Griechiſchen.* t) Eſt mihi ad manus tranſactio Germanica, Saxonum inferiorum dialecto concinnata, & Lubecæ A. 1533 in forma maxima edita.

t) *Jo. Georgii Palmi Liber hiſtoricus de Codicibus V. & N. T. quibus B. Lutherus in conficienda interpretatione Germanica uſus eſt, Cap. II §. 12 p. 89*

edita ſecundum Biblicam *Lutheri* interpretationem. In hac commemorabili editione u) locus noſter ita fuit expreſſus *fol. 66 col. 2: Darna gaff he en richters veerhundert und vöfftich yar lanck heth up den Propheten Samuel. Unde van do an beden ſe vmme einen Köninck.* - - Is, qui notas adſcripſit marginales, ad vocem *veerhundert* ita commentatus fuit: *Deſſe yare ſchal me anheuen tho rekende van dem vthgange vth Egypten, alſe de Schrifft plecht Exodi XII unde nicht van dem erſten Richter Iudic. I.* Exiſtimavit vir ſolide doctus, *Moſen* & *Ioſuam* e numero Iudicum haud eſſe eximendos. Si vero a *Moſis* exitu priori ex Aegypti regione ſupputationem inſtitueris, omnia chronologica momenta conſtabunt. De reliquo deficiet numerus annorum 35 ad minimum. Mallemus, reſtituerent editores Bibliorum *Lutheri* Germanicorum eum numerum, quem *Lutherus* ante annum 1541 poſuerat. Sed vocat nos alio ſummus olim *Vitringa*.

XV. Hic in *Hypotypoſi Hiſtoriæ ſacræ* x) integrum *inciſum* 20 a recentioris librarii manu repetivit. Accipe eius verba: *Sed vero id ipſum eſt, quod facit, ut credere vix poſſim, vel Paulum hos numeros ore expreſſiſſe, vel*

u) *Io. Henricus a Seelen* in *Meditationum exegeticarum P. III Obſ. 2 p. 42 ſeq. Nova Eruditorum Acta A. 1739 p. 474.*

x) Edit. Leeward. p. 47. Lipſ. p. 44.

vel Lucam eos ſuo ſignaſſe calamo. Textus enim Lucæ, vis item atque elegantia orationis Paulinæ, absque his numeris ſibi plene conſtat: ſed ut potius probabile habeam, librarium aliquem, hunc textum deſcribentem, orationem Paulinam, collectis numeris ex libro Iudicum, hac lacinia voluiſſe exornare. Succurrunt inter hæc animo verba *Alexandri Magni*, nodum Gordium soluturi: *Nihil intereſt, quomodo ſolvatur* y). Nihil a librario hic in contextum credo intruſum. Nullus enim Codex manuſcriptus, nullus liber ante annum 1541 editus, deprehenditur, in quo id *inciſum* haud legatur. Abſit per omnem modum, ut exiſtimemus, gluſſemata & lacinias unius alteriusque librarii per univerſos Codices penetraſſe. Anne unus librarius per ſingulas eccleſias volumina Fœderis novi corrumpere potuit & vitiare? An unus in reliquos omnes omnium locorum tenuit ditionem & imperium? Maior inerat Chriſtianis primis veneratio & cura ſacri Codicis, quam ut librariis unquam permiſſum fuerit, quid in verba divinitus inſpirata videretur intrudendum, vel inde eiiciendum, ſtatuere ac arbitrari. Ex ſolo Iudicum libro, quoquoverſum te referas, numerus illorum 450 annorum exſculpi colligique haud poteſt. Solent librarii difficiliora mitigare, & luculenta reddere, ſubſtitutis verbis ſententiisque clarioribus, tantum abeſt, ut ipſi cruci-

y) *Curtius III, c. 18.*

crucibus nodisque lectores lancinent ac fatigent. Tranſpoſitionem verborum, variasque interpunctiones, haud tentaſſent iam olim librarii, ſique critici, ſi qua ipſos inceſſiſſet ſuſpicio, *inciſum* haud ex verbis *Pauli* & *Lucæ* eſſe depromtum, ſed ad additiones privatas ſpectare. Nolumus urgere reliqua conſectaria, quibus ſententia *Vitringæ* premitur ac prægravatur.

XVI. Moderatiorem ſeſe præbuit *Guſtavus Auguſtus Hosmannus*, præclarus *Chronologiæ ſacræ librorum V. T.* ſcriptor. Ipſe enim z) annos illos 450 ab anno decimo ſeptimo poſt mortem *Ioſephi* Patriarchæ computat. Deſcenderemus haud inviti in hanc opinionem, dummodo definire valeremus annum hunc reſpectu exitus Iſraelitarum ex Aegypto, & poſſemus oſtendere, Hebræis tunc iudices obtigiſſe peculiares. Explevit *Ioſephus* vivendo annos ætatis 110, *Gen. L, 26.* Annos natus triginta Prorex Aegypti fuit creatus, *Cap. XLI, 46,* annoque ætatis 17 in Aegyptum fuit venumdatus, *XXXVII, 2.* Cum annos haberet 39, vel 40, patrem ſuum in Aegyptum cum ſuis tranſtulit, *XLV, 6.* *Iacobus* vero, pater eius, annorum erat tunc temporis 130, *XLVII, 9.* Vixit poſthæc *Iacobus* annos 17 in Aegypto, *v. 28.* Cum *Iacobus* naſceretur, pater eius *Iſaacus* iam ſexaginta annos erat natus, *XXV, 26.*

z) *Sammlung von alten und neuen Beytr. VI p. 732.*

26. Anni autem illi famoſi 430, a confirmato cum *Abraha* fœdere, inchoandi ſunt a nativitate *Iſaaci*, & ad exitum Aegyptium decurrunt. Facile nunc erit, definire annum ab obitu *Ioſephi* decimum ſeptimum. Nam usque ad annum *Iſaaci* natalem effluxerunt ab orbe condito

	anni 2049.
Naſcitur *Iacobus*	80 anno *Iſaaci.*
Aetas *Iacobi*	147 annorum.
Vixit *Ioſephus*	53 annos poſt patris mortem.
Adde illos	17 annos.

Summa 2246 annorum.

Finis vero Iudicum incidit in mortem fere *Samuelis*, quo defuncto, *Saulus* adhuc regnavit 22 circiter annos (§. *VI*). Adde hiſce annis 22 annos regni *Davidici* 40, & tres priores *Salomonis*. Prodibit inde ſumma annorum 65. Hos ab anno mundi 2956, quo cœpit *Salomo* templum fundare (§. *IV*), deme. Quo facto, habebis annos 2894. Si ab hiſce ſubtraxeris annos illos 2246, reſidua erit ſumma annorum 648. Et hæc quidem nobis ſufficere videtur ratio, cur opinioni *Hosmannianæ* alium calculum adiicere haud valeamus. *Paulus* enim tempus Iudicum complexus fuit annis 450, non comprehendit illud annis 648. Excedit itaque hæc hypotheſis ſummam *Paulinam* annis 198. Omittimus in præſens ſenten-

tias

tias aliorum, quæ punctum haud tulerunt, labefactare, nec *Whiſtoni* chronologiam hoc loco examinamus, ſiquidem cancelli, quibus coerciti ſumus, amplam & copioſam eiusmodi inveſtigationem nobis haud permittunt.

XVII. Iure ſuo tandem interrogabit nos Lector, cui bono & cui emolumento hæc tractatio ſit conſecrata, & quo fine iſta fuerit ſuſcepta. Nonne autem is noctuas geſtare Athenas exiſtimandus eſſet, qui copioſa definiret & perſequeretur oratione, quanta ſit ſtudii exegetici utilitas, quantis uſibus ſeſe commendent exercitationes chronologicæ, & quanta ſæpius ſit utilitas ſententiæ, quæ non ipſam veritatem, ſed conatum perveniendi ad lucidam veritatis apicem, complectitur? Supervacua foret diligentia mea, ſtudiumque meum eſſet ſpernendum, ſi momenta iſthæc generalia demuo poſt præcones ſexcentos ediſſerere cogitarem. Id unum iam duntaxat in memoriam revocabo, fuiſſe mihi A. 1740 in veredario publico, quo in Weſtphaliam vehebar, comitem Iudæum, eumque rei ſacræ inter ſuos contribules antiſtitem ſecundarium ac Rabbinum, ſeu doctorem. Conſerui cum ipſo & ſermonem & liticulam doctam de ſententiarum quarundam, quæ in capitibus patrum, *Pirke Avoth* dictis, leguntur, ſenſu atque ſumma. Inhæſimus præcipue illi pronunciato, quo beatus & felix prædicatur, qui videt הנולד, id eſt, ex mea ſententia, *eum, qui natus eſt, Meſſiam.* Repudiavit iſtam interpreta-

tationem Iudæus, cauſatus, eum prædicari inibi felicem, qui perſpiciat *rem eventuram*. Poſt varia ultro citroque prolata argumenta critica, addidi, Talmudicos doctores haud inficiatos eſſe, ante ætatem ſuam iam veniſſe Meſſiam. Reſpondit Iudæus pro more, de Meſſia, filio *Ioſephi*, vel de *Hiskia*, iſthæc eſſe intelligenda & explicanda. Cœpi vero illi oſtendere, unicum a Prophetis prædefinitum fuiſſe Meſſiam, filium *Davidis*, eumque & humillimum ob expianda peccata noſtra, & ſummum, quia ſit ipſe Iehova, & ad gloriam, qua homo, evectus. Cum premerem Iudæum, Ebraicis Bibliis inſtructus & Codice Miſchnico, dilapſus tandem eſt ipſe ad nectendas obiectiones, quibus veritatem Novi Fœderis librorum proſcinderet, paululum excandeſcens. Declinavi tela propter aſſidentes, & tradidi nonnulla ipſi legenda ex libro אור לערב, *Lux ad veſperam*. Reddidit ipſe mihi librum paulo poſt, eumque a ſeſe iam lectum eſſe addidit. Tum vero ex doctrina Talmudica de Synedriis monere cœpi, accuſatos longe aliter fuiſſe tractandos, ac Iudæis fuerit per odia viſum, cum Ieſum in crucem ipſi egerint. Neminem huic fuiſſe adiunctum cauſæ patronum, res tumultuarie geſtas eſſe, dictionem iuris minus legitimam fuiſſe ex omni parte, nec tamen Iudæos poſthæc cauſam maiorum ſuorum perorâſſe unquam illo ævo, quo rei geſtæ memoria fuerit recens, & in orbe terrarum comperta. Tum vero, qui ignorabat patronum cauſæ ma-

lorum ſuorum ſatis idoneum & ſatis antiquum, protraxit libellum, e quo prælegit mihi dubia, quibus libri Fœderis Novi ex ſententia ſua premerentur. Enodavi pleraque ex tempore. Duo autem tentavi magis ſolvere, quam accurate ſatis exſolvi. Obiecit enim inter alia difficultates duas chronologicas, ex hoc loco depromtas, cauſſatus, nec *Saulum* regnaſſe quadraginta annos, nec annos Iudicum æquales fuiſſe annis 450. Addebat homo, *Lutherum* modo 450, modo 350, annos in interpretatione ſua poſuiſſe. Difficultatem priorem removi auctoritate *Ioſephi*; poſteriorem promiſi a me propediem diſſolutum iri, atque in manus ipſius perventuram. Notavi inter hæc Iudæi nomen & domicilium. Annus effluxit, antequam mihi ſatisfacerem. Literis tandem conſignavi enodationem meam qualemcunque teutonicis, quales adhibent Iudæi. Reſumſi poſthæc telam illam, eamque ſæpius retexui, donec tandem ea via, quam ingreſſus ſum in præſens, ad tranquillitatem mentis perveni. Elaboravi ſimul *Iudæum beavtontimorumenon*, qui iam pridem in *Miſcellaneis* hiſce apparuit, ne quid deeſſet armamenti eis, quibus cum Iudæis eſt verſandum. Cum vero animadvertiſſem, interpretes Chriſtianos in definiendis illis 450 Iudicum Ebræorum annis mirum in modum circumagi & iactari, conſilium cepi evulgandi cogitationes meas, ut vel alios rectiora docerem, & enodationem afferrem voto congruentem, vel ab aliis meliora edocerer. Hic eſt ille uſus ſingula-

gularis, quem exhibere aliis, vel ab aliis recipere, habui mecum conſtitutum. Oportet enim Chriſtianos, praecipue doctiores, difficultatem hanc ſolvere, & fidem Foederis Novi ab omnibus adverſariorum quorumcunque inſultibus defenſare ac tueri. Cur vero Iudaeus adhuc nihil mihi reſcripſerit, cauſam ignoro, niſi ipſe circumſpectione maluerit uti, quam diſputationem in terris noſtris periculoſam adhibere.

XVIII. Reſtat ſcrupulus ille, qui oppugnandis quadraginta annis regni *Sauli* a Iudaeis ſolet adhiberi. Sed levior ille eſt, licet a R. *Iſaaco*, filio *Abrahami*, a) iam in noſtros ſit coniectus. *Ioſephus* enim Iudaeus, quem Iudaei faciunt magni, luculente docuit, *Saulum* regnaſſe 40 annos b), 18 vivente *Samuele*, & 22 porro, hoc rebus humanis exemto. Perſuaſit ſibi B. *Ioannes Chriſtophorus Wolfius* c), annos 40 regni *Sauli* diſtinguendos eſſe ab annis Iudicum 540, voculamque ἐκεῖθεν, *exinde*, ad annos illos 40 trahendam, negavit. Colimus ac veneramur merita manesque Viri tanti, &, quantum ad poſterius attinet momentum, iudicio eius accedimus. Priorem vero ſententiam ſuffragio noſtro corroborare haud licet. Non neceſſum eſt, ut argumenta multa in aciem afferamus, quibus pugnemus & evincamus, opinionem illam ab ipſo calculo & numero annorum, quibus

a) In *Chiſſuk Emunah Part. II, 67.*
b) *Ant. Iud. Lib. XVI fin.*
c) In *Curis ad Act. XIII, 21, p. 1190.*

quibus Iudices Iudæorum populum moderati fuerunt, everti & profligari. Simul ac enim annos *Samuelis* ex ſumma annorum 450 eximimus, ſupererunt modo anni 400 admodum. Quæ ipſa ratio tanti eſt ponderis, ut facile ſit intellectu, annos *Samuelis* iudiciales a ſumma annorum illorum 450 amovendos haud eſſe. Et cur Iudicis *Samuelis* inter Iudæorum Iudices nulla habenda eſt ratio? Nonne & *Samuelem* Deus Iudicem dedit Iſraelitis? Ipſe profecto annos 30, & ultra, populo præfuit Iudex, antequam Iſraelitæ Regem flagitare cœperunt. Reliquum eſt, ut exſpectemus Lectorum iudicia, eorumque benevolentiæ nos commendemus.

Quæſtiones aliquot, Criticis Chriſtianis propoſitæ:

1. Quæritur, qui poſſit fieri, ut, duabus ædificii columnis dirutis, totum ædificium collabatur.
2. An in loco *Plinii V*, 23: *Cæle habet Apamiam, Marſya amne diviſam a Nazerinorum tetrarchia*, reſcribendum eſt *Nazhabenorum?*
3. Quæritur, an loca Avran & Haran nomine differant tantum, non re ipſa; & an Carræ, intra Meſopotamiam & Euphraten ſitæ, ſint Haran.
4. Quæritur, an Giblitæ, in hiſtoria *Salomonis* obvii, ſint incolæ Bybli Phœniciæ, an ſint Gabalenſes Aſcheritæ, an Gabalenſes Caſiotæ.

5. Quæritur, an *Tiphſach Salomonis* ſit *Tapſacus Scylacis*, id eſt, Orontes fluvius, an vero urbs Thapſacus ad Euphratem.

6. Quæritur, an gentes, *Esdr. IV*, 9, recenſitæ, ſint exquirendæ in Syria cis Orontem, oppidani ſcilicet urbium Sinnæ, Boramæ, Riblat, Aphacæ, Arcæ, Bybli, Dehabæ, & Calami.

7. Quæritur, an gentes, 2 *Reg. XVII*, 24, recenſitæ, ſint Byblii, Caſiotæ ad montem Caſium, & Abidæ, Heliopolis, & Boramæ incolæ.

8. Quæritur, an *Dan* & *Mebuſal* urbes, *Ezech. XXVII*, 19, memoratæ, ſint *Athenæ*, & *Maſſylia Gallorum*.

9. Quomodo exponenda ſint illa *Ezechielis* de terminis terræ, Abrahamidis promiſſæ, a Iudæis, Babylonico ex exilio reverſis, occupandæ, *Cap. XLVII*, 15-20? Quid ſibi volunt voces *inciſi* 17 צָפוּן צָפוֹנָה? An adytum, opertum, & aſylum *Apollinis* Daphnenſe prope Antiochiam, Oronti adiacentem, hic in cenſum venit; quod ſeptentriones verſus erat ſitum? Conf. *Ezech. XXXVIII*, 6.

10. Quæritur, an Seleucia, ad exitum Orontis ſita, ſit *Magog*. Ipſa olim nomen habuit *Aquæ Fluminum*, ὕδατος ποταμοὶ, teſte *Strabone*. An *ma*, ſeu *me*, eſt aqua? Et num *gog* ſunt *fluvii*? An Armenorum lingua in ſubſidium vocanda?

II.

PAVLI ERNESTI IABLONSKII SPICILEGIVM OBSERVATIONVM DE MIRACVLO LEGIONIS FVLMINATRICIS.

I.

Nemo eſt paulo humanior, aut qui hiſtoriam Eccleſiæ Chriſtianæ vel a limine tantum ſalutavit, cui miraculum, *Legioni fulminatrici* adſcribi ſolitum, dictum, aut auditum, non fuerit. Rei huius, ut breviter me expediam, talis refertur & ab antiquis, & a recentioribus, hiſtoria: a) *Imperator Marcus Aurelius Antoninus*, cui poſteritas cognomen *Philoſophi* indidit, *acri cum Quadis*, *Germaniæ populo, bello implicitus*, *locorumque difficultatibus ita ſeptus, ut cum univerſo exercitu in extremo verſaretur diſcrimine*, *ipſe cum ſuis in ſumma aquæ penuria, fervido ſole*, *torridoque ſolo, ſæva ſiti laborans*, *hoſtibus interim pugnæ copiam non facientibus, conſiliis ſuis omnibus excuſſus, noviſſima quæque exſpectabat. Hoc rerum cardine accedit ad eum Prætorianorum Præfectus, ſubmonens, eſſe in exercitu* LEGIONEM MELITENAM, *Chriſtianis conſtantem mili-*

a) HERMANNVS WITSIVS in Diatriba *de Legione Fulminatrice Chriſtianorum* §. 5.

litibus: nihilque eſſe, quod hi, qui Chriſtiani dicuntur, precibus ſuis impetrare non valeant. Qua re cognita, Marcum ab eo petiiſſe narrant, ut Deo ſupplicarent. Illi igitur, cum genibus humi poſitis toti ſe ad ſupplicandum convertiſſent, derepente fulminum, cælo ruentium, impetus, & grando ignis ſpecie ac ſimilitudine, hoſtes, in fugam verſos, magnam partem interemit, & inſperata prorſus frigidiſſimorum imbrium copia Romanos, ſiti confectos, focillavit. Addunt, *Legionem Melitenam*, ex hoc mirabili eventu, cognomen *fulminatricis* conſecutam eſſe; Imperatorem vero, qui, exercitu recreato, & ad quidvis audendum iam parato, hoſtes facile in fugam coniecit, cœtui Chriſtianorum mirabiliter conciliatum fuiſſe, eosque literis ad Senatum datis, quibus res omnis, uti geſta erat, enarrabatur, laudibus eximiis ornaſſe. Qui primi eventus huius mentionem fecerunt, in referendis illius circumſtantiis parciores ſunt atque modeſtiores. Succeſſu temporis alii ad ornandam hiſtoriam adeo memorabilem, rebusque Chriſtianorum tam exquiſite faventem, plura paulatim addiderunt. A tempore vero Seculi IV, hiſtoria hæc, eo, quo nunc eam retulimus, modo, ab omnibus per longam ſeculorum ſeriem credita conſtanter, & ut indubie vera admiſſa eſt, donec tandem poſt inſtauratas literas Seculo XVI & XVII b) viri & doctrina & ingenio mirabilem

b) IOSEPHUS SCALIGER *Animadverſ. ad Euſebii Chronicon p. 222, 223*, HENR. VALESIUS in Notis ad *Euſebii Hiſtor. Eccleſ. Lib. V Cap. 5.*

lem in modum perpoliti, poſt inſtitutum ſerium & accuratum rei huius examen, obſervaſſent, non leve eſſe Scriptorum veterum, qui nobis hiſtoriam hanc literis prodiderunt, & inter ſe, & cum monumentis hiſtoriæ certiſſimis, diſſidium, quod c) alios compulit, ut in rem eandem omni mentis niſu, &, qua potuerunt, induſtria, ſollicite inquirerent; unde factum eſt, ut hodie quivis veritatis amans, dummodo vires ingenii eum non plane deſtituant, ſi mediocrem tantum diligentiam adhibere velit, de toto hoc negotio iudicium certum tuto ferre queat.

II. Ex obſervationibus virorum egregiorum ſole meridiano clarius pateſcit, partem huius hiſtoriæ talem eſſe, ut a prudenti homine in dubium vocari prorſus nequeat. Nam exercitum Romanum, cui præerat ipſe Imperator *M. Aurelius Antoninus*, in bello adverſus Quados ab hoſti-

c) Nota ſunt virorum eruditiſſimorum in hoc argumento ſcripta edita: HERM. WITSII Diatribe *de Legione Fulminatrice*, ſubiuncta eiusdem *Ægyptiacis*, DANIELIS LARROQVANI Diſſertatio *de Miraculo, Legioni fulminatrici perperam adſcripto*, ad calcem *Adverſariorum* MATTH. LARROQVANI edita; quibus iungenda omnino PETRI KINGII & GVALTHERI MOYLEI ſuper eodem argumento Diſputatio, quæ, ex Anglico in Latinum ſermonem converſa, Venerabilis MOSHEMII *Syntagmati Diſſertationum, ad diſciplinas ſanctiores pertinentium*, adiecta legitur. Denique GVILIELMVS WHISTONVS Diatriben Anglicam, *of the* THANDERING LEGION &c. luci expoſuit Londini A. 1726.

hoſtibus in anguſtis montium faucibus circumventum, ſummaque inopia aquæ preſſum, tantum ſubiiſſe diſcrimen, ut tantum non de ſalute deſperandum eſſet, uno ore teſtantur Scriptores illius & ſecuti ævi non pauci, idque monumenta alia, quæ ætatem tulerunt, valide confirmant. Neque etiam negari a quoquam poterit, in maſſis his extremis, ſingulari optimi Numinis beneficio, pluviam exoptatam, & vere auream, militem Romanum mirabiliter recreaſſe, eique ad propellendum hoſtem vires novas addidiſſe. Id enim non modo teſtimonio Hiſtoricorum omnium nititur, ſed & præter hos teſtem habemus omni exceptione maiorem, Imperatorem ipſum, qui magni huius beneficii divini memoriam, & nummis eo fine percuſſis, & in columna *Antoniniana*, Romæ etiamnum ſuperſtite, ad ſeros poſteros transmittere, æquum duxit. Eo vero tempore, numerum Chriſtianorum, qui caſtra Romana ſequerentur, fuiſſe non exiguum, multis modis teſtatum, & a d) viris eruditis probatum, eſt. Poteſtne autem dubium cuiquam eſſe, Chriſti cultores, in exercitu *Aurelii Antonini* militantes, cum viderent, ad quas incitas & ipſi, & totus exercitus, cum ipſo Imperatore redacti eſſent, piis, fervidis, continuisque, precibus miſericordiam Dei imploraſſe, & cum aliqua fiducia ereptionem e tantis malis ab illius infinita bonitate ſibi pollicitos eſſe. Etenim mores illorum temporum, quibus Chriſtiani non

d) Vide Witsii Diatriben laudatam §. 42, 43, 44.

non naſcebantur, ſed fiebant, ex intima quippe & invicta mentis convictione utplurimum ad fidem Chriſti converſi, ex eo, quod hodie fit, æſtimare utique & dijudicare non oportet. Et, ſi res ita ſe habuit, quod mihi dubiis obnoxium non eſſe videtur, ex eo nobis concludere ſummo iure licebit, Chriſtianos firmiter perſuaſos tum fuiſſe, pluviam, deinde ad ſolandum exercitum inſecutam, non ordini cuipiam cauſarum ſecundarum naturali, verum ſpeciali miſericordiæ & benignitati divinæ, precibus ſuis commotæ, in acceptis unice ferendam eſſe. Certe, Romanos, cultui idolorum adhucdum deditos, ita ſenſiſſe, pluviamque hanc non cauſis naturalibus, verum favori Deorum ſingulari, eorumque auxilio extraordinario, attribuiſſe, monumenta illius ævi, omni fide digniſſima, pleniſſime teſtantur. Culpari igitur nullo iure optimi cultores Chriſti poſſunt, cum pluviam illam mirabilem, in qua illo ævo omnes atque ſinguli exquiſitam quandam divinæ providentiæ ac benevolentiæ induſtriam libenter agnoſcebant, in ſuis precumque ſuarum rationibus poſuerint. Quid? an tam conſpicuos beneficentiæ divinæ effectus tribuerent magicis artibus, incantationibus, aut etiam precibus non puris, neque ſanctis, infidelium? Bene noverant, e) *Deum peccatores non audire.* Nihil itaque ſupererat, niſi ut memores promiſſionis divinæ *Iacobi V, 16, multum apud ſe valituram deprecationem iuſti aſſiduam*, pie

crede-

e) *Ioan. IX, 31.*

crederent, preces ſuas, e corde puro, in fide viva, & aſſidue, ad Deum fuſas, multum etiam nunc apud eum potuiſſe, atque ex eius infinita gratia ſibi totique Romano exercitui ſalutem peperiſſe. Cum vero iidem domum reverſi eſſent, eaque de re multa cum gratiarum actione, Deique glorificatione, inter ſuos ſæpe & libenter retuliſſent; mirum profecto non eſt, quod illa perſuaſio inter cultores Chriſti ubique ſe diffuderit, & animis eorum alte infixa ſederit.

III. Huc usque omnia bene. Sed fieri vix aliter poterat, quam ut, cum res tanta apud Chriſtianos omnes, ſive eſſent ſortis primariæ, ſive plebeii, ſive docti eſſent, ſive indocti, ſeu prudentia valerent, ſeu minus, crebris iactaretur repeteretur que ſermonibus, veris paulatim admiſcerentur talia, quorum falſitatem nunc pervidere, & demonſtrare etiam, valemus. Non dubito quidem, quin primo multa ex errore & ignorantia bona fide tanquam indubie vera vulgata, & ſparſa paſſim, fuerint, quæ ſecus omnino ſe habuiſſe, eruditorum diligentia manifeſtum fecit; ſed neque id prudens quisquam facile inficiabitur, acceſſiſſe ad priorum errores, tempore præſertim inſecuto, aliorum pias fraudes, quibus ſcientes, & ſtudio, lectori fucum facere voluerunt. Ad iſtiusmodi, in hiſtoria hac, falſa, quæ ſoli errori & ignorantiæ originem ſuam debent, referendum eſſe exiſtimem, quod Legio illa, ex militibus Chriſtianis compoſita, quæ precibus ſuis Romanis quidem a Deo plu-

viam

viam ſalutarem, in hoſtes vero ſæva fulmina, impetraverit, in perpetuam eventus huius memoriam *fulminatrix* cognominata fuerit. Primus, apud quem rei huius mentionem deprehendimus, eſt Clavdivs Apollinaris, Hierapolitanus in Phrygia Epiſcopus, Scriptor eiusdem ævi, & qui Imperatori *Marco Aurelio Antonino* Apologiam pro Chriſtianis obtulit. Is autem, * incertum, in quo libro, ea de Legione Fulminatrice ſcripſerat, quæ Evsebivs affert in *Hiſt. Eccleſ. Lib. V Cap. V*, videlicet τὴν δ' εὐχῆς τὸ παράδοξον πεποιηκυῖαν λεγεῶνα, οἰκείαν τῷ γεγονότι πρὸς τοῦ βασιλέως εἰληφέναι προσηγορίαν, κεραυνοβόλον τῇ Ῥωμαίων ἐπικληθεῖσαν φωνῇ. *Legionem ipſam, cuius precibus id miraculum perpetratum eſt, exinde, congruo rei vocabulo, fulmineam, ſermone Romano, ab Imperatore cognominatam eſſe.* Credisne, Lector, meritiſſimum hunc virum, ac veteribus tam impenſe laudatum, talia aut ad Imperatorem, aut quomodocunque, ſcripturum fuiſſe, niſi optima fide, & conſcientiæ dictamen ſecutus, egiſſet? An non res hæc contigerat ſpectante ipſo Imperatore, & præter eum tot hominum millibus, quorum pleri-

* Quoniam Evsebivs non ſcribit, ex quo Epiſcopi Hieropolitani libro locus ille ſit deſumtus, Gvaltherivs Moylivs in Diſceptatione *de Miraculo Legionis Fulminatricis*, *p.* 765 edit. *Moshem.* locum ipſum ſuſpectum reddere conatus eſt, non diſſentiente Petro Kingio *ibid. p.* 762.

plerique, ut credere par eſt, tum etiamnum in vivis erant, & qui ipſum non ſine ingenti ignominia fraudis ac mendacii coarguere potuiſſent? Aliter itaque, quam ſic, ſtatuere cordato homini non licet, *Apollinarem* ea, quæ ſcripſerat, ut vera admiſiſſe. Et tamen, eam hanc a veritate penitus remotam eſſe, viri * doctiſſimi ſic demonſtrarunt, ut iuſta dubitandi cauſa ſupereſſe nemini queat. Nam quis ſibi perſuadeat, tempore illo, in caſtris *Marci* Imperatoris Legionem militaſſe, totam e Chriſtianis compoſitam, eamque, cernentibus cunctis, ritu ſuo, Deo ſupplicaſſe? Non erat itaque Legio, cui ob tale beneficium nomen huiusmodi imponi potuiſſet. Sed & id certum eſt, militem Romanum aut fulmina tum temporis nulla omnino vidiſſe, aut certe illis ſalutem ſuam non in acceptis tuliſſe. Nam in Columna Antoniniana, æterno rei huius monumento, quam accurate æri inciſam BELLORIVS Romæ edidit, pluvia quidem exoptata, a Romanis avide, & cum gaudio, excepta, animadvertitur, ſed fulminum nulla illic adſunt veſtigia. Hinc TERTVLLIANVS ** ad miracu-

* SCALIGER & VALESIVS, uti ſupra, DANIEL LARROQVANVS in Diatriba laudata, PAGIVS in *Critica Annalium Baronii ad A. C. 174. num. II.* Inprimis vero argumentum hoc exquiſita diligentia excuſſum videbis in MOYLII & KINGII Diſceptationibus amœbeis *de miraculo Legionis fulminatricis* a *pag.* 758 ad 776 edit. *Mosbem.*

** In *Apologetico Cap. V*, & *adverſus Scapulam Cap. IV.*

iaculum hos provocans, pluviam omnino, at fulmina nulla, commemorat. Inprimis id liquido demonſtrarunt f) viri ſummi, fuiſſe quidem inter legiones imperii Romani aliquam & unicam tantum, quæ nomen fulminatricis geſſerit, ſed illud diu ante *Marci Antonini* ætatem inditum ei fuiſſe, unde fieri non potuit, ut nomen idem bello demum Quadico acceperit. Non tamen crediderim, ea, quæ de fulminibus in hac hiſtoria narrantur, penitus & in univerſum conficta fuiſſe. Solent imbres æſtivi, copioſi præſertim ac vehementes, fulmina plerumque ſecum vehere. Vero mihi perquam ſimile videtur, id etiam in imbre illo mirabili uſu veniſſe. Verum, quoniam fulmina, imbri huic admixta, videntur fuiſſe rara & citó tranſeuntia, ex quibus nec miles Romanus commodum, nec hoſtis detrimentum, percepit, illius in columna triumphali mentionem fieri non placuit. Sed videtur rumor de fulminibus imbri admixtis non tantum ubique & confeſtim ſparſus, verum etiam a multis ita acceptus fuiſſe, tanquam fulmina Romano militi non minus auxilium præſtitiſſent, quam imber. Huiusmodi rumor, etſi veritati minus conſentaneus, etiam ad aures *Apollinaris*, ut credere par eſt, pervenit, g) Ipſi certe ſcriptores pagani, ad famam hanc vulgandam,

f) Vide inprimis VALESIVM l. c.

g) CAPITOLINVS in *Vita M. Aurelii Antonini Cap.* 24. CLAVDIANVS *de ſexto Conſulatu Honorii V*, 342, &c.

ctam, & quoquo verſus diſpergendam, non ſa-
nius contuliſſe, quam Chriſtiani. Alia huius
generis malo præterire, ut ad id progredi que-
am, cuius cauſa hanc potiſſimum in me opel-
lam ſuſcepi.

IV. Eſt nempe alius error, qui in hanc hi-
ſtoriam ſe inſinuavit, & qui rebus, illo tempore
geſtis, multo evidentius contradicit. Narrant
nempe Scriptores Chriſtiani, Imp. *M. Aure-
lium Antoninum*, viſo miraculo, per preces Chri-
ſtianorum a Deo impetrato, ipſis mirifice con-
ciliatum fuiſſe, eorumque cauſam per literas Se-
natui commendaſſe. Veroſimile eſt, CLAV-
DIVM APOLLINAREM, de quo dixi *§. III*, rem
hanc *Marco* Imperatori in memoriam revocaſſe.
TERTVLLIANVS certe, qui non ita diu poſt
floruit, in *Apologetico*, quem Proconſuli A-
fricæ, & Præſidibus Provinciarum, obtulit, de
re hac loquitur, ut certa, & penitus indubia.
Verba eius *Cap. V* ita ſe habent: *At nos e
contrario edimus Protectorem; ſi literæ M.
Aurelii Imperatoris requirantur, quibus, illam
Germanicam ſitim, Chriſtianorum forte mili-
tum precationibus impetrato imbri, diſcuſſam,
conteſtatur.* Ex TERTVLLIANO id refert *)
EVSEBIVS, & ex utroque Scriptores alii ſe-
quioris ævi, quos non moramur. Exſtat ſane
*Epiſtola Marci Imperatoris ad Senatum Ro-
manum*,

*) *Hiſt. Eccleſ. Lib. V Cap. V*, & in *Chron. Lib. I
p.* 451, & *Lib. II p.* 170 edit. *Scalig.*

manum, qua teſtatur, Chriſtianos victoriæ Romanorum contra barbaros cauſam fuiſſe, ſubtexta *Apologiæ Iuſtini Martyris*, quæ vulgo dicitur *ſecunda, p.* 101. At dudum iam eſt, quod fraus nimis aperta, quam impoſtor indoctus in fingenda illa Epiſtola admiſit, viris i) ſummis ſuboluit, qui proinde, eam ab homine non Græco, verum ſemibarbaro, conſcribillatam eſſe, ex merito iudicant. Non equidem nego, exſtitiſſe olim literas, ab Imperatore ad Senatum datas, quibus ipſi victoriam, de Quadis reportatam, & quibus mediis illa impetrata fuerit, ordine ſignificavit. Forte Chriſtiani quidam, cum perſuaſum ipſis eſſet, omnia precibus ſuorum obtenta eſſe, ſibi ſunt imaginati, Imperatorem rei huius ignarum non eſſe, neque id in literis ad Senatum datis reticuiſſe, quæ fama poſtea ad alios dimanavit, ac tandem in literas quoque relata eſt. Unde dubitandum non eſt, TERTVLLIANVM quoque, dum ad literas *Marci* Imp. provocavit, fide egiſſe optima, etſi deceptum ab aliis, inque errorem inductum. At non eſt cordatus quiſquam & rerum tempore illo geſtarum gnarus, qui perſuaderi ſibi ſinet, *Marcum* Imperato-

 rem

i) SCALIGER loc. cit. SALMASIVS in Notis ad CAPITOLINVM T. I *Scriptorum Hiſtoriæ Aug. p.* 383. BLONDELLVS & HVETIVS, citati a WITHO in Diatriba laudata §. 19. & SPANHEMIVS in *Hiſtoria Chriſtiana Seculi II* col. 662, PAGIVS loc. cit. & alii.

rem beneficium illud; cui exercitus, & ipſa Reſpublica Romana, ſalutem ſuam tum debuit; pietati precibusque Chriſtianorum imputare, eorumque ideo cauſam Senatui de meliori nota commendare, voluiſſe. Nam, Imperatorem ipſum, & dum in ancipiti adhuc verſaretur res Romana, & poſt acceptum iam divinitus inſigne liberationis beneficium, longe aliter ſenſiſſe, certum eſt, ſi ulla eſt in rebus hiſtoricis, & ipſis adeo monumentis publicis, fides & certitudo. Pro candore ſuo id fatetur, hiſtoriæ Chriſtianæ parens, Scriptor accuratiſſimus & iudicii exaſciati, Evsebivs, *Hiſt. Eccleſ. Lib. V Cap. V. Gentilium ſcriptores*, inquit, *utpote a religione noſtra diſſidentes, hoc quidem miraculum commemorarunt; non tamen id noſtrorum precibus factum eſſe, confeſſi ſunt.* Imperatorem tum quidem temporis ne magicis quidem artibus uti dedignatum eſſe in caſtris, iisque, ubi voti eſſet compos factus, non parum tribuiſſe, quicquid etiam Scriptores quidam tum veteres, tum recentiores, cavillentur, res ipſa loquitur, & teſtimoniis invicti roboris probahitur infra *ſ. IX.* Sed cum artibus magicis præſtigiatorum, qui ſibi familiare quoddam cum Diis commercium, & vim adeo mirabilem ad cogendos eos, arrogabant, Imperator tamen, preces etiam ſuas ad Deos Romanos coniungendas eſſe, conſultum putavit. Ivlii Capitolini ea de re hæc ſunt verba in vita eius *Cap. 24: Fulmen de*

cælo precibus ſuis contra hoſtium machinamentum extorſit, ſuis pluvia impetrata, cum ſiti laborarent. Locus exſtat de re eadem inprimis luculentus apud THEMISTIVM, egregium & Oratorem & Philoſophum, *Orat. XV, p.* 191 edit. *Harduini: Cum Antonini, Romanorum Imperatoris, ſiti laboraret exercitus, manus ille ad cælum erexit, hac ego manu, inquiens, ſupplex te placare volui — — eaque prece divinum ſibi placaſſe Numen, ac ſtatim, ſerenitate facta, magna imbrium copia ad militarem ſedandam ſitim erupit. Cuius rei deſcriptam in imagine picturam videre memini, in qua media in phalange pictus erat Imperator, milites vero imbrem galeis excipientes, divinitus conceſſo liquore, ſitim explebant.* Et re ipſa, Imperatorem hunc *Iovi*, ac ſigillatim *Iovi Pluvio*, tanquam qui preces ſuas audiverit, ſeque voti compotem reddiderit, grates publice perſolviſſe, teſtis eſt locupletiſſimus, *Columna Antoniniana*, æternum rei huius, quam diſtincte repræſentat, monumentum. Neque tamen uni tantum *Iovi* ſe pro tanto beneficio obſtrictum eſſe, ſolenniter teſtatus eſt; verum huic etiam adiunxit *Mercurium*, cui in caſtris quoque, dum adhucdum immineret periculum, ſacra facta fuiſſe, conceptis verbis docet *) DIO CASSIVS, Hiſtoricus nobiliſſimus. Et **) exſtat in

*) In Excerptis XIPHILINI in *Vita Marci Antonini p.* 262 edit. Græc. *Roberti Stephani.*

**) ANTONIVS PAGI in *Critica Annalium Baronii ad*

Gaza Pariſienſi *Nummus argenteus inſcriptus* M. ANTONINVS AVG. TR. P. XXVIII. *Viſitur caput Antonini laureatum. In poſtica* RELIG. AVG. IMP. VI. COS. III. *id eſt*, Religio Auguſti. *Cernitur Mercurius ſtans, qui dextra pateram, & ſiniſtra caduceum, tenet. Tribunitiam poteſtatem XXVIII anno CLXXIV iniit. Quare, cum Xiphilinus ſcribat, dicere Dionem, Marcum hanc pluviam Mercurio, cuius cultus ſtudioſus erat, attribuiſſe; is nummus Dionis fidei teſtis.* Unicum illud hic tantum moneo, Xiphilinum nihil niſi hoc referre, in caſtris *Marci* Imp. Aegyptium quendam *Mercurio* ſacra feciſſe. At nummus, a Pagio productus, liquido declarat, Imperatorem Deo huic beneficium pluviæ tribuiſſe. Ex his igitur ſatis liquere arbitror, Imperatorem decantatum pluviæ beneficium ſolis ſuis aliorumque precibus, & auxilio Deorum ſuorum, in acceptis tuliſſe, idque ſemper ac ſolenniter, in monumentis etiam publicis, teſtari voluiſſe. Poteritne iam credi, eum in literis, ad Senatum datis, totius huius rei gloriam a ſe, militibus ſuis, ſuisque Diis, ad Chriſtianos, quos antea perſecutus erat, & perſequi poſthac etiam perrexit, eorumque Deum, transferre voluiſſe? Mihi certe id non videtur. Quid? An non literis his aperte contradixiſſent ea, quæ de hac re teſtatus ſemper eſt, & quæ de eo teſtantur

Scri-

A. C. 174 num. 2, Morellvs in *Specimine rei antiquæ nummariæ p. 203.*

Scriptores allati? An non iis contradicerent monumenta huius rei publica, & ipſius Imperatoris iuſſu in perpetuam memoriam erecta? An non contradixiſſet perſecutio, qua innocentes Chriſtianos quaquaverſum miſeris modis affligi, atque excruciari, paſſus eſt? inprimis cum certo certius ſit, *) anno ab excepta miraculoſa illa pluvia tertio, Chriſti, ſecundum æram vulgarem, CLXXVII, perſecutionem adverſus Chriſti gregem, **) ex decreto ipſius Imperatoris multo atrocius ac terribilius ſæviiſſe, quam antea eo imperante unquam.

V. Sic ſatis liquere puto, *Marcum* Imperatorem, adverſus Quados militantem, neque pluviam illam beneficam precibus Chriſtianorum imputaſſe, neque deinceps cœtui ipſorum conciliatum fuiſſe. Perſecutiones enim adverſus Chriſtianum gregem imperante *Marco* paſſim excitatæ, ***) non niſi cum illius imperio & vita finem ſortitæ eſſe videntur. Quæ ſi ita ſe habent, quæri non citra rationem poterit, quomodo cum his, quæ adſtruximus, bona fides, pietas ſolida, ſtudiumque veri, Chriſtianorum illius & ſecuti ævi, conciliari queat. Id igitur nego-

*) Vide *Pagium ad annum 177 num. 2 &c.*

**) *Epiſtola Lugdunenſium & Viennenſium* de ſuorum martyriis apud EUSEBIUM *Hiſt. Eccleſ. Lib. V Cap. I p. 152.*

***) Ceſſarunt nempe anno primo *Commodi, Marci* filii & ſucceſſoris. Vide MOYLIUM *de Legione Fulminatrice p. 316 & 336.*

negotii hic mihi datum eſſe putabo, ut rationes aperiam, quæ evincant, majores noſtros, dum beneficium pluviæ, exercitui Romano, adverſus Quados militanti, tam ſalutaris, ſuorum precibus tribuerunt, & ſavorem & benevolentiam Imperatoris ab eo tempore ſibi conciliatam fuiſſe, ſcripſerunt, nihil egiſſe a bona fide pietatisque ſtudio alienum. Et primo quidem ante omnia illud mihi hoc loco repetendum eſt, quod §. II iam inculcavi, milites Chriſtianos, in exercitu Imperatoris adverſus Quados militantes, qui ſuæ pietatis, & fervidarum precum, continuo ad Deum fuſarum, bene ſibi conſcii erant, beneficium pluviæ non potuiſſe non precibus ſuis, & auxilio veri Dei, per preces has impetrato, in acceptis referre, eosque poſtea famam rei huius quoquoverſum transmiſiſſe. An non credere proclive eſt, Chriſtianos, ubicunque locorum viverent, magnum hoc beneficium Dei, de cuius veritate erant intime perſuaſi, & cui in ipſa regina urbium omnium, Roma, æternum monumentum erat conſecratum, inter ſuos aſſidue celebraſſe, eiusque memoriam liberis poſteriſque ſuis ſerio & ſæpe inculcaſſe? Id eorum, quæ dicenda mihi nunc ſunt, fundamentum pono ſolidum & firmum. Si deinde reperti ſunt, qui fundamento huic, nexu ſaltem ſpecioſo ac veroſimili, facta ſuperſtruxerunt, quæ re ipſa huc non ſpectant, id vehementer non mirandum,

dum, neque cauſæ Chriſtian
afferre cenſeri debet.

VI. Inter hæc facta prim
morandum puto, quod omnes
cum Imperatorem Chriſti culto
ſingulari favore proſecutum, idque
blico, epiſtola, vel reſcripto, ad con
concilium, ſolenniter teſtatum fuiſſ Reſcriptum hoc, quod juſſu Imperatoris Epheſi propoſitum fuerat, paucis annis poſt, Melito, qui in vicinia Sardenſium Eccleſiæ præerat, Apologetico ſuo ad *L. Aurelium Verum* Imp. inſeruerat, ex quo idem repetit Evsebivs *Hiſt. Eccleſ. Lib. IV Cap. 13.* Provocat ad illud Tertullianvs, *Melitone* nonnihil junior, in *Apologetico Cap. V*: *Sicut Marcus Aurelius non palam ab eiusmodi hominibus* (Chriſtianos innuens) *pœnam dimovit; ita alio modo palam diſperſit, adiecta etiam accuſatoribus damnatione, & quidem tetriore.* Reſpicit nempe ad hæc Reſcripti Cæſarei verba: *Quodſi quis adhuc pergit cuiquam illorum negotium faceſſere, ex eo, quod Chriſtianus ſit, delatus quidem, crimine abſolvatur, tametſi conſtet, eum re ipſa Chriſtianum eſſe. Delator autem ipſe pœnas luat.* Quando autem *Tertullianus* ſcribit, Imperatorem *accuſatoribus damnationem addidiſſe, & quidem tetriorem,* id quidem in ipſo Reſcripto non legit, verum in animo videtur habuiſſe, quod non ita diu ante, imperante *Commodo*, *Marci Aurelii* filio,

Romæ evenerat. Illic enim k) *Apollonio, cuidam e fidelibus, ſuſcitatus erat accuſator; homo quidam perditiſſimus: ſed miſer iſte, intempeſtive ſuſcepta accuſatione, cum, ex Imperatoris edicto, capitalis pœna in eos, qui talia detuliſſent, eſſet conſtituta, confeſtim, fractis cruribus, occiditur.* Reſcriptum illud ad commune Aſiæ concilium Eusebius, qui *Antoninos* plus ſemel inter ſe confudit, tribuit *Antonino Pio*, eiusque errorem ex eruditis quidam fecere ſuum. Verum titulus, quo in Reſcripto condecoratur Imperator, *Imperator Cæſar, M. Aurelius Antoninus, Aug. Armenicus, Pontifex Maximus, Tribunitiæ Poteſtatis XV, Conſul III,* quod accute ſubodorati l) ſunt viri doctiſſimi, arguit luculenter, eius auctorem eſſe non *Antoninum Pium*, ſed *Marcum Aurelium Antoninum*. *Valeſius* exiſtimavit, Reſcriptum hoc publicatum fuiſſe anno primo imperii *Marci*. Idque veri ſpecie deſtitutum non eſt. Videtur enim Imperator, dum *Antonini Pii*, a quo fuerat adoptatus, res geſtæ in recenti memoria eſſent, in ipſis imperii ſui initiis Chriſtianis favorem, quo ille complexus eos erat, denegare quoque noluiſſe. Et id ſane verba huius ipſius Reſcripti teſtantur: *Porro de his hominibus plurimi Provincia-*

k) Eusebius *Hiſt. Eccleſ. Lib. V Cap. 21*, ubi conſulendæ ſunt notæ Valesii.

l) Valesius ad *Euſebium Lib. IV Cap. 13*; Pagius ad *A. C. 152 n. 4 & 5.*

tiarum rectores Divo patri noſtro antea ſcripſerunt. Quibus ille reſcripſit, eiusmodi homines nulla moleſtia afficiendos eſſe, niſi forte contra ſtatum imperii Romani aliquid moliri viderentur. Verum rationes, quibus PAGIVS evincere anniſus eſt, Reſcriptum illud in annum imperii *Marci* nonum, Chriſti CLXIX; reiiciendum eſſe, tanti roboris mihi eſſe videntur, ut validi nihil reponi illis queat. Reſcriptum itaque *Marci* Imperatoris, favoris & benevolentiæ in Chriſtianos plenum, non niſi quinque annis pluviam illam mirabilem in Germania anteceſſit, unde tanto facilius Chriſtiani perſuadere ſibi potuerunt, Imperatorem animo a ſuis non eſſe, aut fuiſſe, alienum, ipſosque poſtea, ubi occaſio ferret, protectione ſua dignari ſolitum fuiſſe. Quodſi autem tempore belli Quadici eo eſſet Imperator in Chriſtianos animo, uti profecto non poterat non omnibus videri, perquam ſimile etiam vero erat, Imperatorem hunc pluviam ſalutarem, precibus Chriſtianorum obtentam, quippe quod illis erat perſuaſiſſimum, in literis, ad Senatum hac de re ſcriptis, cum commendatione Chriſtianorum, omiſſurum non fuiſſe, etſi verba, quibus in Epiſtola illa uſus eſt Imperator, nemo ex veteribus retulerit. Nam adulterinæ illius Epiſtolæ, de qua §. IV diximus, nulla hic haberi poteſt ratio.

VII. Videtur autem Imperator, circa tempus belli Quadici, aut paulo ante, artibus Philoſo-

pho-

phorum quorundam, a cauſa Chriſtianorum ſenſim, ac veluti per gradus, alienatus fuiſſe. Mutatæ illius, Imperatoris huius, in Chriſtianos voluntatis veſtigia, non ita obſcura, in Libris, quos de ſe ipſo ad ſe ipſum ſcripſit, deprehendere licet. Illos vero, durante bello Quadico, e calamo Imperatoris profectos eſſe, teſtem habemus Imperatorem ipſum, in fine *Libri I & II*, & viri m) eruditi dudum obſervarunt. In illis igitur & hæ Imperatori de Chriſtianis excidere voces *Lib. XI §. 3*: Οἵα ἐστὶν ἡ ψυχὴ ἡ ἕτοιμος, ἐὰν ἤδη ἀπολυθῆναι δέῃ τοῦ σώματος, καὶ ἤτοι σβεσθῆναι, ἢ σκεδασθῆναι, ἢ συμμεῖναι· τὸ δὲ ἕτοιμον τοῦτο, ἵνα ἀπὸ ἰδικῆς κρίσεως ἔρχηται, μὴ κατὰ ψιλὴν παράταξιν, ὡς οἱ Χριστιανοί, ἀλλὰ λελογισμένως. *Cuius quidem indolis ea eſt anima, quæ parata eſt, iam ſtatim, ſi oportuerit, e corpore migrare, & vel exſtingui, vel diſpergi, vel permanere. Ita paratam dico, ut a proprio iudicio promtitudo hæc profluat, non ab obſtinatione mera, prout Chriſtianis facere in more eſt: ſed ut mortem obeas conſiderate & compoſite.* Vides, Imperatorem admirabilem Chriſtianorum illius ævi conſtantiam, qua ad ſubeundam propter nomen Domini mortem quamvis, etiam atrociſſimam & ignominioſiſſimam, parati ſemper erant, contemnere, & propemodum de ridiculo habere. Laudat eos, qui, ubi oportet e vita migrare, ad id parati ſunt,

dum-

m) Fabricius *Biblioth. Græca Vol. IV p. 24. 25.*

dummodo id fiat ἰδικῇ κρίσει, *e rationali & firmo propriæ mentis iudicio*, non vero ἐκ παρατάξεως, quam Chriſtianis tribuit. Hæc vox Lucae Holstenio nondum videbatur hactenus recte explicata, unde in Diſſert. II *in locum quendam Concilii Nicæni* optat, ut *) *enucleatius diſquiratur, quid iſta verba*, κατὰ τὴν ψιλὴν παράταξιν, *ſibi velint.* Verſio Latina, etiam in editionibus Merici Casavboni, & Thomae Gattakeri, vocem hanc Latine reddidit *obſtinationem.* Et multa præclare viri illi doctiſſimi ad hunc locum, de *obſtinatione*, quam Chriſtianis tribuunt gentiles, commentantur. Sed neque mihi tamen vox illa Græcam plene exprimere videtur. Obſervandum igitur, Imperatorem παράταξιν Chriſtianorum opponere τῇ ἰδικῇ κρίσει, *proprio mentis iudicio.* Ubi igitur eſt παράταξις, ibi quis, ſecundum Imperatorem, non proprium mentis ſuæ, ſed alienum, iudicium ſequitur. Obſtinatio vero poteſt ſoletque oriri ex proprio mentis iudicio & propoſito. Nempe παράταξις eſt verbum tacticum, & ſæpe ſumitur de acie, ubi unicuique ſuus locus, ſuaque functio, a duce exercitus aſſignatur. Non licet illic militi proprium mentis iudicium ſequi, cuncti imperio ducis parent, ex cuius ordinatione omnia pendent. Per παράταξιν igitur, Chriſtianis tributam, *Marcus Antoninus* deſignat id, quod Chriſtianis omnibus

*) In Annotat. H. Valesii ad *Scriptores Hiſt. Eccleſ.* T. III p. 291.

bus tum temporis doctores eccleſiaſtici a teneris unguiculis inculcare, ac animis infigere, ſolebant, *moriendum eſſe, ſi neceſſitas poſtulet, propter Chriſtum; ad confirmandum & obſignandum eius doctrinam, hancque eſſe viam ad veram gloriam, & æternam animæ beatitudinem.* Concludebat inde Imperator, Chriſtianos, dum conſtanter & cum gaudio mortem oppeterent, non tam obtemperare dictamini rectæ rationis, & propriæ mentis iudicio, quam mandatis eccleſiaſticis Doctorum ſuorum, quæ altas in ipſorum animis radices egiſſent. Iudicabat igitur, hanc ad moriendum promtitudinem ne ipſa rationi adverſari, ac vere ſtultam eſſe. Idem de hac re iudicium tulerat quoque EPICTETVS, Imperatori noſtro perdilectus. Ignotus non eſt huius egregii ceteroquin Philoſophi locus in Diſſertationibus ARRIANI *Lib. IV Cap. VII* p. 400 edit. Anglicæ: Ὑπὸ μανίας μὲν δύναταί τις οὕτω διατεθῆναι πρὸς ταῦτα, καὶ ὑπὸ ἔθους *) οἱ Γαλιλαῖοι. *Furore quidem ſic aliquis affici poteſt adverſus illa* (mortem nempe &c.) & *conſuetudine, ut Galilæi*, id eſt, *Chriſtiani.* Hunc igitur ad modum de Chriſtianis ſentiebat *Marcus* Imperator, eo fere tempore, quo illi, pluviam ſalutarem, qua exercitus Romanus in Quadis tantopere recreatus fuit, precibus ſuis impetratam eſſe, & credebant, & gloriabantur. Sed id quidem latuiſſe videtur Chriſtia-

*) Crediderim, ſcribendum eſſe ὡς Γαλιλαῖοι, & ſic verti.

ſtianos, qui mortem eius ex iis, quæ paulo ante in gratiam ipſorum publice fecerat, dimetiebantur.

VIII. Accidit vero eodem tempore aliud, quod Chriſtianos in eadem perſuaſione non parum confirmare aptum erat. Imperatores Romani, quippe qui ſimul ſummi Pontifices eſſent, in illud usque tempus, cerimoniarum religionis patriæ & avitæ tam tenaces eſſe conſueverunt, ut ritus externos, ſacraque peregrina omnia, non ſine affectatione quadam, occaſione quavis contemnerent, animumque ab illis valde alienum multis modis teſtatum facerent. Et, hunc eorum morem inveteratum ſæpe effeciſſe, ut aut ipſi adverſus pium Chriſti gregem perſecutiones decernerent, aut ſaltem, ab aliis tetras adverſus eos perſecutiones ſuſcitari, patientius, quam par erat, ferrent, concedent mihi facile æqui rerum æſtimatores. De *Auguſto* Imp. SVETONIVS obſervat in eius *vita Cap.* 93: *Peregrinarum cerimoniarum, ſicut veteres ac præceptas reverentiſſime coluit, ita ceteras contemtui habuit.* Et, interpoſitis nonnullis, hæc addit: *In peragranda Ægypto paulum deflectere ad viſendum Apim ſuperſedit, ſed & Caium Nepotem, quod Iudæam prætervehens apud Hieroſolymam non ſacrificaſſet, collaudavit.* Eaque de cauſa, regnante hoc Imperatore, ſacra Ægyptiorum Roma eiecta eſſe, DIO *) memo-

*) *Lib. LIV edit. Stephani.*

memoriæ prodidit, cum in hanc urbem ſe *) iterum inſinuaſſent. Simile quid ſcriptor idem de *Tiberio* in eius *vita Cap. 36* refert: *Externas cerimonias, Ægyptios Iudaicosque ritus, compeſcuit, coactis, qui ſuperſtitione ea tenebantur, religioſas veſtes cum inſtrumento omni comburere. Iudæorum iuventutem, per ſpeciem ſacramenti, in provincias gravioris cœli diſtribuit. Reliquos gentis eiusdem, vel ſimilia ſpectantes, urbe ſubmovit, ſub pœna perpetuæ ſervitutis, ni obtemperaſſent.* Quibus verbis lucem accendit TACITVS *Lib. II Annal. Cap. 85*, ubi, *Actum &*, inquit, *de ſacris Ægyptiis Iudaicisque pellendis: factumque patrum conſultum, ut quatuor millia libertini generis, ea ſuperſtitione infecta, quis idonea ætas, in inſulam Sardiniam veherentur, coercendis illic latrociniis, & ſi ob gravitatem cœli interiiſſent, vile damnum: ceteri cederent Italia, niſi certam ante diem profanos ritus exuiſſent.* Vides, Imperatores hos religiones peregrinas, Ægyptiacam & Iudaicam, quibus poſthæc annumerata eſt Chriſtiana, contemſiſſe, eaque de cauſa, illorum profeſſores, aliqua ſaltem ratione perſecutos eſſe. De Imperatoribus, hoſce ſecutis, conſimilia dicere poſſumus. Sed, ut temporis aliquod compendium faciamus, malumus tranſire ad *Hadrianum*, de quo vitæ eius ſcri-

*) Nam, antea iam, Coſſ. *Piſone & Gabinio*, anno U. C. 696, pulſa fuiſſe, docet TERTVLLIANVS in *Apolog. Cap. 6*.

Scriptor, Spartianus, teſtatur *Cap. 22: Sacra Romana diligentiſſime curavit, peregrina contemſit, Pontificis Maximi officium peregit.* Et norunt Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudioſi, *Hadrianum* perſecutoribus Chriſtianorum aliquandiu indulſiſſe, frænumque laxaſſe, donec libri eorum Apologetici aliam ipſi mentem indidiſſent. De *Antonino Pio, Hadriani* ſucceſſore, Capitolinus ait ſub extremum *Vitæ* eius, dignum fuiſſe, *qui rite comparetur Numæ, cuius felicitatem, pietatemque, & ſecuritatem, cerimoniasque, ſemper obtinuit.*

IX. Nulla eſt dubitandi ratio, *Marcum* Imperatorem, cum & Reipublicæ Romanæ præeſſet, & Pontificatum Maximum gereret, eadem via initio quoque inceſſiſſe. Erat præterea Philoſophiæ Stoicæ ſectator acer, noveratque, illius eſſe & hoc præceptum: n) Σπένδειν καὶ θύειν, καὶ ἀπάρχεσθαι κατὰ τὰ πάτρια ἑκάστοις προσήκει. *Libare autem & ſacrificare, & offerre primitias, unumquemque decet, ritu patrio.* Stoici de natura divina non eadem ſentiebant cum vulgo, aut cum religionis ethnicæ ſacerdotibus. Sed volebant tamen, in ſacris inhærendum eſſe ritibus & cerimoniis, a maioribus inſtitutis, & ab omni in religione innovatione ſeduſo cavendum eſſe. Id ipſe Imperator ſatis ſignificat, quando *de ſe ipſo ad ſe ipſum Lib. I §. 13,* inter ea, quæ in patre *Antonino Pio* laudat,

n) Epictetus *Enchiridio Cap. 38.*

dat, ſibique ad imitandum ante oculos ponit, & iſtud commemorat, τὸ περὶ τοὺς Θεοὺς μὴ δεισιδαῖμον, *cultum Deorum ab omni ſuperſtitione remotum*. Solent autem Scriptores illius ævi, Græci Latinique, δεισιδαιμονίας, ſive *ſuperſtitionis*, nomine, ſacra cumprimis cerimoniasque peregrinarum religionum intelligere. Verum tempore belli Quadici, cum res Romanorum ancipites valde eſſent, *Marcus* Imperator perſuaderi ſibi paſſus eſt, ut ab illa morum ſeveritate, qua & ipſe uſus erat, & omnes eius deceſſores, primus recederet, & peregrinis ſacris & religionibus ſe indulgentiorem præberet. Videmus, hoc a IVLIO CAPITOLINO in *Vita* eius obſervatum omnino fuiſſe. Scribit enim *Capite 13: Tantus autem terror belli Marcomannici fuit, ut undique Sacerdotes Antoninus acciverit, peregrinos ritus impleverit, Romamque omni genere illuſtraverit, retardatusque a bellica profectione ſit.* Operæ pretium eſſe puto, diſquirere hic, & paulo diſtinctius exponere, quidnam CAPITOLINVS per *peregrinos ritus* deſignare voluerit.

X. *Peregrinorum rituum* nomine deſignari primo exiſtimo cerimonias magicas, ab illis peractas, qui Theologiæ quandam ſpeciem myſticam & arcanam profitebantur, quam Theurgiam vocare conſueverant, de qua apud IAMBLICHVM, PROCLVM, EVNAPIVM, ſimileſque Scriptores alios, plurima leguntur. Cerimoniæ hæ, legibus Romanorum prohibitæ, & apud viros hone-

honeſtos ſummo in contemtu erant. Sed eas tamen *M. Antoninus* Imperator, eventum belli Quadici metuens, &, ut ipſe ſibi perſuadebat, in magnas anguſtias compulſus, reſpuendas in univerſum non eſſe arbitrabatur. Et ſane Theurgia myſtica Platonicorum illius ævi iam tum in pretio eſſe apud non paucos cœperat, & ab eo tempore maiora indies incrementa ſumſit. Negarunt quidem veteres, & inter eruditos noſtros recentiores plerique, auſpiciis *Marci Antonini*, inque eius caſtris, ſacra magica ad impetrandum Deorum favorem adhibita fuiſſe. Et profecto Imperator ipſe ſententiæ eorum robur non mediocre addit, quando in libris *de ſe ipſo ad ſe ipſum*, illo circiter tempore ſcriptis, & hæc de ſe profitetur *Lib. I §. 3:* Παρὰ Διογνήτου τὸ ἀπιστητικὸν τοῖς ὑπὸ τῶν τερατευομένων καὶ γοήτων περὶ ἐπῳδῶν, καὶ περὶ δαιμόνων ἀποπομπῆς, καὶ τῶν τοιούτων λεγομένοις. *A Diogneto didici ſtudium in res inanes non conferre, fidem abrogare iis, quæ de incantationibus, dæmonumque profligationibus, ac id genus aliis rebus, præſtigiatores & impoſtores referunt.* Verum aut Imperator hicce diſcrimen conſtituit inter plures Magiæ ſpecies, quarum nonnullas contemſit, ac penitus improbavit, aliquam vero Philoſopho non indignam cenſuit, quod vero non valde diſſimile eſt; aut metu perculſus, poſthabito aliquantiſper proprio mentis ſuæ iudicio, monitis precibusque amicorum obtemperavit. Res ipſa certe

negari nulla plane ratione poteſt. DIO CASSIVS, qui imperante *Marco* vixit, ſub Imperatoribus vero inſecutis floruit, ac tandem ad Conſulis Romani dignitatem evectus eſt, ea de re hæc memoriæ mandavit: o) *Fama eſt, Arnuphin, Magum Ægyptium, qui una cum Marco erat, Mercurium, qui eſt in aere, aliosque Dæmonas, quibusdam artibus magicis invocaſſe, ac per eos pluviam extorſiſſe.* Erant, qui *Arnuphi* Ægyptio *Iulianum* iungerent, cuius inter Philoſophos Theurgicos non parum celebre erat nomen. SVIDAS in Articulo Ἰουλιανὸς hæc de eo refert: *Iulianus, ante dicti filius, vixit ſub Marco Antonino Imperatore. Scripſit & ipſe Theurgica, de modo res magice conſecrandi, Oracula verſibus, & quæcunque ſunt huius ſcientiæ arcana. Quidam tradunt, tunc, Romanis aliquando ſiti laborantibus, effeciſſe, ut atræ nubes, ſubito coactæ, ingentem imbrem cum crebris tonitrubus & fulguribus effunderent: idque ſapientia quadam effeciſſe Iulianum. Alii vero, Arnuphin, Ægyptium Philoſophum, edidiſſe hoc miraculum, ferunt.* Vides, Magiam *Iuliani*, &, de quo etiam non dubito, *Arnuphis* Ægyptii, nihil aliud fuiſſe, quam Theurgiam Philoſophorum ſcholæ *Platonicæ* iunioris. Tangit rem eandem LAMBRIDIVS in *Vita Heliogabali Cap.* 9. *Cum Marcomannis bellum inferre vellet, quos Antoninus*

o) In *Epitome* XIPHILINI *p.* 160 edit. Græc. *Rob. Steph.*

ninus pulcherrime profligaverat, dictum eſt a quibusdam, per Chaldæos & Magos Antoninum Marcum id egiſſe, ut Marcomanni P. R. ſemper devoti eſſent & amici. Noti etiam ſunt verſus hi Claudiani ſuper eodem argumento, *de Conſulatu VI Honorii v. 342:*

Laus ibi nulla ducum, nam flammeus imber in hoſtem
Decidit: hunc dorſo trepidum flammante ferebat
Ambuſtus ſonipes &c.

Et mox:

Tum contenta polo mortalis neſcia teli
Pugna fuit. Chaldæa mago ſeu carmina ritu
Armavere Deos: ſeu, quod reor, omne Tonantis
Obſequium Marci mores potuere mereri.

Nihil vero effuſam *Marci* Imperatoris eo tempore ſuperſtitionem æque arguit, ac turpe illud obſequium, quod *Alexandro Abondtichitæ*, famoſo illa ætate præſtigiatori & impoſtori, cujus vitam a Luciano deſcriptam habemus, præſtare dedignatus non eſt. Rem ipſam Lucianus nobis hunc in modum narrat: p) *Cum iam ſibi Alexander non mediocrem in regiam, aulamque Cæſaream, aditum patefeciſſet, ingreſſumque; ad celebrem virum, Rutilianum, vigente Germanico bello, mittit Oraculum,*

p) Lucianus in *Alexandro*, vel *Pſeudomanti*, T. I p. 895 edit. *Salmur.*

culum, quo tempore Divus Marcus cum Marcomannis & Quadis confligebat. Iubebat autem Oraculum, ut duo Leones cum multis aromatibus magnificisque victimis in Danubium immitterentur. Sed præſtat ipſum Oraculum referre:

Iſtri gurgitibus celſi Iovis imbribus aucti
Iniiciant binos Cybeles, edico, miniſtros:
Ortas monte feras, tum quas alit Indicus aer,
Flores atque herbas bene olentes, maxque futura eſt
Et victoria, pax & amabilis, & decus ingens.

His factis, ut præſcripſerat, cum in regiones hoſtium enataſſent leones, barbari eos, tanquam canes, peregrinosve lupos, fuſtibus confecerunt. Tum protinus noſtrorum magna ſtrages eſt edita, viginti ferme millibus ſimul exſtinctis. Deinde ſecuta ſunt ea, quæ Aquileiæ contigerunt, cum parum abfuit, quin illa urbs caperetur. Et tamen res hæc digna viſa eſt Imperatori, cuius memoria in Columna *Antoniniana* triumphali conſervaretur. Obſervavit hoc Vir quondam doctiſſimus, Mat. Veysiere la Croze, cuius verba operæ pretium fuerit, hic adſcribere: *) *Voluptati, puto, erit, hic rem, uni*

*) In *Specimine obſervationum hiſtoricarum in Lucianum*, inſerto *Miſcellaneorum Berolinenſium Tomo I p. 32.* Adiuncta eſt ibidem in *Figura 2* rei huius effigies, deſumta ex Bellorii *Columna Antoniniana Tab. XIII.*

uni Luciano memoratam, (in Columna *Antoniniana*) *graphice depictam agnoſcere, tranantes videlicet e ſuperiori narratione leones, & ipſum Marcum Imperatorem, ſummi Pontificis officio fungentem, & praecepta in Oraculo aromata, in ipſa Danubii ripa adolentem. De eo tamen vulnere,* τραῦμα *vocat Lucianus, Romanorum exercitibus a Germanorum copiis illato, fruſtra aliquid apud eorum temporum Scriptores quaeſiveris, deperdita iam dudum Dionis eius aevi hiſtoria, unde procul dubio Luciano maxima lux affunderetur.* Ego non dubito, quin eventus hic pluviam illam mirabilem anteceſſerit, ac Imperatori maximum terrorem iniecerit, etſi tamen Imperator monumentum illius in columna triumphali exſtare voluerit. Poteritne iam in dubium vocari, *Marcum* Imperatorem, in bello Quadico, ad placandos Deos, artes etiam peregrinas magicas adhiberi voluiſſe?

XI. Non minus tamen certum eſt, per *peregrinos ritus*, quos impleviſſe *Marcum* Imperatorem, Capitolinus affirmat, deſignari etiam ſaepiſſime ſacra Ægyptiorum, Iudaeorum, & Chriſtianorum, quod ex locis, *§. VIII* adductis, abunde perſpicitur. Et Capitolinum quidem in animo habuiſſe Ægyptiacae gentis ſacra, res ipſa aperte loquitur. Ex iis enim, quae obſervavimus, conſtat, q) *Marcum* Impera-

p) Dio in *Epitome* Xiphilini *p. 160*, Suidas in *voce* Ευλόγιος.

peratorem in exercitu habuiſſe *Arnuphin Ægyptium*, qui *Mercurium* aerium ritibus magicis invocaverit, & (uti Imperator credi voluit) ab eo pluviam beneficam extorſerit. *Mercurius* aerius non eſt *Thoth*, omnium ſcientiarum in Ægypto inventor, quem Græci omnes quoque Ἑρμῆν, ſive *Mercurium*, interpretantur; verum *Anubis*, qui Græcis etiam *Mercurius* plerumque dicitur. Ille autem, quod * alias docuimus, aerius iure optimo nuncupari poteſt. *Arnuphin* Ægyptium hunc placaſſe, diſcimus ex Dione, &, huic Imperatorem poſtea beneficium pluviæ ſalutaris in acceptis tuliſſe, teſtatur nummus eius, eodem tempore percuſſus, de quo §. IV. Eſt ceteroquin *Arnuphis* nomen vere Ægyptiacum, quod, ſine ulla qualicunque ullius literæ mutatione, Coptice ſcriptum Ⲁⲣ-ⲛⲟⲩⲫⲓ, (*Ar-nuphi*) proprie ſignificat εὐεργέτην, *benefactorem*. Et vero admodum ſimile eſt, ipſi ab hoc beneficio, pluvia nempe ſalutari, artibus eius magicis, uti exiſtimabatur, impetrata, cognomen adeo honorificum & ſplendidum fuiſſe inditum. Adſunt porro indicia non adeo obſcura, Imperatorem etiam poſt id temporis ſacra Ægyptiorum coluiſſe, & reverenter celebraſſe. Nam aliquanto poſt, in Ægyptum profectus, **) *apud Ægyptios civem ſe egit & Philoſophum, in omnibus ſtudiis, templis, lucis.* Et Romæ quoque Impera-

*) In *Pantheo Ægyptiorum Lib. V Cap. V.*
**) Capitolinus in *eius Vita Cap.* 26.

perator hic cultorem *Serapidis* ſe profiteri dedignatus non eſt, quippe quod clare teſtatur *) lapis hic:

SERAPI SACR.
IMP. CAES. AVG.
PIVS. FELIX. COS. IIII
P. P.

& **) alter iſte, etſi mutilus:

SERAPIDI DEO
M. AVRELIVS ANTONIN.
IFEX. MAX. AEDEM.

ut r) vota taceam, pro ſalute huius Imperatoris, eidem Deo Ægyptio nuncupata, lapidibusque inciſa. Illud vero obſervatione dignum inprimis eſt, ac ea, quæ diximus, egregie confirmat, quod ſacra Ægyptiorum, legibus Romanorum, Imperatorumque edictis, toties prohibita, tempore *Marci* Imperatoris, in urbem invecta, atque civitate donata, fuerint. *Commodum* igitur, *Marci* filium & ſucceſſorem, ſacris his magnopere faviſſe, eaque ſolenniter celebraiſſe, literis prodidere s) Scriptores Hiſtoriæ Romanæ. Quam in rem memorabile eſt, quod SPARTIANVS ſcribit in *Vita*

*) Apud GRVTERVM in *Theſauro Inſcriptionum pag.* LXXXV *num.* 2.

**) *Ibidem num.* 6.

r) *Ibidem num.* 3, 4.

s) LAMPRIDIVS in *Commodo*, & SPARTIANVS in *Peſcennio Nigro Cap.* 6.

Caracalla, *Cap*. 9: *Sacra Iſidis Caracallus Romam deportavit, & templa ubique magnifica eidem Deæ fecit. Sacra etiam eius maiori reverentia celebravit, quam antea celebrabantur. In quo quidem mihi mirum videtur, quemadmodum ſacra Iſidis primum per hunc Romam veniſſe dicantur, cum Antoninus Commodus ita ea celebraverit, ut & Anubin portaret, & pauſas ederet, niſi forte iſte addidit celebritati, non eam primus invexit.* Satis itaque liquet, a temporibus demum *M. Aurelii* Imperatoris, & filii eius, *Commodi*, peregrinas Ægyptiorum cerimonias in urbem invectas, & cum Romanorum patriis celebratas fuiſſe. Ab eo tempore uſu etiam venit, ut feſti Ægyptiorum dies ſacris Romanorum ſolennitatibus adderentur, & cum his publice & libere celebrarentur. Feſti hi dies in vetuſto Calendario Romano dicuntur *dies Ægyptiaci*, quod alio t) loco prolixe perſecutus ſum.

XII. Ex his, quæ expoſui, perſpicue iam colligi poſſe arbitror, bonos pioſque Chriſti cultores, qui Seculo II & III vixerunt, fide optima ſibi aliisque etiam perſuaſiſſe, poſt pluviam ſalutarem, pro exercitu Romano a Deo obtentam, Imperatorem eum in modum ſuæ religionis hominibus favere cœpiſſe, ut etiam cauſam eorum

t) In Commentatione *de Diebus Ægyptiacis, in vetuſto Calendario Romano commemoratis, Miſcellan. Berolinenſ. Tom. VII p. 496 &c.*

rum Senatui commendaverit, & benignum de iis iudicium tulerit. Nam 1) notum erat omnibus, certumque, Imperatorem, paucis ante pluviam illam celebratiſſimam annis, in edicto, ad commune Aſiæ concilium dato, partes Chriſtianorum publice & ſolenniter tuitum fuiſſe, & perſecutionem quamcunque a cervicibus eorum depulſam voluiſſe, §. VI. Mihi porro argumentis, pondere non deſtitutis, conſtat, ab anno illius Edicti, publice Epheſi propoſiti, CLXIX usque ad CLXXVII, quo perſecutio in Gallia, aliisque provinciis Imperii Romani, vehementer recruduit, Eccleſiam Chriſtianam utplurimum pace iucunda fruitam fuiſſe, niſi forte hinc inde clamores populares, odiumque Præſidum in provinciis quibusdam, gregi Chriſtianorum moleſtias crearunt, quæ tamen ad Imperatorem referri nequeunt. Sed, hæc pluribus perſequi, loci huius non eſt. 2) Inter Chriſtianos illius ævi dubio omni vacabat, pluviam illam, adeo deſideratam, Romanisque tam ſalutarem, piis & continuis precibus ſuorum unice deberi, §. II. Non ambigo præterea, Chriſtianos, etiam in exercitu, dum duraret expeditio Quadica, hac de re tam fidenter locutos fuiſſe, ut ea alios, & forte Imperatorem ipſum, latere non potuerit. Quin imo videtur hæc fuiſſe cauſa, quod Romani non ſine aliqua affectatione pluviæ beneficium Diis ſuis in acceptis retulerint, eiusque rei memoriam in monumentis publicis conſervarint.

Acce-

Accedit ad hæc 3), quod fama percrebuiſſet, & quaquaverſum divulgaſſet, Imperatorem, præter morem aliorum Principum, qui ipſum in imperio antecesſerant, ſacra peregrina admiſiſſe, illaque in caſtris ſolenniter celebrari voluiſſe, *ſſ. VIII, IX, X, XI.* Sub nomine vero *ſacrorum peregrinorum* paſſim, tum intelligi quoque conſueviſſe *Chriſtiana*, & res ipſa per ſe loquitur, & ceteroquin notius eſt, quam ut operoſa probatione, quæ ſane non deeſt, nunc egeat. Poteruntne iam Chriſtiani merito vituperari, qui forte famam hanc in ſuum quoque favorem interpretati ſunt. Et, cum 4) aliter fieri non potuerit, quam ut de tota re, uti geſta erat, ad Senatum Romanum referret Imperator, an non, poſitis illis, quæ obſervavimus, proclive erat cogitare, Imperatorem beneficii, per preces Chriſtianorum impetrati, utique in literis ſuis obliturum non fuiſſe. Multa ad hæc, quæ dixi, addi inſuper poſſe, quis eſt, qui non intelligat? Sed ratio Lectoris habenda, temporique parcendum, eſt. Ac præterea ſagacitati Lectoris aliquid relinquere iure merito oportet.

XIII. Sed neque hoc ſilentio involvi debet, Scriptores noſtros, qui Seculo II & III floruerunt, in prædicando hoc eventu multo fuiſſe parciores & modeſtiores, quam forte credere poſſes. Cui nunc non dictus ille Hylas? At profecto aliter omnino ſe res habuit, prima illa Chriſtianorum ætate. Nam, ſi Scriptores omnes

omnes Seculi II & III perluſtres, non deprehendes, quemquam huius eventus mentionem feciſſe, aut gloriatum de illo fuiſſe, præter APOLLINAREM, Phrygiæ Epiſcopum, de quo §. III, & TERTVLLIANVM, Presbyterum Carthaginienſem. Et ii) EVSEBIVS, ubi ait, hiſtoriam hanc a noſtris ſimpliciter & ingenue literis mandatam fuiſſe, alios tamen, præter hoſce duos, proferre non valuit, quantumvis a multis illuſtribus religionis noſtræ defenſoribus, ubi cauſam noſtram, aut potius Dei, magno animo, omnique ingenii niſu, & doctrinæ copia, tuiti ſunt, id merito exſpectaſſes, verum fruſtra. Nempe APOLLINARIS, in extrema Phrygia, & TERTVLLIANVS, in Africa, ſcribens, relationes hac de re acceperunt ex errore, & inconſiderate adulteratas, & incruſtatas, & bona fide ea, quæ acceperant, & ut acceperant, literis conſignarunt. Sed, poſtquam alii rem hanc accuratius inveſtigarunt, poſtquam, rumoribus his, intellexerunt, columnam *Antoninianam*, aliaque rei huius monumenta publica, adverſari, indignum iudicarunt, religioni ſuæ, figmentis, aut incertis rumuſculis, præſidium, vel auctoritatem aliquam, conciliare. Ipſe *Euſebius*, Scriptor Seculi IV, poſtquam loca, ea de re, APOLLINARIS & TERTVLLIANI, attuliſſet, hæc addit: *Sed de his quisque pro arbitratu ſuo ſtatuat.* At, qui hunc ſecuti ſunt, Scriptores Eccleſiaſtici, tum illo ipſo, tum ſequioribus Seculis, de re eadem fece-

ii) *Hiſt. Eccleſ. Lib. V Cap. V.*

ſecure prorſus loquuntur, tanquam de ea dubitare opprobrium eſſet.

III.

CHRISTOPH. AVG. HEVMANNI OBSERVATIONVM AD MINVCIVM FELICEM FERCVLVM QVINTVM, IDQVE VLTIMVM.

Cap. XXXIV.

1. *De Incendio mundi*]. Reſpondet nunc ad ea, quæ ſupra *Cap. X, 7*, obiecit *Cæcilius*.

1. *Aut improviſum ignem cadere, aut difficile*] Verba hæc omnia (quæ, cum in MS. ſint, ſenſu tamen carere, agnoſcit *Rigaltius*,) eiicienda eſſe, clare video. Quo errore huc illata fuerint, quærant alii. *Minucii* igitur verba hæc ſunt: *Ceterum, de incendio mundi non credere, vulgaris erroris eſt*, hoc eſt, tantummodo in vulgum cadit. Pudorem videlicet incutit *Cæcilio*, Chriſtianis exprobranti doctrinam de interitu mundi per ignem. Te, inquit, qui eſſe de vulgo non vis, non decet hanc doctrinam mirari inſectarique. Nam optimus quisque Philoſophorum eadem fuit in ſententia. Quomodo *Wopkenius* emendare hunc locum ſtudeat, in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I p. 49* reperire licet, cui libet. Valde vereor, ut ulli Critico ſe probatura ſit eius correctio. Nec melioris notæ eſt *Iac. Gronovii* ſententia.

I. *Quis*

1. *Quis ignorat*] Deleo gloſſema hoc, a quopiam adſcriptum ad interpretandum τὸ *quis dubitat?* Eodem ſenſu id verbi infra recurrit *Cap. XXXVIII, 3.*

2. *Cœpiſſe*] Ita MS. pro quo in Romana editione *cæpiſſet* reſcriptum, cum reſcribendum ſit *cœpit eſſe.*

2. *In vim ignis abiturum*] Diu multumque conſideravi locum hunc. Ad ultimum obſervavi, eſſe hæc verba æque, ut illa, quæ modo eieci, e margine huc tranſlata. *Igneſcat* ſcilicet aliquis ita erat interpretatus; *In vim ignis abiturus.* Præterea pro *quod conſumto humore* legi oportere *quo conſumto humore*, non eſt difficile ad agnoſcendum. Falſum hoc *quod* permovit *Lipſium*, ut *Lib. II Phyſiologiæ Stoicæ Cap.* 23 *igneſcet* reſcribendum duceret. Nunc igitur veram habemus *Minucii* ſcripturam. *Fontium*, inquit, *dulci aqua marisque nutriri id*, (ſcilicet cœlum,) *Stoicis conſtans opinio eſt, quo conſumto humore mundus omnis igneſcat.* Expreſſit vero *Minucius* noſter verba *Ciceronis*, ita locuti *Lib. II de natura Deorum Cap.* 46: *Ex quo eventurum putant, ut ad extremum omnis mundus igneſceret, cum conſumto humore neque terra ali poſſet, neque remeare aer. Rigaltius* quoque animadvertit, locum hunc eſſe mendoſum. Sed ita eum immutavit, ut corrumperet magis. Nec in eo corrigendo felicior fuit aut *Daviſius*, aut, cujus verba proferuntur ab *Ouzelio*,

Box-

Boxhornius, aut *Iac. Gronovius*. Ceterum de illo Stoæ decreto, quo ſtatuit, *oceano paſci cælumque polumque*, commentati ſunt erudite *Lipſius Lib. II Phyſiologiæ Stoicæ Diſſ. XIV*, & *Iac. Thomaſius* in *ſexta* ſua Diſſertatione *de Philoſophia Stoica*.

3. *Loquitur Plato, partes*] In MS. ita legitur: *Loquitur Plato. Partes orbis nunc inundare dicit, nunc.* Recte monet *Rigaltius*, vel *dicit*, vel *loquitur*, eiiciendum eſſe. Multo autem veriſimilius eſt, irrepſiſſe, adeoque exterminari oportere, *loquitur*. Nunc vero & *dicit* in *docet* muto, eoque confidentius, quod paulo poſt ſequitur *diceret*. Non eſt enim credibile, eodem verbo bis eadem in periodo uſum eſſe tam elegantiæ ſtudioſum ſcriptorem. Denique pro *inundare* ſcribo *inundari*, duce *Wopkenio* in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I p. 49.*

3. *Ipſi artifici, Deo ſoli*] Reſcribo *artifici ſoli*, remittens *ipſi Deo* in marginem.

4. *Ab eo, quo*] Defendit hanc ſcripturam *Wopkenius* in *Lectionum Tullianarum Lib. I Cap. I p. 4*, pluribus docens exemplis, poſterius *a* non raro omitti a ſcriptoribus præſtantiſſimis.

4. *Quæ dicimus, non*] Lego: *Quæ docemus nos, non. Lactantius VII, 25, 1: Ut docerem non modo apud nos, verum etiam apud eos ipſos, qui nos inſectantur, veritatem conſignatam teneri, quam recuſant agnoſcere.*

6. *Ad*

6. *Addunt iſtis & illa ad retorquendam veritatem*] *Tertullianus* in libri *de Anima* *Cap. 32* ſcribit, ex *Pythagoræ* ſententia *animas rapacium hominum* tranſire in *milvos*, *ſpurcorum* in *canes*, *acerborum* (id eſt, crudelium,) in *pantheras*, *garrulorum* in *hirundines*. Qui locus emendationem *Minucii* reddit facilem. Sic igitur eum ſcripſiſſe exiſtimo: *Addunt &, ad retorquendam feritatem in pecudes, aves, belluas, hominum animas redire*. *Ad retorquendam feritatem*, id eſt, *ut feritas ad manſuetudinem traducatur*, uti *Cicero* loquitur in *Orat. pro Sextio Cap. 42*.

7. *Convicio*] MS. habet *vitio*, quod more ſuo, hoc eſt, ineptiſſime defendit *Rigaltius*, eumque ducem ſecutus *Jac. Gronovius*. Iam dudum vero viderunt Critici, (quibus fert ſuppetias Romana editio, *inimico vitio* habens,) *mimi convicio* ſcripſiſſe *Minucium*, de quo verbo videas, quæ Philologi adſcripſerunt ad *Phædri I, 6, 5*. Adde *Ovidii Metam. V, 675*, & *Ciceronis Lib. II ad Q. Fratrem Epiſt. 1*, ubi *convicia* opponuntur *ſilentio*: quod & fit in *Orat. pro Archia Cap. 6*. Idem *Lib. I ad Famil. Epiſt. 5*: *Pompeius, cum pro Milone diceret, clamore convicioque iactatus eſt*. Et *Lib. V in Verrem*: *Erant — convivia non illo ſilentio — neque eo pudore, — ſed cum maximo clamore atque convicio*. Vides, *Minucio convicium mimi* non dici ſerias contumelias, ſed inſectationem & irriſionem, magno cum cla-

clamore fieri ſolitam: Audi & *Lactantium*, ſimiliter loquentem *Lib. VII, 12, 31*: *Quæ ſententia deliri hominis, quoniam ridicula & mimo dignior, quam ſchola, fuit, ne refelli quidem ſerio debuit.*

9. *Ut primum potuit fingi*] In MS. eſt *potuiſſe*, quod defendentem *Wopkenium* in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I p. 50*, nos quidem non audimus.

9. *Sicut de nihilo*] Legendum omnino *ei, ſicut de nihilo.* Quæ vero præcedunt verba: *Nihil eſſe poſt obitum, & ante ortum nihil fuiſſe*, eiicio ſine hæſitatione. Aſſcripſerat ſcilicet aliquis in margine, *impios ſentire, hominem nihil eſſe poſt obitum, uti ante ortum ſuum nihil fuerit.* Quod gloſſema ſi obſervaſſet *Dupinius*, non eſſet auſus in *Bibliotheca* ſua *eccleſiaſtica* hanc *Minucio* tribuere ſententiam, quod moritura ſit anima cum corpore.

9. *Iterare*] Manifeſtum eſt attendenti, reſcribi oportere *iterari.*

10. *Corpus omne*] Reſcribere geſtit *corpus omnino Wopkenius* in *Lect. Tull. Lib. I Cap. XI p. 65.* Sed ego quidem ei non ſubſcribo.

12. *Demergit*] Lego *ſe mergit.*

12. *In ſeculo*] Facile mihi credes, opinor, reſcribendum eſſe *in ſepulcro.*

12. *Ut arbores in hiberno*] Scribo *ut arbores hibernæ.* Sic *nivem hibernam* dixit *Horatius IV, 12, 4*; *ſoles hibernos Ovidius Metam. XIII, 794.* Pari modo *Tibullus florem*

vernam

vernum Lib. II, 1, 59, & vernam roſam Propertius III, 4, 22. Imo ipſe *Minucius* noſter *vernos flores* dicit infra *Cap. XXXVIII, 3.*

12. *Occultant virorem ariditate mentita*] Quæ monſtra video! Ego quidem ita credo ſcripſiſſe *Minucium*: *Ita corpus in ſepulcro, ut arbores hibernæ, occultatur, virore ariditatem ſecuturo.*

14. *In ſeculo*] Hoc eſt, in foro ſeculari. Scilicet huius mundi iudices ſæpe ſunt remiſſiores, & multam peccandi libertatem indulgent civibus, maxime nobilioribus.

14. *Tardum*] Lege *tardum magis*. A ſubſequenti *magis* prius veluti abſorptum fuit.

Cap. XXXV.

1. *Hominum*] In MS. *homines*. Sed iam dudum vera ſcriptura reſtituta eſt.

2. *Et de Stygia palude ſæpius ambientis ardoris*] *De* pro *e* Afrorum ſtilo ſcribere potuit *Minucius*. Pro *ſæpius ambientis* ſcripſiſſe videtur *ſemper erumpentis*. *Cicero Lib. VI in Verrem Cap. 48* ait, *ex Ætnæ vertice ignes erumpere*. *Daviſii* coniecturam, tria illa verba, *de Stygia palude*, eiicientis pro gloſſemate, merito damnat *Wopkenius Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I p. 52.*

1. *Præparata*] Subaudi *eſſe*.

1. *Dæmonum indiciis*] *Huetius Quæſt. Aln. Lib. II Cap. 23* reſcribendum cenſet incaute *iudiciis*. Nam docet *Minucius*, id *indi-*

cari a dæmonibus per ora obſeſſorum. Male ergo & in Romana editione eſt *iudiciis*.

1. *De oraculis*] Pro *ex oraculis*. Stilus Afrorum. *Tertulliano* nil frequentius.

2. *Sapiens ignis*] Id eſt quaſi ratione præditus, &, quomodo ſe gerere debeat erga damnatos, ſciens. Pulchre illuſtravit hunc locum *Cellarius* in *Fabri Lexico* ad verbum *ignis n.* 7.

3. *Ætnæ & Veſuvii*] In MS. eſt *bennei montis & leſui montis*. Sed recte iudicat *Rigaltius*, hæc eſſe *ſupervacua interpretamenta*. Ac iam ſupra *Cap. XVIII*, 3. ſimilia gloſſemata eliminarunt Critici. Haud igitur debebant *Daviſius* & *Iac. Gronovius* utrumque *montis* retinere.

4. *Qui Deum neſciunt*] Hoc eſt, qui non colunt religionem Chriſtianam. Iterum ita loquitur Noſter *Cap. XXXVII*, 5. E contrario Chriſtianos *Lactantius* vocat *Deum ſcientes Lib. VII*, 20, 6, & libri *de mortibus perſec. Cap. X*, 2.

4. *Nemo deliberat*] Id eſt, nemo dubitat. Sic & infra *Cap. XXXVIII*, 7, *deliberare* ſemper ait Scepticos. *Cicero de Offic. III*, 8: *Qui deliberant, utrum id ſequantur, quod honeſtum eſſe videant*. Et paulo poſt: *Ea deliberanda omnino non ſunt*, hoc eſt, de iis dubitari non debet.

5. *Et quanquam — veniam*] MS. ita: *Et quanquam imperitia Dei ſufficiat ad pœnam, ita ut notitia proſit ad veniam*. Iam olim

ſtą hæc verba correxi, nec nunc facti pœnitet: *Et ut imperitia Dei ſufficiat ad veniam, notitia proſit ad pœnam; tamen*, cetera. *Ut* hoc loco ſignificat *ſi vel maxime*, uti in illo: *Ut deſint vires, tamen eſt laudanda voluntas.* Pro hoc *ut* e margine irrepſit *quanquam*: quod quidam Latine doctus interpretationis cauſa ad *ut* adſcripſerat. Hoc igitur ſibi vult *Minucius*: Si vel maxime excuſare peccata valeat veræ religionis ignoratio, & contra notitia eius efficiat, ut quis iuſtius puniatur, ſi peccet, ſecundum illud Chriſti apud *Lucam Cap. XII, 47*: *Qui ſervus cognitam habet heri voluntatem, is, ſi non iuſſum fecerit, magna pœna mactabitur*; tamen comparati cum ethnicis Chriſtiani multo melioribus præditi ſunt moribus: quamvis nec negari poſſit, eſſe nonnullos in Chriſtianorum grege, qui non ſatis convenienter vivant ſuæ religionis legibus.

5. *Diſciplina noſtra minor eſt*] Lego *diſciplina iuſto minor eſt*, ut iuſtum accipiant hæc verba ſenſum. Pertinet huc *Tertulliani* illud ex *Apol. Cap. 46*: *Sed dicet aliquis, etiam de noſtris excedere quosdam a regula diſciplinæ.*

6. *Et facitis*] Pro *& tamen facitis*. Ὁ λέγων μὴ μοιχεύειν μοιχεύεις, inquit *Paulus Rom. II, 22.*

6. *Nos uxoribus noſtris ſolummodo viri naſcimur*] Recte hoc verbum tuentur *Daviſius* & *Iac. Gronovius* adverſus *Meurſium*, qui *noſcimur* reſcribere geſtiebat. Nuper tamen

Arntzenius ad *Plinii Panegyricum*; & quidem ad *Cap. VI p. 34*, ducem ſecutus *Pricaum*, reſcribendum contendebat *noſcimur*. Cenſet nimirum, ſi *naſcimur* ſcripſiſſet *Minucius*, ſequi, eum negaſſe peccatum originis, credidiſſeque, nos jam Chriſtianos fuiſſe, cum egrederemur ex utero materno. De hoc judicio judicet, qui volet. Ego quidem tam oculatus non ſum, ut vim hujus argumenti perſpiciam. Omnino *naſcimur* ſcripſiſſe *Minucium*, doceat, quem ille tam frequenter imitatur, *Tertullianus*, ita in *Apol. Cap. 46* ſcribens: *Chriſtianus uxori ſuæ ſoli maſculus naſcitur*.

7. *Profugus*] Hoc eſt, apoſtata, qui e Chriſti caſtris transfugit in caſtra ethnicorum, ſeque rurſus recepit ad ſacra priſtina. Ita ſervus dicitur *profugere dominum*, vel *a domino*. Prius *Curtius* dixit X, 2, 20, poſterius *Cicero* in *Catone Cap. 14*.

Cap. XXXVI.

1. *Sortis*] Lege mecum *ſors*. *Sit ſors fortunæ*, inquit, hoc eſt, concedo, ſortem eſſe opus fortunæ, ac huic (fortunæ) deberi, quod alius illuſtri loco & in magnis opibus natus eſt, alius humilis & pauper: tua mens tamen libera eſt, atque hoc tua eſt in poteſtate, ut virtutem colas. Quæ ad hunc locum proferunt *Petrus Faber Lib. III Semeſtr. Cap. 23*, & *Pareus* in *Lexico critico p. 439*, me non dimovent a ſententia.

1. *Actus*

1. *Actus hominis*] Eadem dicta ſupra *Cap.* XXXII, 7: *Deus actum hominis non ignorat.*

2. *Materiam*] Satis perſpicuum eſt, ſcribi oportere *futura.*

3. *Ingenii*] Id eſt, indolis. Sic *probum ingenium* dixit *Cicero de Officiis Lib. I, Cap.* 24. Mulier quædam apud *Plautum Pœn.* I, 2, 94: *Invidia in me numquam innata eſt, neque malitia. Bono ingenio me eſſe ornatam, quam auro multo, mavolo.* Apud eundem *Bacch. III,* 3, 8, *bonum ingenium* opponitur *pravo,* id eſt, malis & improbis moribus fœcundo.

3. *Vel, ſi pauca pro tempore, diſputaturi alias*] Hoc eſt, ſi non ſatis de fato hic dixi, rationem habens huius temporis, huiusque loci, diſputatum eſt a me de fato alio in libro. Singularem enim *de Fato* librum edidiſſe *Minucium* noſtrum, teſtis eſt *Hieronymus* in *Catalogi Scriptorum eccleſiaſticorum Cap.* 58. Vides nunc, Lector, non *diſputaturi,* ſed *diſputatum,* ſcripſiſſe *Minucium.*

3. *Uberius*] Ita pro MS. *verius,* quod & Romana habet editio, recte reſcripſit *Rigaltius.* Idem erratum irrepſerat in *Lactantii IV,* 30, 14. Imo & in noſtri *Minucii Cap. XXI,* 4, *veribus* exaratum fuerat pro *uberibus,* quia ſcilicet, ut idem obſervat *Rigaltius*, ſæpe *u* ſcribebatur a librariis pro *b.*

4. *Luxu ſolvitur*]. Etiam *Tacitus* dixit *luxu ſolutus Annal.* XI, 31, 4.

4. *Qui poteſt*] Pro *quomodo poteſt*. Romana editio male: *quis poteſt*.

5. *Pecua*] Pro *paſcua*, quod in MS. eſt, acute ita reſcripſit *Heraldus*. Plura eius verbi exempla profert ad hunc locum *Daviſius*.

5. *Quæ omnia*] Recte reſcripſit *Perizonius*: *qui omnia*. *Iac. Gronovium* diſſentire, quis mirabitur? Videtur *Minucius* ob oculos habuiſſe illud *Pauli 2 Cor. VI, 10*: *Tanquam nihil habentes, & (tamen) omnia poſſidentes*.

7. *Humana*] Reſcribo *humani*. Vidit jam hoc vitium, atque correxit, *Daviſius*.

9. *Nec deſpicit*] Res ipſa loquitur, ſcripſiſſe *Minucium*: *nec non proſpicit*.

9. *In adverſis*] Dele *in*, quod æque hic abeſſe debet, ac a ſequenti *periculis* abeſt.

9. *Voluntatem hominis ſciſcitatur*] Manifeſtum, credo, eſt, non *voluntatem*, ſed *virtutem*, ſcripſiſſe *Minucium*.

9. *Nihil ſibi poſſe perire, ſecurus*] Hoc eſt, ſciens, eos, qui veri ſunt Chriſtiani, nulla calamitate, nullis tormentis, victum iri, ut a ſe (Deo) deſciſcant.

Cap. XXXVII.

Componitur] Verbum gladiatorium, quo & ſupra uſus Noſter *Cap. XXII, 3*. Vid. *Lipſius Saturnalium ſermonum Lib. II Cap. 19*.

1. *Irridens inſultat*] Lego *exultat*: quod optime convenit huic loco, & ineleganter bis uſurparetur in eadem periodo. Librarius hic

ſe

ſe geſſit peſſime. Priore enim loco *inculcat* ſcripſit, poſteriore *ſtultat*. Romana editio poſterius *inſultat* recte exhibet: contra loco priore depravatiſſime excuſum eſt *irripiens inculcat*: quod magis depravavit *Iac. Gronovius*, pro *irripiens* ſcribi debere *implens*, contendens: quod profecto eſt vigilantis ſomnium. *Inculcat* vero dum defendi videmus non ſolum a *Daviſio*, ſed a *Wopkenio* quoque in *Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I p. 52*, & quidem ea ratione, quæ plane non eſt idonea ad perſuadendum, novo cognoſcimus exemplo, tam male nihil ſcribi potuiſſe a librariis, quin inter Philologos a ſcientia & arte critica minus inſtructos reperiat patronum ac defenſorem.

1. *Erigit*] Reſcribi *erigens* oportere, eo facilius eſt creditu, quod ſimilis dictio, *irridens exultat*, præcedit proxime. Commode hic profert *Wopkenius p. 53* hunc *Flori* locum e *Lib. I Cap. 21*: *Libertatem a dominis datam in ipſos erexerunt*.

2. *At enim*] Non eſt hæc prolepſis, ſed aſſeveratio; uti *Cap. XXXVIII, 6*. Utroque enim ſenſu uſurpari videas iſtam formulam. Eodem ſenſu *Sed enim* occurrit in *Cic. Orat. pro Archia Cap. 3*; ad quem locum inſpiciatur mea annotatiuncula.

2. *Chriſtianus miſer videri poteſt, non poteſt inveniri*] Subaudi *miſer*. *Salvianus Lib. I de gub. Dei p. 9*: *Nemo aliorum ſenſu miſer eſt, ſed ſuo. Et ideo non poſſunt cuiusquam*

falſo iudicio eſſe miſeri, qui ſunt vere ſua conſcientia beati. Cicero *Lib. V ad Famil. Ep. XVI: Nulla videri miſeria debet, quæ non ſentiatur.*

3. *Mucium*) Lego *ut Mucium.*

3. *In regem*) Scribo *in rege.*

3. *In hoſtibus*) Pro *inter hoſtes.* Eodem modo ſupra *IV, 4: In contubernalibus.*

3. *Uri, cremari*) Motum eſt *uri* ſuo loco, quod ita repono: *Non dexteram ſolum uri, ſed totum corpus cremari.*

4. *Inſpirata patientia*) Lactantius *V, 13, 12: Vincuntur dolore, quia deeſt illis inſpirata patientia. Noſtri autem, ut de viris taceam, pueri & mulierculæ tortores ſuos taciti vincunt, & exprimere illis gemitum nec ignis poteſt.*

6. *In hoc*) Id eſt, eo fine. *Hoc* eſt accuſativus. Eodem ſenſu repetitur *in hoc* ſtatim *n. 7.*

7. *Ingenium*) Eiiciendum eſt hoc verbum. Si quæris, unde natum ſit, puto, pro præmiſſo *imperiis* in Codice quodam repertum fuiſſe *ingeniis.* Quam ſæpe vero diverſa cuiuſpiam loci ſcriptura a librariis imperitis adiuncta fuerit veræ lectioni, & inter Criticos conſtat, & ipſe docui in *Arte* mea *critica* §. 28. Ac plura huius generis exempla *Muretus* profert in *Var. Lect. Lib. XV Cap. 16. Librarii*, inquit, *ſi quando aliud in aliis exemplaribus ſcriptum reperiebant, utrumque ponere ſolebant, & lectorum iudicio permittere, utrum verius videretur.*

retur. Eo modo (ita pergit,) *vix credibile eſt, quam multa in optimis ſcriptoribus maculata ſint.*

7. *Perditæ mentes*) Supra quoque *Cap. XXIV*, 7, homines improbitate notabiles appellavit *male ſanas & perditas mentes*. Obſervari velim, veram horum verborum hanc eſſe conſtructionem: *Eorum mentes licentia poteſtatis perditæ.*

7. *Libere nundinentur*) En nodum Gordium! Nam, quæ hic more ſuo nugatur *Iac. Gronovius*, cui ſacroſancta eſt huius MS. Codicis auctoritas, publica luce prorſus indigna erant. Ut perveniatur ad emendationem, cogitandum, loqui hic *Minucium* de infauſto tyrannorum exitu. Lege, quæſo, ea, quæ præcedunt. Nunc igitur pro *libere nundinentur* ſcribe *ſevere vindicentur*. Pro *u* ſæpe librarios *b* ſcripſiſſe, ſupra iam vidimus. *Severe vindicari* ſolere, ait Noſter, mentes tyrannorum, quæ licentia poteſtatis fuerant perditæ.

7. *Notitia Dei*) Id eſt, vera religione. Ita etiam paulo ante *n.* 5., & ſupra *Cap. XXV*, 4, ethnicos vocavit *Deum neſcientes.*

7. *Cum ſit ſomnio ſimilis: antequam tenetur, elabitur*) In MS. eſt *cum mors ſit ſomnio ſimilis*. Pro *mors Heraldus* reſcripſit *res.* Mihi hæc videtur eſſe ſcriptura *Minucii: Quæ non ſit ſomnio ſimilis, &, antequam tenetur, elabatur. Wopkenio Obſ. miſc. crit. T. X Lib. I* p. 13 veniebat in mentem pro *mors* reſcribere

mero:

mero: at deinceps, ne librarius (quem tamen vitioſiſſime hunc librum deſcripſiſſe, conſtat,) peccaſſe videatur, ſcripturam eius defendit eum in modum, ut inconcinnam tribuat Auctori orationem.

8. *Tam times, quam timeris*) De ſollicita hac regum vita ſingularem ac lectu periucundum ſcripſit librum, & *Hieronem* inſcripſit, *Xenophon*.

10. *Omnes tamen*) Attente qui legit, videat, neceſſe eſt, non *tamen*, ſed *enim*, ſcripſiſſe *Minucium*.

12. *In ſe rixantis*) Lege *inter ſe*.

12. *Furor, & turpitudo*) In MS. eſt *furore turpitudo*. Romana in editione legitur *furor, turpitudo*. Acutiſſime videbat *Heraldus*, ſic reſcribens: *Non minor furor eſt, turpitudo prolixior*. Quam emendationem negligentes, poſteriores *Minuciani* libri editores, ſatis docent, ei fugitivos ſe adhibuiſſe oculos.

12. *Infligit*) Inſigne vero acumen Anonymi Pariſienſis, *infigit* reſcribentis. Argute videlicet *Minucius* amorem ait ſimul *fingi*, ſimul *figi* atque *infigi*.

13. *Induendo*) Non debebat tam diu mendum hoc manere incorrectum. Apparet enim facile, ſcripſiſſe *Minucium inducendo*. *Inducere* enim verbum theatri proprium eſt: id quod vel e *Lexico Fabri* cognoſci licet.

13. *Homicidium in vero flagitatis, in mendacio*

ducio fletis) Hoc eſt, in ſpectaculis gladiatoriis poſtulatis, ut alter alterum transfigat; at, cum in ſcena ſit homicidium ſimulatum, lacrymas effunditis. Similis locus *Lactantii* V, 20, 12, lectu digniſſimus.

Cap. XXXVIII.

1. *Inviolabile Dei munus*) Hoc eſt, donum humano generi a Deo datum, quod non poſſunt homines violare, (id eſt, efficere, ut id tangere, vel comedere, nefas ſit,) cum id convertunt in victimam, dæmonibus dicatam. Ob oculos habet Noſter ſententiam, quam Apoſtolus dixit 1 *Cor.* X, 25 *ſeq.* & VIII, 7 *ſeq.* & *Rom.* XIV, 14 *ſeq.* ubi docet, quocunque cibo Chriſtianis licere veſci, etiam idolothytis, ita tamen, ut, ſi frater adſit, qui de libertate hac dubitet, iis pro tempore abſtineatur.

2. *Ne quis exiſtimet*) Neceſſario legendum; *ne quis nos exiſtimet.*

2. *Dæmoniis cedere*) Lego *credere.* Sic *Cap.* XL, 2, *credere Deo.* Ac ita iam correxerat hunc locum *Meurſius.* *Credere* eſt formula Chriſtianorum. *Deo credere* dicuntur Chriſtiani, *dæmoniis credere* idololatræ.

3. *Dubitat*) Id eſt, non credit. Eodem ſenſu ſupra *dubitat* occurrebat *Cap.* XXX, 1.

3. *Capiamus*) *Stewechius* ad *Apuleii Metam. Lib.* X *p.* 382 reſcribit *carpamus.* Refert id *Daviſius*, ſed non probat. Ego vero *Stewechio* aſſentior. *Virgilius Georg.* IV, 134:

vere

vere roſam, atque autumno carpere poma. Ac hic ipſe locus obverſatus fuiſſe videtur menti *Minucii.*

3. *Solutis, & ſertis.)* *Elmenhorſtius* ad hunc locum profert loca *Apuleii*, dicentis ſimiliter *flores ſertos ac ſolutos.* Adiicit *Tertulliani* locum e libri *de Corona militis Cap. 5.*

4. *Auram boni floris naribus ducere) Tertullianus* libri *de Corona Cap. 5: In capite quis ſapor floris? - - Tam contra naturam eſt, florem capite ſectari, quam ſonum nare.* Et in *Apol. Cap. 42: Nos coronam naribus novimus. Viderint, qui per capillum odorantur.*

5) *Aut ſentienti)* In MS. eſt *aut non ſentienti* & priori & poſteriori loco. Recte vero prius *non* ſuſtulit *Salmaſius*, cuius cum emendatio ſit apertiſſime vera, etiam *Cellariana* loci hunc in modum correcti interpretatio ob ſuam perſpicuitatem laudari meretur. Utramque qui reiecit *Daviſius*, ſure dicitur cæcutiiſſe medio die. Nec aſſentiendum *Binghamo*, qui in *Orig. Eccl. Lib. XXIII Cap. 3 §. 9 facem* vult deletum. Illud omittere non debeo, in editione Romana uno adiecto verbo ita legi: *tribuatis exanimi aut.* Sed facile apparet, gloſſema hoc eſſe *Sabæi*, a quo profecta iſta editio.

6. *At enim)* Quid hæc formula hic ſignificet, iam dixi ad *Caput* proxime antecedens *t. 2.*

6. *Ador-*

6, *Adornamus*) Ita in MS. legi, teſtis eſt *Heraldus*. At in editione Romana vitioſe eſt *adoramus*: quod deinceps in plures editiones propagatum fuit.

6. *Qua vivimus*) Hoc eſt, qua fruimur in cetera vita noſtra.

6. *Suſtinemus*) Id eſt, exſpectamus. Sic & *Tertullianus* loquitur *Apol. Cap. XXXV* extremo. Alia eius loca iam protulit *Cellarius*. Hoc ſenſu verbum *ſuſtinere* etiam uſurpat *Caſſiodorus* in *Variis* ſuis, idque ſæpius, e. g. *Lib. II Epiſt. 38, Lib. III Epiſt. 1*, & 22, & 28. Imperite igitur, vel potius oſcitanter, fecit *Eraſmus*, cum veterem ſacri Codicis interpretem *Act. XX, 5*, pro *ſuſtinere* reſcribere iuſſit *exſpectare*. Nam idem interpres hoc ipſo ſenſu ſæpius dixit *ſuſtinere*.

6. *Et modeſti Dei noſtri liberalitate*) Verba hæc ſana eſſe, vix quisquam crediderit. Poſt multam deliberationem video nunc, ita ſcriptum fuiſſe a *Minucio*: *Qui de poteſtate Dei noſtri & liberalitate ſecuri ad ſpem futuræ felicitatis fide præſentis eius maieſtatis animamur*. Dicit, præſentem Dei maieſtatem, qua in hoc mundo facit mirabilia, fidem facere Chriſtianis, fore, ut ipſos aliquando e morte removeat in vitam, æternaque felicitate beet: id enim eum & poſſe & velle facere, ipſis non eſſe dubium. *Spem*, non *ſpe*, eſt in editione Romana.

6. *Iam vivimus*) Subaudi e proximo *beati*.

7. *Corruptores*) Id eſt, qui vitiant virgines. His opponit *adulteros*. Eodem modo *corruptores* & *adulteras*, *corruptelam* & *adulterium*, diſtinguit *Lactantius* I, 10, 13, & VI, 19, 10.

8. *Nec non habitu*) Hæc verba menti obverſabantur *Cypriani*, cum in libro *de bono patientiæ* ita ſcribebat: *Nos, qui Philoſophi non verbis, ſed factis, ſumus, nec veſtitu ſapientiam, ſed veritate, præferimus: qui non loquimur magna, ſed vivimus.*

8. *Gloriamur*) Vel & *gloriamur* legendum, vel, quod præplacet, initium huius periodi hoc eſt: *Nos, qui non habitu.*

9. *Divinitatis*) Id eſt, divinæ religionis. Alias & pro *Deo* dicitur *divinitas*, e. g. a *Lactantio* IV, 3, 3, & a *Tertulliano Lib. II adverſus Marcionem Cap. 1.*

9. *Noſtri temporis ætate*) Bene Latinam eſſe hanc dictionem, exemplis e *Propertio, Gellio, Arnobio*, & *Sulpicio Severo*, repetitis demonſtravit *Daviſius*. Eundem vero *maturuit* in *innotuerit* mutantem refellit iure *Wopkenius in Obſ. Miſc. Crit. T. X Lib. I p. 54.*

9. *Recti ſententiam temperemus*) Ego vero ſic reſcribo: *Recte ſentientibus obtemperemus.*

9. *Vera religio reſervetur*) Non dubito, quin *reſtauretur* ſcripſerit *Minucius*.

Cap. XXXIX.

1. *Intenti vultus tenebamus*) In MS. eſſe *intentos*, ſcribit *Meurſius*, ideoque in textum recepit *Daviſius*. Verum, erret *Meurſius*, neceſſe eſt, cum nec *Heraldum*, nec *Rigaltium*, qui MS. illum Codicem inſpexerunt, teſtem habeat. Merito igitur retinemus *intenti*, ac ſic etiam *Meurſius* iudicat, cum manifeſtus ſit reſpectus ad *Virgilianum* illud *Æn. II*, 1:

Conticuere omnes intentique ora tenebant.

1. *Quod ad me eſt*) Non niſi barbarus ita dixerit pro *quod ad me attinet*. Nec tamen *eſt* eiicio, ſed in *ex* muto. *Ex magnitudine admirationis evanui*, inquit *Minucius*. Iam *quod ad me* alibi quidem locorum, quod ſciam, non occurrit, eſt tamen ſatis perſpicuum: ac æque breviter *de me* pro *ad me quod attinet* dicere conſuevit *Cicero* in *Epiſtolis*.

1. *Evanui*) Dura dictio & nova. Facile tamen intelligitur, noſtrum *Minucium* ita locutum eſſe pro *ecſtaſi quadam correptus ſum*, ſive, ut *Lactantius I*, 4, 3. loquitur, *emota mea mens erat*, vel, ut *Apuleius Lib. V. p.* 166 editionis Francofurtanæ anni 1621 ait, *extra terminum mentis meæ poſitus eram*.

1. *Favorabilem*) Subaudi *eſſe*. *Favorabilem*

bilem dicit, hoc eſt, favore & amore dignum, πάσης ἀποδοχῆς ἀξίαν, ut *Paulus* loquitur *1 Tim. I, 15.*

Cap. XL.

1. *Erupit*). Ita in MS. eſt. Romana editio habet *ſic erupit*. Iure vero reiicitur hæc adiectio: ac ſupra quoque *Cap. XVI, 6*, ſimpliciter dicitur *erupit*.

1. *Plurimum quantum*). Poſt hæc verba in editione Romana iſta ſunt adiecta: *eadem tranquillitate, qua vivimus*; quæ in MS. non reperiuntur. Sunt vero errore typographi huc translata è *Cap. XXXVIII, 6*, ubi leguntur eadem. Deleri itaque ea iam iuſſit *Heraldus*.

1. *Vicimus*) Formula exultantis, ab *Ovidio* ſæpius uſurpata, itemque ab aliis Poetis, quorum loca profert *Pareus* in *Lexico critico p. 1292.* Idem obſervavit *Ianus Gebhardus Lib. I Crepundiorum Cap. 4.*

1. *Vicimus, & ita, ut improbe, uſurpo victoriam*) Legendum omnino ſic: *Vicimus. Et ita, nec improbe, uſurpo victoriam. Uſurpare* interdum dicitur de improbitate illa, qua quis ſibi vindicat aliquid, quod eſt alterius. Ita *libertatem uſurpare* pro *libertatem iniuſte ſibi arrogare* dixit *Livius Lib. XXXIII Cap. 38.* Et apud *Suetonium Claudius* Imp. *Cap. 25 civitatem Romanam uſurpantes* (hoc eſt, ut ipſe *Suetonius* non ita mul-

multo ante interpretatur, *qui ſe pro civibus gerebant,) ſecuri percuſſit.* Adhuc a Gallis *uſurpateur* vocatur iniuſtus regni poſſeſſor. Ac iam olim *Ambroſius Lib. III de Officiis Cap. 9* dixit *uſurpare imperium*, hoc eſt, eiecto, vel interfecto, iuſto rege regnare. Nunc audi meam *Minuciani Cæcilii* verborum paraphraſin: *Debebam dicere: Vicit Octavius, & ego victum me ipſe ab illo fateor. Sed audeo dicere: Vicimus uterque, ego pariter, ac ille. Atque ita ego uſurpo, non tamen improbe & iniuſte, victoriam, hoc eſt, victoriam, quam Octavius retulit, & mihi vindico, inque ſocietatem victoriæ venio. Nam, uti Octavius vicit me, ſic ego vici errorem, quo antea occæcatus eram.* Similis occurrit locus *Hieronymi* in *Cap. 8 adverſus Luciferianos*, & tam ſimilis loco huic *Minuciano*, ut inde videatur expreſſus. Narrat ſcilicet, Luciferianum quendam doctori orthodoxo, a quo refutatus erat, ſic reſpondiſſe: *Non ſolum te viciſſe exiſtimes. Vicimus utique uterque noſtrum. Palmam refer tu mei, ego erroris.* Iterum *Hieronymus* in Epiſtola illa, quæ in *Eraſmi* editione undecimum tenet locum inter *Auguſtini* Epiſtolas: *Cum tu viceris, & ego vincam; ſi meum errorem intellexero.* Adiicio *Libanii* illud e *Centuriæ Wolfianæ Epiſtola nona*: Ὅταν ὅ, τε κρατούμενος, ὅ, τε νικῶν, ὦσιν ἐπιτήδειοι, μετέχει πως ὁ γενικημένος τῆς νίκης, *cum victus & vin-*

vincens amici ſunt, etiam victus victoriæ ſit particeps. Non debeo tacere, *Iac. Gronovium* pro *ut improbe* reſcriptum velle *haud improbe.* Quæ quidem correctio haud inepta, meæ tamen non præferenda.

2. *Quod pertineat ad ſummam quæſtionis)* Scribo *quod pertinet.* Sic & *Curtius* loquitur *VI, 11, 30: Quod ad Dimnum pertinet,* pro *attinet.* Ac *Seneca* initio *Epiſtolæ XXV: Quod ad duos amicos pertinet, diverſa via eundum eſt.*

2. *De providentia fateor)* Hoc eſt, agnoſco nunc providentiam Numinis. Fatetur ita *Cæcilius*, ſe antea fuiſſe *Epicureum*, & negaſſe Dei providentiam. En ſimilem *Theophili Antiocheni* locum, qui in *Libro II ad Autolycum* extremo reperitur *p. 263: Scriptores, qui tradidere Deorum multitudinem, tandem ad Dei unitatem devenere, &, qui docuerunt, non eſſe providentiam Dei, tandem eam confeſſi ſunt.*

2. *Deo cedo)* Sic in MS. eſt, idque defendit *Davifius.* Veroſimilius tamen eſt, *credo* ſcripſiſſe *Minucium*: quæ & *Meurſii* eſt ſententia. Ita & *Cap. XLI, 3*, gaudet *Minucius*, quod *Cecilius crediderit.* Pro *credere in Deum* quod Noſter dixit *credere Deo*, tribuendum videtur eius ſtudio puritatis Latinæ. Quanquam nec poſterior dictio eſt ſacris ſcriptoribus inuſitata. Nam *Actor. XVIII, 8*, legitur *Criſpus*, dum religionem amplexatus eſt Chriſtianam,

πιςεῦ-

πιϛεῦσαι τῷ Χριϛῷ. Ac *Ioan. V, 46, credere Chriſto* dicuntur, qui ipſum pro vero Meſſia habent. Hinc *Glaſſius* in *Philologia ſacra p. 527, puri*, inquit, *ſignificata dicitur* credere Deo *&* credere in Deum. Poſſis & ſuſpicari, ita ſcripſiſſe Noſtrum; *Et de Deo credo*: uti ſupra *Cap. XXXIV, 1*, dixit *de incendio mundi credere*. Quam coniecturam id firmare videtur, quod *de* & præcedit, & ſequitur. Mihi tamen prior ſcriptura arridet magis.

2. *Sectæ iam noſtræ*) Hoc eſt, quæ antea erat *veſtra* ſecta, ea nunc & *mea* eſt, ideoque eam iure nomino *iam noſtram*. Simile illud *Ciceronis: Lentulus tuus, vel potius noſter*.

3. *Etiam nunc*) Pro *adhuc*. Vid. *Morhofius* in libri *de pura dictione Latina Cap. XIII §. 5. p. 235*.

3. *Conſubſidunt*) Verbum illatinum, immeritoque inſertum *Fabri* Lexico. Abiicio *con*, e ſubſequenti *non* factum, quod iuſto citius ſcriptum delere noluit librarius. Optimum vero ſenſum habet *ſubſidunt*. In vaſe enim *ſubſidere* dicitur id, quod liquor habet turbidum, & hinc graviuſculum. *Subſidunt*, inquit, *aliqua*, hoc eſt, in imo pectoris adhuc reſident & remanent. Dicit igitur *Cæcilius*, ſupereſſe in ſua mente deliberationes aliquot, quæ non quidem eam vim habeant, ut de veritate religionis Chriſtianæ dubitare cogatur, ſed quas

tamen tolli cupiat, ut ſua veritatis cognitio. fiat perfectior.

3. *Ut de toto*) Deleto *ut*, reſcribo *die toto*: nec ſine voluptate nunc video, etiam ſic reſcripſiſſe Anonymum Pariſienſem.

3. *Promtius*) Dele verbum hoc, tanquam diverſam ſcripturam, e margine in textum receptam ab indocto librario.

Cap. XLI.

1. *Omnium noſtrum vice gaudeo*) Reſcribi oportet *vicem*. *Curtius VII*, 2, 5: *moeſtus non ſuam vicem, ſed fratrum*. Et in eiusdem libri *Cap. XI*, 20: *Vicem eorum ſollicitus*. Idem *X*, 5, 21, de regina *Syſigambi*: *Illa ſuam, illa neptium, vicem flebat*. *Livium* quoque ſæpius ita loqui, & apud hunc etiam *vicem* ab indoctis librariis in *vice* mutatum fuiſſe, doceat te *Gronovius*, pater, ad *Livii Lib. I Cap.* 9 & 25.

2. *Oravit*) Hoc eſt, orationem, ſive ſermonem ſuum, habuit. Ita *Quintilianus* Rhetoricam vocat *artem orandi* in *Proœmio*, & *Lib. II Cap.* 17 quinquies hoc ſenſu uſurpat verbum *orare*. Idem etiam in *Dialogo de Cauſis corruptæ eloquentiæ Cap. VII*, 7, *orantes* vocat, qui verba fecerunt publice. Hoc ſenſu etiam capiendum *orabat* in *Virgilii Æn. X*, 96.

3. *Octavius, quod vicerit*) Editio Roma-

na ita: *Octavius gaudere, quod vicerit.* Sed manifeſtum eſt hoc gloſſema: quod quam turpe ſit, iam *Cellarius* docuit. Oſcitavit itaque, cum id verbi, quod nec in MS. eſt, retinebat, *Daviſius.*

3. *Et quod hic crediderit*) Perbrevi attentione opus eſt, ut videas clariſſime, ita ſcribendum: *quod & hic crediderit.*

** * **
* ** *

Ἐπίμετρον.

In *Libri ſexti Æneidos verſu 229:*

Idem ter ſocios pura circumtulit unda,

nemo Criticorum obſervavit mendum. Praeſtrinxit illis oculos auctoritas *Servii*, qui legit *circumtulit*, & defendit, prolato *Plauti* loco ex *Amphitr. II, 2, 144*, qui huc plane non quadrat. Iubetur enim ibi *patera circumferri pro cerrita.* Liquet hinc, iam *Servium* uſum eſſe Codice vitioſe ſcripto. Nam non dubito equidem, ſcripſiſſe Poetam *circumluit* ſenſu activo, quo & *interluere* dicitur. Scripſeram hæc, cum vidi in editione *Virgilii Burmanniana*, iam fuiſſe unum alterumque, qui & obſervaret hoc mendum, & corrigeret. Eo gratior mihi eſt mea hæc emendatio, & aliis habebitur eo dignor applauſu.

IV.

IO. IAC. REISKE CONIECTVRARVM AD HERODOTVM.

PARS IV.

LIBRO VII.

Pag. lin.

381, 23, προκαταλυσάμενοι.

382, 33, ποιεῦντες, καὶ πρῶτα μὲν &c.

383, *ant.* aut καὶ delendum, aut χρέεσθαι, vel χρῆσθαι, excidit.

384, 18, τῷ δὲ δὴ καὶ &c.

384, 43, ſatis hiulca oratio. Parum abeſt, quin credam, aliqua deeſſe. Quid, ſi pro ἐχώρησε ſcribendum ἐγχειρήσειν. *Suadeo itaque, ne ambobus ſimul* (terra marique) *Athenienſes aggrediaris.* Sed neque ſic ratiocinium firmiter apteque nexum.

385, 18, ἐναντιωθῆναι τι ἐι θέλει. Illud ἐι reſpicit ad ſequens βȣλευμαι. *Etiam ſi aliquid ipſi* (τῷ βȣλεύματι, *conſilio deliberato,*) *adverſetur.*

385, 43, ἐντεῦθεν.

386, 7, ἀποβαίνῃ.

386, 41, ἤδη corruptum procul dubio. Et Herodotus quoque ἐστὶ potius, quam γίνεται, καλὸν dixiſſet. Coniicio, ipſum ſcripſiſſe: *Pul-*

chrum

ſtrum itaque atque decorum eſt, καὶ, quas prius paſſi fuimus, injurias ulciſci, τιμωρέειν ὅ, τι δὴ καὶ γένηται, eveniat, quodcunque tandem eveniat, (cadat belli alea, utcunque voluerit,) *quo diſcam ſaltem & experiar, quale ſit illud grande malum, quod experiri per fata debeo.*

388, 33, ἐνεισρείτων, περὶ τά τις &c.

388, *ult.* τὴν σὴν, τόδε ἐπιφοιτήσει. τοῦτο τὸ μαθητέον ἤδη ἐστὶν. *Si autem mei rationem nullam habeat, dedigneturque mihi apparere: tunc, ſive meam habeam veſtem, ſive tuam, non veniet. Id quod periculo nunc diſcendum eſt.* Εἰ δὲ δὴ ἐπιφοιτήσειε, συνεχέως φαίην ἄν – – quodſi vero venerit, tunc dicam ego quoque protinus.

389, 4, forte αὐτὰ, ſcilicet τὰ σεὶ δόξαντα.

390, 17, ἀνομένα non eſt *ineunte*, ſed *exeunte*. Conf. quæ dixi ad *p.* 254, *1*, & ſic quoque explicatum invenio in Lexico Græco decemvirali Baſileenſi, ubi *Apollonii* quoque locus citatur. Ἄνω, & ἀνύω, & ἄνυμι, idem notant.

390, 33, αἰ delendum ante τέρατηλ. —

394, 29, qualis ſit dictio τὸν ἑλλήσποντον μάστιξι πληγαῖς ἐπικέσθαι, aut unde hoc verbum derivaverit *Gronovius*, è γεφελέγος, qui in nota ad hunc locum ſcribit ἐπικειστρυλαι, non exputo. Donec certiora diſcam, liceat mihi conjecturam proponere. Græcus alius aliquis Auctor ſimplicior ſcripſiſſet τῷ Ἑλλησπόντῳ ἐκ-

τρ. ἐπιθέσθαι μάςιξι πληγὰς. Itane ſcripſerit Noſter, an ſecus, non dixerim.

394, 43, ſi τὰς rectum eſt, excidit νέας vel γεφύρας, aut ſimile quid procul dubio.

395, 1, ἀνακωχεύειν non video quorſum recleat, *ut retraheret, remiſſum teneret, laxum, & pendulum, tonum rudentum*, quis, aut quid? Hoc non præceſſit, neque ſequitur. Certe Helleſpontus hoc nequiit facere, neque ῥοῦς eius, vel ſecundus fluctuum decurſus. Ille multo magis rudentes intenderet, & ſecum raperet. Non expedio hunc locum.

395, 6, ὑπέφαυσιν debet una voci legi. Διέκπλοος ὑπόφαυσις eſt *biatus* (*feneſtra* dicerent Latini, id eſt, *patens aditus*,) *pernavigabilis*. Eſt enim διέκπλοος hic loci non ſubſtantivum, ſed adiectivum. Ὑπόφαυσις autem & ὑπόφασις eſt *biatus omnis, per quem, & deſuper quo, res alia emicat*. Eo ſenſu legitur ὑπέφασις apud *Aretæum Cappadocem Lib. I Cap. 5 Sign. acutor. morb.* ἐ ξυμβάλλουσι τὰ βλέφαρα, ὡς καὶ τὰ λευκὰ ὁρῆσθαι ἐξ ὑποφάσιος, *non conducunt* (epileptici) *palpebras, adeo ut album oculorum, ſclerotica, per biatum palpebrarum emicet*.

395, 13, ἦν ἡ αὐλή.

395, 39, vocem προδέκτερος vertunt *præſidem*. Vellem equidem rationem etymologiæ & talis interpretationis ſcire. Num a προδέχομαι, an a προδείκνυμι. Conieci aliquando προδικήτορα, *patronum, curatorem*, πρόδικον,

ἐπι-

ἐπίτροπον. Sed nunc puto, ſana & proba omnia hic loci, & προδέκτωρ a προδείκνυμι derivandum, eſſe. Dicebant Magi, ſi ſol aliquid portendat extraordinario quodam caſu & mutatione ſui, id Græcis portendere, & ad eos pertinere. Si autem lunæ novum quid contingat, id ſibi, Perſis, φέρειν, aliquid præſagire. Nam ſolem eſſe Græcorum προδέκτορα, præmonſtratorem, & quaſi vatem, futurorum; προδεικνύειν τοῖς Ἕλλησι τὰ μέλλοντα συμβήσεσθαι: lunam vero eſſe ſuum Prophetam.

397, 23, καὶ γῆν τὴν Μυσίην.

397, 14, οἱ delendum.

400, 1, πονέειν.

402, 16, putem γαυρότατα. Si proba ſit vulgata lectio, debet α ibi loci non negandi, ſed intendendi, vim habere.

402, 17, Forte τὸν περὶ ἑωυτοῦ. Subintellige δρόμον, *curriculum*, vel *curſum ſui ipſius decurrens*. Sic loquuntur Græci, pro *in periculo ſuæ propriæ ſalutis conſtitutus*. Dictio a ſtadio & victoria curſus deſumta.

403, 19, ἔξωθεν.

404, 28, ἀπὸ ξύλων] Veſtes gerebant non *ligneas*, ut interpres habet, ſed e *xylo*, ſeu *cottoneo*; ut novimus, hodienum Indos omnes veſtes cottoneas geſtare.

405, 30, ἐκδεδαρμένα ſunt non *excoriata* (ridiculum enim, antefrontalia *ænea excoriata* dicere,) ſed *pertuſa*, *perforata*, hiantia. Sic aptata erant illa antefrontalia, laminæ illæ æ-

nea

neæ frontibus equorum apponi ſolitæ, ut ibi loci, ubi ſunt aures & iubæ, hiatus eſſent, per quos & hæ & illæ ſeſe exererent.

405, 33, forte ἐποιεῦντο τηγείδων δορᾶς.

409, 15, ἐςαλάδατο, id eſt, ἐςαλμένοι ἦσαν. Neque enim dicitur ἐςελμένοι, neque ἐςελάδατο.

409, 40, Λύκιοι δὲ τὸ ἀρχαῖον Τερμίλαι. Conf. *Lib. I Cap.* 173.

411, 22, μεταξὺ δὲ, *interea vero, dum hæc agebat.*

413, 33, ἀνδρῶν, ὧν τοι Ἑλλήνων &c.

413, 45, ἀλλὰ (pro τἆλλα).

414, ant. ἀντέχε in Activo.

417, 45, πιεζόμενοι ἄμως &c.

419, 46, ὅκως τι ἐθέλοι.

422, 42, κατὰ τὸν Πελοπ —

422, 44, τοῦτο, τό μοι &c.

422, pen. forte τοὺς εἷλε ἁλιεύς τις ἐκ Τίρυνθος. *Thucydides* hanc hiſtoriam *Lib. I,* 67, aliter narrat.

424, 13, λιπὼν φύγ᾽ ἐς ἔσχατα γαίης. Cohæret λιπὼν, non cum ἔσχατα, neque δώματα cohæret cum ἔσχατα, ſed conſtructio hæc eſt: Φύγε ἐς ἔσχατα γαίης, *fuge ad extrema terræ,* λιπὼν δώματα καὶ ἄκρα κάρηνα &c. *relictis ædibus tuis ſummisque verticibus urbis rotundæ.*

424, *ult.* πεδάσσας, id eſt, πεδήσας, *vinciens, illigans.* *Apollo* loquitur.

425, 11, ἔτι δέ ποτε. *Veniet aliquando tempus, quo tu ipſi eris ex adverſo.* Fuge terra venientem, occurret tibi aliquando in mari.

425, 44, ἐὸν κως, non video, quid ſibi velit. Forte ἐτεόν κως, *re vera.* Non licet illud κως Latine reddere. Adhibetur, ſi de re dubia, quæ potuit contingere, aut non contingere, ſermo eſt.

426, 35, χρημάτων (ſi bene) hic eſt pro πρηγμάτων.

426, 38. Aliquando conjiciebam ἐγκεχειρημένοι, *inſtituti, incepti;* nunc magis placet συγκεκρημένοι, *commixti, commiſſi.* Conf. *pag.* 429, 30.

427, *ant.* Κερκύραν &c.] Hic eſt locus difficilis, &, ut videtur, luxatus atque mancus. Dicam, qua propemodum ratione mihi videatur *Herodotus* ſcripſiſſe: Ἔς τε Κερκύραν, καὶ ἐς Κρήτην ἄλλους, κελεύοντας βοηθέειν τῇ Ἑλλάδι· καὶ γὰρ οἷοί τε ἔσεσθαι περιγενέσθαι συμφρονήσαντες, εἴ κως ἕν τι γένοιτο. *Mittebant — in Corcyram legatos, & in Cretam alios, auxilia Græciæ flagitatum. Poſſe enim periculo effugere, ſi conſpirent, ſi unum quaſi corpus fiat Græca natio* &c.

427, 29, πρὸ τοῦ στόλου παραγινομένου. *Antequam copiæ in conſpectum ipſis venirent.*

427, 30, forte σφέας καὶ τὴν ἰδίην &c. Sed neque ἰδίην ſatis placet, & videtur aliud aliquid latere.

427, 18, μετίεν, id eſt, μεθιέναι, a ſe dimiſſiſſe legatos, nihil pollicentes & condicentes, quid agere velint.

427, 21, in μεταιτέειν ſubintelligitur τὴν ἀρχήν.

430, 10, ὁ delendum.

430, 38, ὅς delendum.

430, ult. καταλλάξαντες, conciliantes in amicitiam.

431, 8, comma poſt ἔναι locandum. Redit τῷ ἔργῳ ad ἦρχε lin. 9, & opponitur τῷ λόγῳ lin. 6, qui iactabat, ſeſe ius liberorum bellium tueri, eiusque rei ſpeciem faciebat, ille ademtam illis tyrannidem reapſe invadebat.

431, 11. Quid, ſi εὕρημα.

431, 18, forte ſic ſcripſerit *Herodotus* (vehementer enim illud ἐπικρατέων turbat): Γέλης μὲν λόγον ἐλάσσω ἐποιέετο, ἐπιτράπει ὦν αὐτὴν Ἱέρωνι, &c.

431, 20, ἐᾶσαι ἀπαντῆσαι Συρακ—

431, 43, forte τὰ γὰρ ἐπηύλα, ea, quæ minantur Græciam invadere. Conf. p. 434, 28.

432, 1, μεγάλως.

433, 34, forte ἔτω ἐρέω τοι, ὅτι ἐ δ' ἦν &c.

434, 6, poſt λέγειν ponendum eſt ſignum interrogationis. *Hic ſermo quid vero tandem ſibi vult? Liquet* (eſt reſponſum) *quid dicere velit.*

434, 7, Lacunoſus hic locus eſt. Quomodo &, quæ verba ſcripſerit *Herodotus*, niſi Codices doceant,

tant, nemo dixerit. Hane autem ſententiam, neceſſe eſt, eum expreſſiſſe. *Liquet enim, ut in anno ver optima tempeſtas eſt, ita Gelonem voluiſſe dicere, in Græcis copiis ſuas eſſe omnium optimas.* Iam coniiciat quisque, quibus verbis in hanc rem uſus Noſter fuerit; variæ enim inveniri poſſunt viæ. E. c. δοκιμώτατον, ὥσπερ τῆς τῶν Ἑλλήνων ςρατιῆς τὴν ἑαυτοῦ ςρατιὴν ἐβούλετο τὸ δοκιμώτατον λέγειν.

435, 23, εἰκότι, *probabilem hac de re narrationem produnt*, vel *præ ſe ferunt*.

435, 34. Malim, utroque loco ſigna parentheſeos deleri. Sed hoc leve. Iſtud gravioris momenti; videri e verbis ὡσ (id eſt ὥσ) Φοίνικες λέγουσι concludi non absque re poſſe, lacunam in ſuperioribus eſſe, & deſiderari eam partem, qua relationem Phœnicum de morte *Hamilcaris* tradiderit.

436, 30, forte οὔ τι μέμνησθε, *o ſtolidi, non meminiſtis* - - ? Conf. p. 437, 28, ubi ὑπεμνήσασα legitur.

437, 32, μηνίων legendum. Conſtructio eſt, ὅσα δακρύματα ἔπεμψε (id eſt, ἐπέπεμψεν, ἐπήγειρεν, ἐπήγαγεν,) ὑμῖν Μίνως μηνίων ἐκ τῶν τιμωρημάτων. *O ſtolidi, oblitine eſtis, quot argumenta lacrymarum vobis immiſerit Minos iratus ex* (id eſt *propter*) *eo, quod ulti fuiſtis Menelaum, ſe fuiſtis inultum.*

437, 13, quid ſibi velit ὅσω, non perſpicio. An οὐκ ἐλάττους. Sed nimium a veſtigiis literarum

rarum abit. Et ſuffecerit mihi, digitum ad vitium intendiſſe. Reperiat medicinam ſagacior. Etiam in præcedentibus, *lin.* 11, non intelligo verba ἀναγκαζόμενοι τῶν ἀστῶν.

437, *pen.* βουλόμενοι ἂν, αἰτίην ἡμῖν. *Si forte non vultis opitulari, non licebit vobis deinceps non reprehendere, & culpam nobis obiectare.*

438, 35; οὐδ' ἔτι.

439, 2, ἐπὶ γῆς] Ego quidem concipio ſic animo, ac ſi *Herodotus* ſcripſiſſet πλεῖν ἐπὶ Ἀρτεμίσιον γῆς τῆς Ἱστιαιώτιδος navigare ad Artemiſium (promontorium) *terræ*, vel *diſtrictus*, *Hiſtiæotis*. Sic ergo ἐπὶ bis poſuit, quod potuerat, & debuerat recte ſecundum vulgarem dicendi modum, ſemel poſuiſſe.

439, 5, forte ſic ſcripſerit *Herodotus*: κατὰ μὲν τὸ Ἀρτεμίσιον τὸ πέλαγος τὸ Θρηΐκιον ἐξ εὐρέος &c. *Apud Artemiſium cogitur pelagus Thracicum ex vaſto, quale hactenus fuit, in anguſtum fretum. Ab illo autem anguſto freto protinus occurrit de terra, quæ iam Eubœa eſt, Artemiſium, quod conſtat ex litore, & templo Dianæ, in illo litore condito.* Diſtinguendum igitur ἐκ δὲ τοῦ στεινοῦ τῆς Εὐβοίης ἤδη Ἀρτεμίσιον ἐκδέκεται, αἰγιαλὸς, ἐν δὲ Ἀρτέμιδος ἱρόν.

439, 43, forte ὅκη (pro ὅτι).

440, 11, Θύη legendum. Ellipſis alias perfrequens, νηῷ, locum hic habere ob ſequentia nequit,

440, 28, forte ἐπαύχουλο, nempe Perſæ, *gloriabantur eo, quod Leonem mactabant.* Nos quoque parili modo dicimus: *Sie thaten ſich was darauf zu guthe, daß ſie einen mit Nahmen Lœwe umbrachten.*

441, 24, ἔθνεων) Corruptum mihi videtur. Putem ἐπίνεων, vel, ut potius amant loqui, περίνεων, *nautarum*. Opponuntur hi τοῖς ἐπιβάταις, *militibus, qui tabulata navium ſcandunt, & inde pugnant.*

442, 41, forte ἐνίες, *latices*, vel *ſcaturigines, prodidiſſe fluviorum quosdam*, id eſt, defeciſſe, & permiſiſſe, ut alvei ab hoſtibus exhauſti ſiccarentur.

443, 33, diſtinguo & lego (ὡς φάτις) ἁρμήνυλο, *ob hanc affinitatem ſuſcipiebant (ut dicitur) Athenienſes id agere, quod agebant*; ex hoc fundamento conſilii ſui, velut ἐξ ἀφορμῆς, *ibant*, vel *ruebant*, id effectum.

444, 16, γοητήνετ τῶν ἀνέμων, aut τὸν ἄνεμον. Forte tamen poſſit τῷ ἀνέμῳ defendi ex analogia dictionis καταρᾶσθαι τινί. Poſſit quoque minore motu χοῆσι, *libationibus*, coniici. Sed probandum eſſet exemplis, dici κατάδειν τινὸς χοῇ, *placare aliquem libationibus*. Requirit κατάδειν actionem, cum pronuntiatione verborum magicorum, vel carminum, coniunctam; quod eſt in γοητείᾳ.

445, 17, ἴσεσθαι) forte περιέσεσθαι.

445, 18, προσιόντας *accedentes*, vel potius προσπλέοντας, *adnavigantes*.

445, 43, *Pauſanias* conſtanter Λαφυςίῳ ſcribit.

446, 2, τι πρὸς τȢτοισι. non intelligo. In univerſum hæc de *Athamante* & *Phryxo* hiſtoria imperfecte & obſcure tradita habetur, contra quam ſolet *Herodotus*. Illud ὡς τε redit ad præcedens *p.* 445, 42, ἔλεγον, *narrabant, quomodo — — & quomodo.*

446, 6, forte πρυτανήιον, ὧν ὡς θύεταί τε ἐξηγέοντο ςέμμασι πᾶς &c. Conſtructio eſt, ὧν πᾶς, τις ὡς (id eſt, πῶς) θύεται, πυκασθεὶς ςέμμασι καὶ ὡς (id eſt, πῶς) — ἐξαχθεὶς, ἐξηγέοντο, *quorum unusquisque quomodo ſacrificetur infulis obſitus, & quibus eum cerimoniis in pompa ad aram deductus, narrabant.*

447, 14, aut delendum τὸ, aut in τῶν mutandum.

448, 30, ἐνένωντο ſcribendum, proparoxytονως; & ſic quoque *lin.* 36 διενένωντο.

451, 19, τῶδε χρῆ.

451, 24, καὶ Ȣκ ἐὼν. Conf. *p.* 458, 40.

451, 27, καὶ τῶν κατὰ &c.

451, 37, κατελέλειπτο, *relicta fuerat ipſis absque uſu.* Hactenus ea uſi non fuerant.

453, 2, πειςὸς, *obſequor, auſculto.*

453, 221, aut τȢ, aut τῷ ᾧ, aut τὸν. Perinde id eſt. Redit ad *Xerxem*. *Non compeſcet Xerxis impetum taurorum leonumve vis.*

454, 23, αἰτέοντες) Ex verſione colligas, *Vallam* conieciſſe ὠθέοντες. Sed locum hunc, ut

ut multos *Herodoti* alios, non intellexit. Quod in eius contumeliam dictum nolim. Si reputes, eum primum fuiſſe *Herodoti* interpretem, ſcriptoris paſſim captu difficillimi, & ætate ſua vixiſſe, id eſt, illa, qua bonæ literæ incipiebant refloreſcere, mireris, eum tam bene, quam fecit, in hoc negotio fuiſſe verſatum. Verum tamen indiget paſſim hæc interpretatio etiam poſt *H. Stephani* & *Gronovii* curas emendatione. Poſterior ſaltem, qui id ex profeſſo egit, ut *Vallæ* verſionem reformaret, monſtravit ſatis eo, quod loca longe plurima præteriit, ſe ſuum Auctorem non percepiſſe, conſiliique ſui oblitum fuiſſe. Multo facilior profecto gratiorque opera, totam novam conficere libri interpretationem, quam veterem expurgare. Quod autem cœperam dicere, (& rogo veniam excurſionis,) ſenſus huius *Herodotei* loci hic eſt: *Monſtrabant ſui roboris vim, quantam poſſidebant maximam*, ὅσον εἶχον μέγιστον, (ita diſtinguendum) ἐς τοὺς βαρβάρους παραχρεώμενοι (ſcilicet αὐτῇ, vel ἑαυτοῖς) *abutentes ea* (vel *ſemet ipſis*) *adverſus barbaros* (in conflictu cum barbaris) καὶ ἀτέοντες (ſcilicet αὐτὴν, vel ἑαυτοὺς,) *&* *vilipendentes eam* (vel *ſemet ipſos*), prodigentes ſemet ipſos.

454, 43. Hunc locum non concilio cum *p. 459. initio.* Manifeſta nimis eſt contractio.

455, 3, ἐπὶ Λεωνίδῃ, eſt *in memoriam Leonidæ, & alluſionis ad eius nomen gratia.* Leo

 lapi-

lapideus ibi collocatus fuit, ut meminiſſent poſteri, *Leonidam* ibi concidiſſe.

456, 15, λειποψυχέοντα, ſi probum, eſt ſane ſenſu perraro uſurpatum. Alias notat animi deliquium ex inanitione, aut alio morbo, pati; hic debet eſſe paventem, conflictui adeſſe metuentem; quaſi cupientem, ut anima ſibi ſuperſtes fiat. Conieci aliquando δειλοψυχέοντα, id eſt, δειλὸν ὄντα κατὰ τὴν ψυχὴν, *trepidum paventemque animi.*

456, 17, ἀτονήσαντα, *languentem, ægrotantem.*

456, 26. Στρατόπεδον hic intelligitur illud, quod circa Iſthmum congregatum erat.

457, 17, forte τεκμ- δὲ τέῃ ἀληθείῃ.

458, 27, ἔχω.

458, 42, forte τῇ τύχῃ.

459, 1, τοῦ λοιποῦ οὐ κελεύω. Eſt idem dictum, atque κελεύω οὐ περιέχεσθαί τινα. E vulgata, cui οὐ deeſt, emergit ſenſus, *Herodoti* menti prorſus contrarius.

459, 32, παρέχοι) nempe τῷ φέροντι καὶ τῷ πέμψαντι.

LIBRO VIII.

462, 23, ἡκόντων) *ut qui ad locum deſtinationis ſuæ pervenerint.* Eo ſenſu adhibet *Aelianus* in *Hiſtoria Animal.* hoc verbum aliquoties.

462, 44, ναυηγίην) Quid hoc ad rem pertinet, de naufragio Perſarum Græcis bene gna-

ris narrare illo tempore, quo alia graviora pericula urgebant? *Herodotus* quoque, ſi voluiſſet id, quod verſio dat, dicere, potius ἐγένετο dixiſſet, non γένοιτο. Puto itaque, ναυμαχίην hic loci ſcribendum eſſe. *Significabat ipſis, prælium navale imminere.*

463, 13, καταφρονήσαντες διὰ ταῦτα.

463, *ult.* forte ταύτῃ ἀποβάντα ἰδόντες ταῦτα.

465, 5. Non ſuccurrit, περὶ ἑαυτὸν περιπίπτειν dici. At περὶ ἑαυτῷ in uſu eſt.

465, 45, περιπετὲς eſt *infelix, adverſum, negotium, ᾧ περιπίπτει τις, ad quod offendit aliquis, circa quod lapſat, cæſpitat, & cadit.*

466, 9, forte πονηρά.

466, 41. Non percipio, quid ſibi velit διαβληθῇ. Talia præcepta, qualia *Themiſtocles* Ionibus reliquerat ſaxis inciſa, non opus habebant τοῦ διαβάλλεσθαι πρὸς τὸν Ξέρξην ut denigrarentur, & infamarentur, odioſaque fierent, apud *Xerxem.* Non enim erant ancipitia, ſed aperte inimica. Διαβάλλεται autem innocens, aut ſaltem non aperte reus. Puto itaque, verba traiecta eſſe, & ſic conſtituo, ἔπειτε ἀνενεχθῇ πρὸς τὸν Ξέρξεα, ἀπίστους ποιήσῃ τοὺς Ἴωνας, καὶ διαβληθῇ, καὶ τῶν ναυμαχ — *Aut ſaltem, ſi de illis præceptis & monitis ad Xerxem referretur, facerent ea Ionas ipſi ſuſpectos; & ſic circumveniretur aſtutiis & nequitiis Xerxes, occupatusque vanis erga inſontes ſuſpicionibus, abſtineret eos a communione navalium pugnarum.* Διαβάλλεσθαι dicitur non tantum inſons, qui defertur

apud alterum, ſed & ille, apud quem inſons defertur, & qui vanis ſuſpicionibus erga hunc exacerbatur, & ab ipſo alienatur.

468, 31, forte τοιοῦτοι, οἱ ἐν Ἀ—.

470, 36, προκατῆσθαι) Conieci aliquando προμάχεσθαι, ſed fruſtra fui. Vid. ad p. 548, 21, ubi paulo quidem alia dictionis ratio, quam hic, apparet tamen inde, verbum *Herodoto* adamatum eſſe. Notat hic loci, *ſe coram aede ſua ſeſſurum, & introitum nemini ſe invito permiſſurum.*

471, 9, καὶ διὰ) forte ναὶ Δία, id eſt νὴ τὸν Δία. Ita coniiciebam aliquando. Sed didici deinceps ex p. 506, 37, διὰ πάντων *Herodoto* peculiarem phraſin eſſe, & notare idem, quod aliis vulgo πρὸ πάντων, *eximie prae aliis.*

471, 23, μεζόνως.

471, *pen.* aut delendum ἐς, aut ὡς pro eo ſcribendum.

472, 9, δὲ pro δή.

472, 14, Aut ſervanda vulgata, aut διατελέουσι, vel ἔτι τελεῦσι, legendum.

476, 42, τό, τε μὲν, id, eſt καὶ τοῦτο μὲν, & *hoc quidem.*

477, 5, videtur ἐς deleri debere.

477, 32, aut ante βουλευομένοισι inſerendum eſt εὖ, aut ante γίνεσθαι *lin.* 33.

477, 38, ἄπολιν ἄνδρα] Nam in accuſativo

dici-

dicitur ἐπιψηφίζειν τινα, *alicuius ſententiam*, vel *ſuffragium*, *rogare*, colligere, votum eius.

478, 1, poſt αὐτῷ tacite ſupplenda frequens illa Græca ellipſis εὖ γε ποιήσεις, *præclarum opus facies*.

478, 44, ἴον, *iens*, *vadens*.

478, 46, ἢν μή γε, *niſi bacchicus ille chorus*, vel thiaſus, (vernacule appellamus *das wütende Heer*, *examen furens*; nam & noſtri homines plebeii, præſertim venatores, multi ſunt in fabellis de bacchico illo grege, per ſylvas diſcurrente,) *incidat in Peloponneſum*. Si autem ſervetur vulgatum μὲν, neceſſario vitium erit in voce Πελοπόννησον, & latebit in ea nomen loci, medio in Attico agro ſiti. Sed prius rectius & ſimplicius. Supereſt adhuc ratio tuendi vulgatam; ſi nempe κατασκήψῃ ad *Xerxem* referatur. Quod, neſcio, an probaturi ſint multi. Conf. *p. 479, 13*.

479, 35, προέβαινε.

480, 9. Sæpiſſime ſequitur *Gronovius* Codicem ſuum divinum, ubi non oportebat, cæcum ducem. Interdum, ubi tuto potuerat, & debuerat quoque, eum ſequi, deſerit. Uti hic quoque loci fecit. In vulgata lectione hiat ſenſus. Ego, adiutus lectione Medicæi Codicis, quam extremus margo Leidenſis editionis exhibet, ſic diſtinguo & conſtituo hunc locum: — ὡς ἐγὼ τάδε λέγω. Οὔτε κακίστην γενομένην — (ſcilicet ἐμὲ, quod ſequitur,) οὔτε ἐλάχιστα (adverbialiter) ἀποδεξαμένην, Δέσποια, τὴν δέουσαν γνώ-

μην, μὲ δίκαιον ἐςὶν ἀποδείκνυσθαι τὰ τυγχάνω &c. *Refer ad Xerxem, me hæc dicere: Domine, dignum & iuſtum eſt, me promere atque enuntiare ea, quæ commodis tuis utiliſſima iudico; me, quæ neque in navalibus prœliis ad Eubœam me præ ceteris inertem & pavidam monſtravi, neque omnium minime* (vel *minus, quam alii,*) *conſilium rectum & ſanum ſuggeſſi.*

481, *ant.* ἵδρυται, τὴν νῦν τε καὶ —) *Sedent in regione, quam, ut nunc incolunt, ita olim quoque incoluerunt.* Poteſt quoque, ἵδρυται, τὴν καὶ prorſus deleto, νῦν τε.

482, 9, δοκέουσι μὲν μοι εἶναι.

482, 10, forte ὑπό γε Ἀργείων ἀρχόμενοι, ὡς καὶ χρόνου προϊόντος Ὀρνεᾶται, ſcilicet *Dores facti*, Dorum nationi adſcripti, *fuerunt.*

482, 17, δρόμον. Conf. *p.* 492, 8, 9, & *Ariſtophan. Veſp.* 375.

482, 19, ὁμοίως legendum eſſe pro ὅμως, bene video. Verum ταῦτα πυνθανόμενοι non intelligo. Quænam illa ſunt ταῦτα, quæ audiverint? Nihil certe præceſſit. Num τὸν βάρβαρον ἐπιόντα πυνθανόμενοι, *audientes, barbarum verſus Peloponneſum procedere.*

483, 35, valde ſuſpectum πυθέσθαι, quod quid ſibi velit, ego quidem non perſpicio. Verſio alia omnia, quam Græca, exprimit. *Sibi cedere cuncta putantem.* Tanquam ſi ad πιθέσθαι reſpexiſſet interpres. Cogitavi aliquando

ἐμε-

ῥύσεσθαι, *ſperans, ſe omnia, ἐκ τῶν βάθρων ἀναστάσειν, e ſedibus ſuis avulſum eſſe.*

483, 41, ἐς τοιαῦτα) Periodus hæc miſere affecta, & deſperate corrupta, eſt, niſi meliores ei Codices medelam afferant. Dubitabundus coniicio: ἐς τοιαῦτα — ἀντιλογίη χρῆσθαι ἀληθείας χρησμῶν πέρι, ὕτε αὐτὸς ἐγὼ τολμέω — *Ad talia iam, & tam clare edicente Bacide, diſputare porro, verane ſint, an falſa, eius oracula, neque ipſe audeo, neque patior alterum id audere.*

484, 24. ἥκεις ἀγγέλλων, aut pro ἥκεις legendum ἤγγελλας, quod potius videtur.

484, 36. σὺ λέγεις. Ὁ μέν ὦν ταῦτα ἔλεγε παρελθὼν, ὁ Ἀριςείδης.

485, 9, καὶ τοῖς (id eſt, αὐτοῖς) σύλλογον τῶν ἀπ. πόνηπεπμένοις προσηγόρευε &c. Sequentia ἐκ πάντων non expedio.

485, 31, πρότερον valde ſuſpectum. Supra p. 472, 18, habebamus a *Gronovio* πρότερον e divino Codice male prodituin, pro προθυμότερον, quod editiones vulgares ibi recte habent. Quid, ſi viciſſim hic προθυμότερον recipiendum ſit pro πρότερον. Amat *Herodotus* προθύμως pro *acriter, ſtrenue, diligenter, impetuoſe, cum vehementia.*

485, 43, τῦ δὲ εἵνεκα.

486, 8, ἔσαν τε καὶ ἐγ —

486, 26, καί τι οἱ νεῖκος (ſcilicet Artemiſiæ).

486, 38, aut leg. γενέσθαι μῆχος τῦ διαφυγέειν, aut γενέσθαι ὥστε διαφυγέειν.

487, 46, παρεὼν τῆτυ &c.) Non ſolet παρεῖναι cum genitivo conſtrui. Et præterea obſcura eſt ſententia; quam ego quidem, ut verum fatear, non percipio. Interpres omnino nihil hic vidit. Apparet ex connexione, *Herodotum* hoc voluiſſe dicere: *Ionibus quoque proderat vir Perſa, ipſis amicus, Ariamnes, qui tum præſens laudabat pœnam, in Phœnices ſtatutam.* Forte igitur ἐπαινέτης, aut ſimilis vox, exciderit ante παρεὼν.

488, 19, ἐς ἐπήκοον τῶν Αἰγινητέων, τὸν Μηδ — *conviciabatur, nominatim & magno clamore vocatum, Themiſtoclem, ita ut Æginetæ poſſent audire, exprobrans ipſi propenſionem eius ad Medos, & colluſionem cum ipſis.*

489, 7, ἐπιςρέψαντας, *ſurſus converſis navibus ad locum navalis prælii, a quo eas antea ἀπέςρεψαν, averterant.*

489, 23, ἐτύγχανε ἐκπεσόντα, *quæ illuc eiecta a fluctibus appellebant.* Non multum differunt ΕΟΤΟΝΤΑ & ΕΚΠΕΣΟΝΤΑ, Conf. *lin.* 30.

489, 34, Φρίξεσι) Iam dudum obſervavi, & in notulis ad *Anonymi Introductionem in Anatomiam*, ab eruditisſimo & clarisſimo Medico, *Bernardo*, editam, indicavi, Φρύξεσι legendum hic loci eſſe. Conf. *Ariſtophan. Ran.* 514, & *Eccleſiaz.* 221, 839, & *Plutarch.* in *Solone p.* 167 edit. *H. Stephani.* Poſtea vidi, hanc certisſimam emendationem a *Stephano Berglero*

iam

iam occupatam eſſe in Notis ad *Alciphronem p. 335*, ubi locum noſtrum ſic nude citat, tanquam ſi omnes editiones ita haberent, nullo facto de ſua emendatione monito; vertitque: *Coliades vero mulieres remos urendo hordeum torrebunt*. Veterine quadam in editione ſic invenerit, non novi.

490, 38, verba πλέω μέν τοι, usque ad Ἑλλάδα incluſive, debent ſignis parentheſeos coerceri. Nam ſequentia λογισάμενος ὢν ſunt continuatio & reſumtio præcedentium: Μαρδόνιος — ὁρέων, — ἀποπλεύων, — φροντίσας &c. Præterea parum abſum, quin credam, poſt ἡ γνώμη deeſſe ἐλπίδα. *Plus tamen ſpei ferebat ipſi ſententia & iudicium eius, quo res præſentes penſabat & perſpiciebat, fore, ut Græciam ſubigeret.*

491, 10, ἐν τοῖσι Πέρσῃσι δεδήληται.

491, 34, forte μαχομένοισι.

491, 42, νῦν τε accipio pro καὶ νῦν, *etiam nunc*. Aliquando coniiciebam νῦν γε.

492, 6, forte καὶ ἐκείνων τὸ πρῆγμα, τῶν περὶ οἶκον &c. *& illis, qui ſunt circa domum tuam*, id eſt, *miniſtris tuis, imputatur eventus qualisqualis*.

492, 11, οὐδ᾽ ἔτι &c.

492, 24, Πηδασέεσι. Nam nomini ſing. eſt Πηδασεὺς, non Πηδασέος.

492, 27, χρόνε] *Intra certum aliquod indeterminatum tempus*. Interpres dedit *intra annum*. Sic ſane recentiores Græci uſurpant vocem

vocem χρόνος pro *anno*, ut in illo perquam celebri in Actologiis: Πολλὲς καὶ ἀγαθὲς χρόνες τῶν ὁ δεῖνα καὶ ὁ δεῖνα βασιλέων. An autem veteres Græci ſic quoque conſueverint hanc vocem accipere, in medio relinquam. Apud vulgum quidem veteris Græciæ multa in uſu fuiſſe credo, quæ in libris non proſtant, & quæ nos recentiori Græciæ ſoli tribuimus. Sed puri ſcriptores a talibus ſibi ſedulo cavebant. Præterea notari velim tavtologiam illam, ab *Herodoto* procul dubio, & a nemine alio, profectam, τοῖσι ἀμφικτίοσι, & πᾶσι τοῖσι ἀμφὶ ταύτης οἰκέουσι τῆς πόλιος· Poſterius, utcunque conſideres, nihilo plus dicit, & nihilo minus, quam prius. Forte tamen (niſi argutor) non ſine ratione poſtrema addenda duxit *Herodotus*; ne ſcilicet, quod forte contingeret, lectorum aliquis gentem Amphictyonum cogitaret.

492, 29, δὶς] Oblitus ſui hoc ſcripſit, ſi ſcripſit, *Herodotus*. Nam ſupra *p.* 71, 8, in hac ipſa hiſtoria non *bis*, ſed τρὶς, *ter*, legitur. Minuta res, & barbæ pilum non valens.

492, 36, ἐκταμὼν, *exſectos*. Narratio requirit tempus præteritum.

493, 29, ποιέειν πειρώμενον, *æquaret dictis opera, inſtituto tentamine*, idem eſt, quod vulgaris dicendi mos flagitat, πειρᾶσθαι ποιεῖν, *tentaret facta dictis æquare*.

493, 33, τάχεως, retracto accentu, aut potius, ut Ionica ſcriptura eſt, τάχεος, id eſt, τάχους.

χῶς. *Ut celeritatis quisque habebat*, id eſt, *quam quisque poterat celerrime.*

493, 34, σχεδίας, δι' ὧν ἔδει πορευθῆναι &c.

495, 10, αὐτῆς] Aut αὐτῦ ſimpliciter, aut αὐτῦ τις legendum.

495, 14, τὴν Ἀττικὴν] Abſurdam & ſanæ rationi pugnantem hanc lectionem eſſe, liquet. Ex Andro inſula mittit *Themiſtocles* fidos aliquot homines ad *Xerxem*, qui in *Helleſpontum* tam fœliciter aufugerat, nempe, ut Græci eum aſſequi non valerent. Illi eum in Attica quærunt. Hem ſtuporis! Quid ſcripſerit *Herodotus*, non quidem definiverim. At ſenſus poſtulat, ut ille aut πρὸς τὸ ναυτικὸν, *ad copias navales*, Perſarum ſcilicet, aut πρὸς τὴν βασιλικὴν, ſcilicet νῆα, *ad navem regiam*, ſcripſerit.

495, 38, pro ἀνήκοντας aut legendum eſt λιμαίνοντας, aut ἀμηχέοντας (a μῆχος), *eſurientes*, aut *nullam invenientes rationem artemque, miſeria ſua ſeſe expediendi*, aut excidit πενίης, vel ſimilis vox, ἐς τὰ μέγιστα πενίης, (vel ἀπορίης, ἀμηχανίης, &c.) ἀνήκοντας.

498, 33, ὅκως] Repetendum a communi ἐκ ἔχω γνώμην μίην ἀντίξοον.

499, 29, ἕκαστος.

499, 23. Obhæſitabam hic aliquando, & conjiciebam δεξιωτάτω. Conf. *lin.* 43. Tutius tamen, vulgatam ἀξιωτάτῳ retinere, & ἀριστηίων ſubintelligere.

502, 18, τὰς redit ad μοίρας, διελθόντας autem (ſi proba lectio) in maſculino effert, quia

de

de viris; de militibus, ſermo eſt. Figuram hanc *πρὸς τὸ σημαινόμενον* appellant Grammatici. Forte tamen τὲς legendum.

502, 17. Quid, ſi *διωδοιπορίκεσαν*, id eſt, *διὰ τῆς ὁδοῦ διαπεπορίκεσαν*, *pertranſegerant*, *traiecerant*, *immiſerant in urbem*. *Αἱ μοῖραι διωδοιπόρουν*, *cohortes ipſæ transmigrabant*; verum *οἱ πέμψαντες αὐτοὺς διωδοιπόριζον*, *qui eos miſerant*, *traiiciebant eos*.

501, *ant*. οὐ μὴν οὐδὲ &c. Et ſic quoque *pag. 511, 26*.

502, 40, *τὴν δὲ Σάμον* &c.] Thraſonem, ſeu, ut nos hodie loquimur, Gaſconem, hic agit *Herodotus*, & magno cultro ſecat. Itane neſciebant Lacedæmonii & Græci Samum & columnas *Herculis*, quantum diſtent a ſe quæque, qui colonias in Aſiam & Africam & Italiam deduxerant? Oblitus ſui fuit Noſter & eorum, quæ *Libro primo*, & fere omnibus, narravit. Sed videtur *Herodotus*, errans *Ulyſſes*, lepidi homo ingenii & Bonæventuræ captator fuiſſe, qui non dubitaret, interdum faceto dicto veritatem vendere. Ego quidem, nullum unquam fuiſſe Hiſtoricum, puto, qui peritia ſpecioſe arguteque mentiendi hunc noſtrum *Halicarnaſſenſem* ſuperaverit. Quis non rideat & miretur, quanta arte Græcorum cum Perſis bellum, muſcarum cum elephantis, pingat.

503, 12. Neſcio, an edita ab *Herodoto* profecta ſint, nec ne. Vulgo certe ſolet potius *ὡς πρῶτα*, *quamprimum*, efferri.

503, 14, ἱροῖσι] Forte ἱερήιοισι, *cum ſacrificiis*, vel *medio victimarum.*

503, 19, forte αἵρεσιν, *optionem*, excidit poſt χρηστηρίων.

503, 27, forte Πτῶς, ut præceſſit.

505, 32, ἄιτιον] Aliquando coniiciebam ἄντιον. Sed recte habet lectio vulgata. Notat idem, quod ἐπαίτιον, *aliquid, quod prætendi ad excuſationem ſui poteſt.*

505, 43, καταλύεσθε, niſi cum vulgata facere malis.

506, 40, ἀρχῆς] Paulo dictum obſcurius. Pro περὶ τοῦ ἄρχεσθαι ὑμᾶς ὑπὸ Περσῶν, *totus hic labor bellicus circa illud momentum verſatus fuit*, (ideo bellatum, bello certatum fuit,) ut *vos ſub imperio Perſarum eſſetis.*

506, 41, aut deeſt παρὲξ ante τουτέων, aut, quod ego quidem præfero, καὶ poſt γενέσθαι.

507, 2, ἐπιθρέψειν] Quid ſibi velit ἐπὶ in hac compoſitione, non video. Putem, aut ἐςὶ θρέψειν (& eo in caſu erit τὰ *lin. 1* idem atque ἃ, *ea, quæ)* aut potius ἀποθρέψειν. Significat ἀπὸ in tali compoſitione *penitus, prorſus, usque ad finem*, belli ſcilicet, *nutrire*. Conf. *pag. 508, 6*, qui priori coniecturæ obſtat.

507, 13, δέῃ eſt ſecunda perſona ſing. præſ. paſſivi, non tertia ſubiunct. activi, quod credidit Interpres. *Non opus habebas hæc nobis exprobrare.*

V.

IOANNIS CHRISTOPHORI STRODTMANNI,

RECTORIS SCHOLAE HARBVRGENSIS,

SYLLOGE SECVNDA DIFFERENTIARVM GRAECARVM.

I.

Ἄγαλμα & γραφὴ differunt. Ἀγάλματα generatim *ornamenta*, *templorum* præcipue apud *Homerum*, apud poſteros vero etiam *ſimulacra* & *ſtatuas*, denotant. Ex *Suida* diſcimus, ἀνδριάντας pariter & γραφὰς vocari ἀγάλματα, ut adeo etiam pro *imaginibus pictis* adhibeantur ἀγάλματα. Sed diſtinguit hæc a ſe invicem *Ariſtoteles Pol. VII*, ubi illud eſt: Μηδὲν μήτε ἄγαλμα, μήτε γραφάς. Diſtinguitur idem vocabulum ἀγάλματος etiam a voce εἰκόνος. *Ælianus V. H. Lib. XIV Cap. 37*: Φιλῶ δὲ μηδὲ τὰ ἀγάλματα, ὅσα ἡμῖν ἡ πλαστικὴ δείκνυσι, μηδὲ τὰς εἰκόνας ἀργῶς ὁρᾷν. *Statuas & imagines, quas fictorum nobis ars exhibet, non oſcitanter, aut obiter, ſpectare ſoleo.* Quomodo *imago* & *ſtatua* differant, latius explicant *Plinius Hiſt. Nat. Lib. XXXV Cap. 2*, & *Lipſius Elect. Lib. I Cap. 29*. Εἰκόνα pro ſtatua etiam ſumi, quampluri-

plurima oſtendunt veterum loca. *Plutarchus* in *Polit. præcept.* γλυψάμενος εἰκόνα. *Ælianus V. H. Lib. VIII Cap.* 16 de *Solone*: καὶ ἀνέστησαν αὐτῷ χαλκῆν εἰκόνα ἐν τῇ ἀγορᾷ, *æneam ſtatuam poſuerunt ei in foro.* Quod clarius patescit, ſi cum *Æliano* conferas *Pauſaniam Lib. I p.* 28, qui *Solonis* ſtatuam æream ante porticum Athenis ſpectari, refert; item *Demoſthenem* in *Ariſtog. Or. II*, qui, Athenienſes, memorat, τὸν γράψαντα τοὺς νόμους Σόλωνα ψηφίσασθαι χαλκοῦν (ſubintellige ἀνδριάντα) ἐν τῇ ἀγορᾷ στῆσαι. Idem enim ſunt εἰκὼν apud *Ælianum*, & ſubaudienda apud *Demoſthenem* vox ἀνδριάς. Nec aliter accipi poteſt locus *Laertii*, cum ſcribit: Σωκράτη δὲ χαλκῆς εἰκόνος ἐτιμήσαντο, ἣν ἔθεσαν ἐν τῷ Πομπείῳ. *Socratem* Athenienſes ænea ſtatua ornarunt, quam collocavere in Pompeo. Vid. M. *Theoph. Adami Exercit. de Statua Socratis p.* 9 & 13. Videtur nulla alia, hoc indice, ſubeſſe ratio, quare vocabulum εἰκόνος ad ſtatuas retulerint, quam quod per æs, ſolidamque aliam & duraturam materiem, æque conati ſunt ſimilitudinem exprimere, ac fieri alias per colores & pigmenta conſuevit.

II. Ἀδολεσχίαν, λαλιὰν, & λογοποιΐαν, ſubtiliter & ingenioſe *Theophraſtus* in *Charact. ethicis* diſtinxit; at a ſcriptoribus iſtæ diſtinctiones non obſervantur. Quare etiam *Plutarchus* in Commentario, quem ſcripſit περὶ ἀδολεσχίας, tres has ſpecies una voce comple-

ctitur. Qui congreſſionibus ita delectantur, ut voluptati illi, quam ex colloquiis mutuis & confabulationibus perſæpe nugatoriis, (quibus ſolent homines otio dediti, & garruli ſenes, ſe oblectare,) omnia poſtponant, facileque vel dies integros de lana caprina, aut gerris Siculis, cum ſui ſimilibus colloquentes, traducant; hos Græci ἀδολέσχȣς, quaſi *avidos confabulandi*, παρὰ τὸ ἄδεσθαι τῇ λέσχῃ, nuncuparunt. *Theophraſtus Cap. III* definit ἀδολεσχίαν διήγησιν λόγων μακρῶν καὶ ἀπροβȣλεύτων. Sic *Ariſtoteles* eos definiebat *Lib. III Nic.* τȣ̀ς φιλομύθȣς καὶ διηγηματικȣ̀ς, καὶ περὶ τῶν τυχόντων κατατρίβοντας τὰς ἡμέρας. Similiter etiam *Chryſoſtomus* in Oratione quadam τοῖς ἀδολέσχοις tribuit λόγȣς ἀναισθήτȣς καὶ μακρȣ̀ς, *ſermones ſine mente & longos*. Et in optimo Gloſſario ἀδολέσχης vertitur *fabuloſus*, hoc eſt, φιλόμυθος, ut dixit *Ariſtoteles*. Λαλία vero *vitium eſt, quo tenentur ii, qui non ſolum confabulationibus iſtis nimis ſunt dediti*, (quæ erat ἀδολέσχων nota,) *ſed hoc amplius modum in congreſſionibus tenere neſcientes, perpetuo loqui, tacere nunquam, neque ullam aliis loquendi partem tradere, ſolent*; ſed γλωσσαλγίᾳ & loquendi morbo, ut *Cato* vocabat, laborant. De λαλίᾳ *Theophraſtus Cap. VII* agit. Repeṙiuntur vero quidam minimi pretii & male feriati homines, quibus mos eſt, falſa quædam confingere, quæ aliis narrent, iis maxime, qui novorum nunciorum audiendorum deſiderio ducun-

ducuntur; qua prurigine teneri multos videas. Græci ſictores iſtos novorum rumorum λογοποιὲς dixerunt, & vitium ipſum, de quo *Theophraſtus. Cap. VIII,* λογοποιΐαν. *Caſaubonus Comment. in Theophr. p. 47-49.* Denotat autem λογοποιὸς *hominem mendacem, qui vanos rumores ſparſit*, ideo, quod λόγος *mendacium* & *fictionem* ſignificat, quando τῷ ἔργῳ opponitur. Vid. *Bergleri Notas ad Alciphron: p. 36,* & Cl. *Krebſii* Animadverſiones in *Plutarchi Comment. Quomodo adoleſcens Poetas audire debeat, p. 109.*

III. Differentia eſt inter αἶνον & μῦθον. *Iulianus Orat. VII p. m. 207:* Τȣ̃ δὲ τοιȣ́τȣ προβαίνοντος, καὶ παρὰ τοῖς ἕλλησιν εὐδοκιμȣ̃ντος εἵλκυσαν ἐντεῦθεν οἱ ποιηταὶ τὸν αἶνον, ὃς τȣ̃ μύθȣ διαφέρει. τῷ μὴ πρὸς παῖδας, ἀλλὰ πρὸς ἄνδρας, πεποιῆσθαι, καὶ μὴ πρὸς ψυχαγωγίαν μόνον, ἀλλὰ καὶ παραίνεσιν ἔχειν τίνα, i. e. ac cum proceſſiſſet inventum, & apud Græcos florere cœpiſſet, indidem Poetæ, quem vocant, apologum expreſſerunt: qui in eo differt a fabula, quod virorum, non puerorum, gratia componatur; neque voluptatem ſolam, ſed adhortationem quoque, contineat. *Dionyſius Petavius* ad h. l. ita commentatur *p. m. 94.* Quid ſit αἶνος, aliter explicat *Euſtathius Iliad.* Θ, &, idem eſſe, ait, atque αἴνιγμα, ſive γρῖφον. Sed ad *Iliad.* Λ interpretatur μυθώδη λόγον, ἢ παραίνεσιν, quod cum *Iuliano* congruit. De fabula, & eius origine, vide *Aphthonium.*

nium. Sed nimis anguſte τὸν μῦθον accipit *Julianus.* Nam & *Æſopi*, qui princeps huius rei fuiſſe creditur, fabulæ μύθοι ſimul & αἶνοι ſunt, & illo ſæpius, quam hoc, vocabulo cenſentur. Nihilo minus μύθȣς intelligit, quales ſunt *poeticæ fabulæ.*

IV. Diverſi ſunt αἰπόλοσ & ποιμήν. *Ammonius* ita diſtinguit: αἰπόλος μὲν γὰρ, ὁ ἐπὶ τῶν αἰγῶν τεταγμένος νομεὺς. ποιμὴν δὲ, ὁ ἐπὶ τῶν προβάτων. Eodem modo ποιμὴν etiam in N. T. adhibetur: *Io. X, 20*; ποιμήν ἐςι τῶν προβάτων. Rem paſtoritiam nemo accuratius definit, quam *Theocritus*, qui *Idyll. I, 80*, triplex paſtorum genus deſignat his verbis:

Ἦνθον τοὶ βῶται, τοὶ ποιμένες, ὡ᾽ πόλοι ἦνθον.

Venerunt tibi bubulci, tibi paſtores, caprarii venerunt.

Quibus *Zacharias Calliergus* in *Scholiis* ad *v. 7* addit: νομεῖς, οἱ μὲν τῶν προβάτων καλȣ̃νται ποιμένες, οἱ δὲ τῆς ἑτέρας μερίδος αἰπολοι. Verum enim vero, quemadmodum *Daphnis* ille apud *Theocritum* in *Idyll. XXXVI, 46, 47*, βȣκόλος capras & hædos in armento ſuo habuit, dicens:

Αἶγες ἐμαὶ βόσκεσθε, τὰ βωχόλα ἔργα νοήσω:

Ταῦροι καλὰ νέμεσθε.

Capræ meæ paſcimini, bubulci cognoſcam opera!

Tauri, optime paſcimini herbis;

ſic

ſic etiam vox ποιμὴν *Theocrito* ipſi vocabulum eſt, quod caprarium non minus deſignat, quam opilionem. Hinc *Theocriti*, quem *Daphnis* βȣκόλος *Idyll. VIII, 9*, ποιμένα εἰροπόκων οἰων, *paſtorem lanigerarum ovium*, appellat, *Menalcas Idyll. IX, 16, 17*, non oves modo ſibi attribuit, ſed & capras, canens:

— — — ἔχω δέ τοι, ὅσσ' ἐν ὀνείρῳ
Φαίνονται, πολλὰς μὲν ὄϊς, πολλὰς δὲ χιμαίρας.

— — — *habeo autem tibi, quicquid in ſomnio*,
Apparet, multas quidem oves, multasque capras.

Quapropter & *Comatas Idyll. V, 1, 2*, monet: αἶγες ἐμαὶ τῆνον τὸν ποιμένα τὸν Συβαρίταν Φεύγετε τὸν Λάκωνα. Vid. *Scholzii Ioanneam ex Theocriti Idylliis p. 11* &c.

V. Obſervat *Athenæus Deipnoſoph. Lib. XIV Cap. 20 p. m. 653 b. Platonem* inter βότρυν & σταφυλὴν *Lib. VIII de Legibus* hanc differentiam perhibere, ut, βότρυν uvam, ſeu ficum immaturam, σταφυλὴν uvam nobilem, aut ficus nobiles, eſſe, affirmet. Σταφυλὴ tamen in antiquis Hymnis pro dictione βότρυος ſumitur, & Atticis peculiaris vox eſt, notante id *Crate Libro II de Attica dialecto. Caſaubonus* in Notis ad h. l. *Athenæi* hæc adiicit: Uvam Græci βότρυν & σταφυλὴν dicunt. Sed *Athenæi* ſeculum βότρυς nomen frequentavit magis: contra, quam factum ab *Homero*, & aliis anti-

quiſſimis ſcriptoribus, qui altera appellatione uſi ſunt potius. Aſiaticum eſſe nomen σταφυλὴ, quod ait *Crates*, illi crediderunt, qui uvam *ſtaphylam* nominatam a *Staphylo*, quodam exiſtimabant.

VI. Et *Ammonius*, & *Erennius Philo*, nos docuere, quid differant βρέφος, παιδίον, παιδάριον, παιδίσκος, & παῖς. Iuvat quædam addere. *Euſtathius* ad *Homeri Il.* Θ. p. 727 has ætates eodem modo diſtinguit, notans 1), recens natum infantem dici βρέφος; 2) illum, quamdiu ab uberibus matris, aut nutricis, pendeat, παιδίον ſalutari; 3) eundem, fari quando atque ambulare incipit, παιδάριον vocari; 4) antequam ſcholas frequentet, παιδίσκον; & 5), cum iam ſcholas adeat, diſcereque incipiat, παῖδα, dici. Vocem παῖδα ſignificatu modo dicto adhiberi, ex *Xenophontis Cyropæd. Lib. I* paſſim elucet. Οἱ μὲν δὴ παῖδες εἰς τὰ διδασκαλεῖα φοιτῶντες ait *Cap. VI.* Eosdem παῖδας, non longe poſt ait, hoc facere μέχρι ἓξ ἢ ἑπτακαίδεκα ἐτῶν ἀπὸ γενεᾶς. — ἐκ τούτου δὲ εἰς τοὺς ἐφήβους ἐξέρχονται. Quanquam autem ita diſtinguantur a Græcis ætatis puerilis intervalla; permutantur tamen illa ſæpius ſecum invicem, ut v. g. παιδίον idem, quod βρέφος, deſignet, nempe *infantem recens natum*. Sic namque οἱ LXX *Moſen recens natum* τὸ παιδίον dicunt *Exod. II, 6.* Eodem modo *Matth. II, 13*, Servator *recens natus* etiam παιδίον vocatur. *Lucas Cap. XVIII, 16*, vocat eos παι-

δία,

φη, quos com. 15 τὰ βρέφη vocaverat. Deprehenduntur eadem apud profanos, pariter ſcriptores. *Lucianus* e. g. in *Dialogo*, qui *Alcion* inſcribitur, *T. I Op. p.* 145, primo vocat τὰ βρέφη πεμπταῖα, *infantes quinque dierum*, & δεκαταῖα, *decem dierum*, quos tamen mox παιδία ſalutat; prouti & *Diodorus Siculus Lib. II Biblioth. p.* 65 commemorat παιδίον ἐνιαυσιαῖον, *puerulum anniculum.* Immo *Ariſtoteles Lib. VII Ethic. Cap. V* embryones adeo, ſeu infantes in utero latentes, παιδία dicit. Conf. etiam *Apollodor. Lib. III Bibl. p.* 247. & *Diodorus Siculus* loc. cit. *Lib. V p.* 233. Hæc *Wincklerus* in *Hypom. philol. p.* 95 *ſeq.* commentatur, paucis exceptis, quæ inſerui. Ceterum aliter ætates, quam *Ammonius, Eranius,* & *Euſtathius*, diſtinguit Scholiaſtes Græcus MSS. quo uſus eſt *Scholtzius* in *Ioannea.* Ita autem Scholiaſtes: Βρέφος ἀπὸ γενέσεως ἕως ἐτῶν δ. παῖς ἀπὸ ἐτῶν ε ἕως ἐτῶν ιδ. Μειράκιον ἀπὸ ἐτῶν ιε, ἕως ἐτῶν κβ. Νεανίσκος ἀπὸ ἐτῶν κγ, ἕως ἐτῶν μδ. Ἀνὴρ ἀπὸ ἐτῶν με ἕως ἐτῶν νε. γέρων ἀπὸ ἐτῶν νϛ, ἕως ἐτῶν ξη. πρεσβύτης ἀπὸ ἐτῶν ξθ, μέχρι τέλους ζωῆς αὐτός, i. e. *infans a nativitate ad 4 annum. Puer a quinto anno ad 14. Adoleſcens a 15 anno ad 22. Iuvenis ab anno 23 ad 44 annum. Vir ab anno 45 ad 55 annum. Senex ab anno 56 ad 68 annum. Decrepitus ab anno 69 ad finem usque vitæ idem eſt.*

VII. Βουλευσις & ψευδεγγραφὴ, ψευδογραφὴ, vel ψευδὴς ἐγγραφὴ, non ſunt eadem. Sunt, qui dicant, ψευδεγγραφὴν reſpicere eos, qui pecuniam nunquam debitam imputabant, βουλευσιν vero eos ſolos, qui imputabant debita prius ſoluta. *Suidas:* Ψευδὴς ἐγγραφὴ, τοῦτο ὄνομα δίκης. Ζητήσει δ' ἄν τις, τίνι διαφέρει ψευδεγγραφὴ βουλεύσεως, καὶ γὰρ διαφέροντα τίθησιν, ὁ Λυκοῦργος. Τάχα οὖν ψευδεγγραφῆς μὲν ἐλάγχανον οἱ μὴ ὀφείλοντες μὲν, ἐγγραφέντες δὲ ψευδῶς. Βουλεύσεως δὲ, οἱ πάλαι μὲν ὠφληκότες, ἀποδόντες δὲ, καὶ αὖθις κατ' ἐπιβουλὴν ψευδῶς ἐγγραφέντες. Vid. *Potteri Arch. Græc. Lib. I Cap.* 23 *p. m.* 108.

VIII. Δίκτυον, ἄρκυς, & ἐνόδια, diverſa ſunt retia. Δίκτυα tam venatores, quam piſcatores, habuere. Ἄρκυες uſurpantur tantum de *retibus venatoriis*, iisque minoribus, quibus capiuntur lepores, vulpes, cuniculi, reliquæ feræ minores. Δίκτυα autem *venatoria* adhibebantur maioribus feris capiendis, v. c. apris, urſis, cervis. Ergo retia maiora fuere. Ἐνόδια medium inter utrumque genus conſtituunt, inque viis tantum expanſa ſunt. *Xenophon Lib. de venatione T. II Op. p.* 768 & 769 ed. *Leuenclavii* ita: Τὰς δὲ ἄρκυς φασιανοῦ ἢ καρχηδονίου λεπτοῦ λίνου, καὶ τὰ ἐνόδια, καὶ τὰ δίκτυα. Ἔστωσαν δὲ αἱ μὲν ἄρκυες ἐννεάλινοι, τὸ δὲ μέγεθος πενταστίθαμοι, διπάλαιστοι δὲ τοὺς βρόχους. Τὰ δὲ ἐνόδια δωδεκάλινα. Τὸ δὲ

μέγε-

μέγεθος, τὰ μὲν ἐνόδια, διώρυγα, τετρώρυγα, πεντώρυγα. Τὰ δὲ δίκτυα δεκώρυγα, εἰκοσώρυγα, τριακοντώρυγα. Ἐὰν δὲ ᾖ μείζω, δυσμεταχείριςα ἔςαι. *Retia de Phaſiano, aut Carthaginienſi lino tenui, facta eſſe debent; itemque caſſes, ad vias collocatæ, ac plagæ maiores. Conſtent autem retia de filis novem, & magnitudinem habeant ſpithamarum quinque, laquei palmos duos æquent. Caſſes, ad itinera collocatæ, filorum ſint duodecim, quæ quidem ad ulnarum duarum, vel quatuor, vel quinque, ſpatium extendantur. Maiores vero plagæ ad ulnas decem, viginti, triginta. Quodſi maiora fuerint, tractari non facile poterunt.* Idem *Xenophon p. 776*: Τὰ δὲ δίκτυα τεινέτω ἐν ἀπέδοις, ἐμβαλλέτω δὲ τὰ ἐνόδια εἰς τὰς ὁδούς. *Retia maiora in planitie tendat, caſſes autem in vias coniiciat.* Ibidem: Δήσαντα δ' ἐκ τῆς ὕλης τὰς κύνας ἑκάςην χωρὶς, ὅπως ἂν εὔλυτοι ὦσι, συνιςάναι τὰς ἄρκυς, καὶ τὰ δίκτυα, ὡς εἴρηται, i. e. *canibus ad ſilvam ſeorſim ſingulis ita religatis, ut facile ſolvi poſſint; caſſes & retia maiora, ceu dictum, erigunto.* Hæc de retibus venatoriis. Nunc ad retia piſcatoria. Quemadmodum δίκτυον *venatorum*, ita & *piſcatorum*, *maximum* fuit *rete*; ita differt ab ἀμφιβλήςρῳ, *reti minori.* Ἀμφίβληςρον *rete* eſt, *quod vel unus piſcator regit.* *Heſiodus* in *Scuto Herculis*, *v. 214 ſeq.*:

— — — — αὐτὰρ ἐπ' ἀκταῖς

 Ἧςο

Ἧστο ἀνὴρ ἁλιεὺς δεδοκημένος· εἶχε δὲ χερσὶν
Ἰχθύσιν ἀμφίβληστρον, ἀπορρίψοντι ἐοικώς.

— — — — — *Sed in ripis*
Sedebat vir piſcator obſervans; habebat autem manibus
Piſcium rete, proiecturo ſimilis.

Ἀμφιβλήστρῳ, reti, quo piſces per diem Ægyptii capiebant, nocte cubilia texiſſe, in quibus dormiebant, docet *Herodianus Lib. II p. 95;* quod in tranſitu monebimus. Vid. *Cuperi Epiſt. ad Th. Ianſ. ab Almeloveen* in *Miſcell. Lipſ. Novis T. III p. 692.*

IX. Inter δοῦναι & ἀποδοῦναι *Demoſthenes* ſubtiliter diſtinxit, qui, *Philippo* Halonneſon tradente, conſulebat Athenienſibus μὴ λαμβάνειν, εἰ δίδωσιν, ἀλλὰ μὴ ἀποδίδωσι, i. e. *ſi reddere vellet, ut acciperent, minime vero, ſi daret.* Cavillatus eapropter *Demoſthenem* eſt *Cothocides*, orator, teſte *Athenæo.* Eſt autem orator *Cothocides*, qui *Demoſthenem* riſit propter ſubtilem diſtinctionem inter δοῦναι & ἀποδοῦναι *Æſchynes.* Utriusque loci exſtant hodieque. *Caſaubonus Animadverſ. in Athen. p. 396.*

X. Diſcrimen ἐγκωμίου & ἐπαίνου tradunt veteres dicendi apud Græcos artifices, *Ariſtoteles Lib. I Rhet. Cap. IX* & alibi, *Theo* præterea, *Aphthonius*, eiusque enarrator Anonymus, plenius autem *Menander Rhetor p. 610:* quod nempe

nempe ἐγκώμιον viventium foret, ut nonnulli ex iis volunt, (refellit autem eos ἐγκώμιον *Evagoræ* iam fato functi ex *Iſocrate*,) non mortuorum; vel unius ſingularis virtutis, ut iuſtitiæ in *Ariſtide*; aut rerum geſtarum ſolum; non autem virtutum illius, de quo agitur, laudatio; quod ſimplex, aut brevis, eadem; aut vera adeo potius, quam veriſimilis; ac opinionis magis & celebritatis, quam veræ ſolidæque laudis, teſtimonium. Poſtremum inter utrumque ἐγκώμιον & ἔπαινον diſcrimen ceteris modo adductis præfert dicto loco *Menander* Rhetor, & hoc utique *Conſtantii* Encomio abunde quoque comprobat *Iulianus Orat. I p. 1*, dum eas in illo virtutes, manſuetudinem, clementiam, animum ab omni ambitione, ac regnandi etiam cupiditate, vacuum, ab omni præterea ob proſperos & inſperatos rerum eventus elatione, vel arrogantia, remotum, prædicat & extollit. Vid. *Ezech. Spanhemii Obſervat. ad Iuliani Imp. Orat. I p. 7 & 8*. Ceterum ad definitionem ἐγκωμίων, quod proprie ſint laudes, quibus viventium adhuc res præclare geſtæ celebrentur, verba *Theonis* Sophiſtæ, ſupra laudati, adiicere iuvat. Ita autem ille: ἐγκώμιόν ἐστι λόγος ἐμφανίζων μέγεθος τῶν κατ᾽ ἀρετὴν πράξεων. Τούτου δὲ μὲν εἰς τοὺς ζῶντας, ἰδίως νῦν ἐγκώμιον καλεῖται.

XI. Εἰκὼν & στήλη diſcrepant. Εἰκὼν præmium erat, cum cuiusdam viri imago, aut ſtatua, in arce, foro, aliisque locis publicis, erigebatur,

batur, ut nos docent *Demoſthenes de falſa legat.* aliique. Huiusmodi virtutis monumenta Athenis plura, quam ulla alia in toto terrarum orbe civitate, exſtitiſſe, a *Pauſania* diſcimus. Στήλη erat (ut vox ipſa ſonat) *columna*, in qua rei crimen maiuſculis literis inſcriptum legebatur. Qui deriſioni ac conviciis omnium hunc in modum exponebantur, vocati ſunt ϛηλῖται. Unde ϛηλιτευτικὸς λόγος uſurpatur pro *quavis invectiva*, aut oratione, qua quis traducebatur. *Potteri Arch. Gr. Lib. I. Cap. 25.* At enim vero vox ϛήλη non ſemper in malam partem accipienda eſt. *Marinus*, in *Vita Procli*, *Socrati* ϛήλην fuiſſe poſitam, dicit. Conſtat autem ex *Laertio*, ſtatuam *Socrati* honoris & pœnitentiæ publicæ, non ignominiæ, cauſa collocatam eſſe. Neque εἰκων, etiamſi præmium, iuſtum in omnibus & æquale fuit. Vid. *Adami* Diſſert. *de Statua Socratis p. 24.*

XII. Diſcrimen eſt inter voces ἕψημα, ζωμὸς, & ῥόφημα. Ἑψήματα vocabantur cocta olerá, aut legumina, vel alia absque carne; ζωμὸς iuſculum, in quo carnes coxerunt. *Clemens Alexandrinus, Pæd. Lib. II* tenuis menſæ cibos enumerans, ſcribit: Βολβοὶ, ἐλαῖαι, λαχάνων ἔνια, γάλα, τυρὸς, τά τε ὡραῖα ἑψήματα τε παντοδαπὰ ζωμῶν ἄνευ, κ᾽ ἄν ὀπτȣ̃ δέῃ κρέως, ἢ ἑφθȣ̃, μεταδοτέον. Separat *Clemens* ἑψήματα & ζωμȣ̀ς, & ſtatim addit, *ſin carnibus ſit opus.* Unde clarum eſt, ζωμȣ̀ς id eſſe, quod diximus. Sed error non eſt ferendus, qui in *Clementem* irre-

irrepſit. Ita enim ſcribendum: Κ'ἂν δέῃ κρέως, ὀπτȣ̃ μᾶλλον ἢ ἑφθȣ̃ μεταδοτέον. *Si carnium opus ſit, aſſatas, quam iurulentas, præſtat apponere.* Ita ſcribendum eſſe, declarant, quæ ſequuntur. Ῥοφήματα dixerunt Græci, quæ Galli *poutáges espois. Theophraſtus* in *Libro de igne* ab aquis ſeparat ῥοφήματα hoc diſcrimine, quod ſint σωματωδέϛερα καὶ παχύτερα. *Galenus Lib. IV* ἕψημα etiam vocat ζωμὸν, ſed cum adiectione λευκὸν. *Album ius*, in quo vel olera tantum, vel etiam piſces, cocti fuiſſent; at non item, in quo carnes. Vid. *Caſaubonus Animadv. in Athen. p.* 242 & 258 *ſeq.*

XIII. Inter κινύραν & νάβλαν, utrumque alioquin δεκάχορδον organum, diſcrimen obſervat *Ioſephus* Αρχ. *Lib. VII Cap. XI*, quod nempe illa plectro, hæc autem (& quam per κιθάραν reddunt ſubinde LXX interpretes, ut *Pſ. LXXXI*, 3,) δακτυλίοις κρȣ́εται, *digitis pulſatus. Theodoritus* in *III Reg. Qu.* 34 de utroque illo organo gemina habet. Poſtremum manu nempe & digitis potius, quam plectro, pulſare, maioris olim artis habitum eſt: unde de *Epigono*, inſtrumenti *Epigonii*, ab eo dicti, inventore, ait *Athenæus Lib. IV p.* 183: Μȣσικώτατος δὲ ὢν κατὰ χεῖρα δίχα πλήκτρȣ ἔψαλλεν, i. e. *cum Muſicæ ſumme eſſet peritus, manu, ſine plectro, pulſabat. Ezech. Spanhemius ad Callimachum p.* 470.

XIV. Differunt κεμὰς & νεβρός. Κεμὰς quidem de *cervi hinnulo* dicitur, ſed de eo adhuc

huc in ſpelunca latente, (quanquam de ea re paullo aliter *Euſtathius* ad *Il.* K. *p.* 711,) nec foras prodire auſo, ut id apud Etymologum M. legitur, in voce κεμὰς; nempe διαφορὰν δὲ φάσιν εἶναι κεμάδος καὶ νεβρῦ. Κεμάδα γὰρ εἶναι τὴν ἐπικοιμομένην τῷ σπηλαίῳ. Νεβρὸν δὲ τὸν μείζονα, καὶ ἐπὶ βορὰν νεμόμενον. *Differunt autem* κεμὰς & νεβρός. Κεμὰς *enim dicitur, quæ adhuc cubat in ſpelunca;* νεβρὸς *autem hinnulus, qui iam maior eſt, & ad paſcendum prodit.* Κεμὰς autem a Poetis ſubinde non tam de cervi hinnulis, aut capreis, ſed de magnis etiam cervis, dicitur. Ita invenitur apud *Callimachum Hymn. in Dian. v.* 112. Erudite *Heſychius* varios vocis κεμάδος ſignificatus tangit, κεμὰς, νεβρὸς, ἔλαφος. Τίνες δὲ δορκάς, i. e. κεμὰς *hinnulus, cerva; aliquibus autem dorcas, ſeu caprea.* Vid. *Spanhem.* ad *Callim. loc. cit. p.* 212.

XV. Inter λέγνον & ὤαν differentia obtinet. *Erotianus* quidem (ſeu ille ſit *Herodianus*, Grammaticus, prout exiſtimat *Iſaacus Voſſius*,) in *Hippocratis* Lexico negligit diſcrimen, cum docet: Τὰ λέγνα τῆς ὑστέρας, ἀντὶ τῦ πέρατα. Λέγνα γὰρ ἐκάλῦν οἱ ἀρχαῖοι τὰς τῶν ἱματίων ὤας, ὡς καὶ Καλλίμαχος φησὶ, λέγων τῦτων κανόνων ἐπιπερὶξ λεγνώτον χιτῶνα, ἐντεῦθεν δηλῶν, ὡς τὸ λέγνον τὴν ὤαν σημαίνει, καὶ οἷα τὸ πέρας. Sed, non fuiſſe omnino eadem in veſte λέγνα & ὤας, patet ex *Galeno*, in explicatione Gloſſarum *Hippocratis*:

Λέγνα

Λέγνα τὰ ἄκρα τῆς ϛομίȣ τῆς ὑϛέρας, ἐκ μεταφορᾶς. Οὕτω γὰρ τὰ περὶ τὰς ὤας καλεῖται τῶν ἱματίων, h. e. λέγνα *extremæ partes oris uteri, ex metaphora. Sic enim vocantur, quæ circa extremitates veſtium.* Diſcrimen inter has voces etiam tangit *Pollux Lib. VII Cap. XIV:* ὦα δὲ τῷ ἐξωτάτω τȣ̃ χιτῶνος, ἑκατέρωθεν. Λέγνα δὲ τὰ ἐν τῷ ἱματίῳ ἑκατέρȣ μέρȣς, ȣ̓χ ὅπȣ ἡ ὦα, h. e. *ωα autem extrema utrinque tunicæ pars.* Λέγνα *vero, quæ etiam utrinque in veſte, non tamen, ubi eſt* ὦα, *ſeu fimbria.* Firmat id præterea *Heſychius*, apud quem λέγνη (potius λέγνον) ſimiliter dicitur, non ὦα quidem, ſeu extrema veſtis ora, ſed τὸ παραϋφαινόμενον τῇ παραϛροφῇ (melius περιϛροφῇ) διόπερ ἦν πάχυ περὶ τὴν ὤαν, ἐκ τȣ̃ ῥάμματος, *prætextum extremitati veſtis, in ſe replicatæ, ſeu contortæ, aſſutum, unde erat idem craſſum circa veſtis oram, idque ex ſutura. Spanhemius* ad *Callimachi Hymn. in Dian. p.* 136.

XVI. Μάγειρος & ὀψοποιὸς diverſi ſunt. Profert *Athenæus Lib. IX Cap. XVI* coqui apud *Dionyſium* in *Theſmophoro* arrogantem vaniloquentiam, inter alia hæc dicentis:

Οὐκ ἔϛι μάγειρος, ὀψοποιός δ' ἐϛ' ἴσως,
Οὐ ταυτὸ ἐϛὶ τȣ̃το. Πολὺ διήλλαχεν.

Coquus ille quidem non eſt, ſed obſonii parandi fortaſſis artifex:
Hoc autem cum coquo idem non eſt; ſed diſtat plurimum.

Qui

Qui ante locutus erat, coquum aliquem laudaverat eo unico nomine, quod cibos optime condiret. At ille, cuius hæc ſunt, negat, coqui eam eſſe laudem: ſed vilis ὀψοποιȣ̃. Artem enim coqui maius aliquid eſſe, & ex pluribus obſervationibus collectum. Sic etiam alii Poetæ diſcrimen ſtatuunt inter μάγειρον & ὀψοποιὸν, ſive & διάκονον. *Caſaubonus* in *Animadverſ. ad locum cit. Athenæi.*

XVII. Sunt, qui putant, μονοφαγεῖν & μονοσιτεῖν idem ſignificare, ſed falſi ſunt opinione ſua. Μονόφαγοι ſunt, qui ſoli comedunt, ut illi Æginetæ, de quibus *Plutarchus* in Græcis Quæſtionibus. Hominibus, qui amicitiam cum nemine colerent, μονοφαγίαν pro magno convicio obiiciebant. *Alexis*, ἐῤῥ' κόρακας. Μονοφάγε καὶ τοιχωρύχε: quia, ut *Seneca* ait, *viſceratio ſine amico vita leonis ac lupi eſt*; &, nullam vitam eſſe vitalem ſine amico, recte dicebat Philoſophus. (Μονοφάγος, quantum iudico, idem erit, qui Germanorum *Fauſtfreſſer.*) Μονοσιτεῖν autem eſt *ſemel tantum de die cibum ſumere.* *Hippocrates* eo vocabulo aliter nunquam uſus eſt. Μονοσιτεῖν opponitur τῷ ἀριςᾷν, quia fere prandio potius, quam cœna, abſtinebant, qui ſemel comedebant. Poſteriores vero ſcriptores μονόσιτον & μονοσιτεῖν acceperunt pro μονοφάγοι & μονοφαγεῖν. Vid. *Caſauboni Animadverſiones in Athen. Lib. II Cap. VIII p. 96*, ubi obſervat quoque, ἀριςᾷν poni pro *bis de die veſci.*

XVIII.

XVIII. *Caſaubonus* in Comment. ad *Theophraſti Charact. Eth.* p. 234 diſtinguere iubet inter νόσον συγγενικὴν & σύμφυτον, quanquam συγγενὴς interdum ac σύμφυτος idem denotent. Exiſtimat autem, proprie σύμφυτον νόσημα eſſe *morbum*, qui ἀπὸ παιδὸς συνέβη, καὶ συναδρώθη, ut loquitur *Hippocrates* ſecundo porrhetico. *Genitivum morbum* Latine dixeris; ſicut *Suetonius* in *Auguſto* dixit *genitivas notas*, hoc eſt, σύμφυτα σήμεια, non autem συγγενικά. Συγγενὲς enim, vel συγγενικὸν, eſt, *quod a patre acceptum eſt*, aut, ut *Theophraſtus Capite* περὶ δυσχερείας accipit. (συγγενὴ ἀῤῥώσημα) *morbus, cui pater, aut avus, amboue, fuerunt obnoxii.* Nam certum eſt, morbos plerosque per ſucceſſiones quasdam, ut alia, tradi. Hæc *Caſaubonus*. Addiderim ego, σύμφυτον νόσημα ſine dubio eundem eſſe morbum, quem *Thucydides Lib. II, 24*, σύντροφον vocat.

XIX. Quid differant ὄικος, & ὀικία, docet *Ammonius*: Ὄικος μὲν λέγεται πᾶσα ὀυσία. Ὀικία δὲ ἡ ὑπὸ ἑνὸς, ἢ ὑπὸ δευτέρου κατοικουμένη. Egregia ſunt, quæ in Notis ad h. l. monet *Valckenaerius*. Recte quidem *Ammonius*. Exempla enim Græcorum ſatis teſtantur, ita has voces diſtingui, ut ὀικίας nomen ſpeciatim *ædibus* tribuatur; ὄικος vero multo latius pateat, & non tantum uxorem, liberos, ſervos, ceterosque domeſticos & propinquos omnes, complectatur, ſed ad facultates quoque

quasvis, ubicunque locorum eæ ſint, extendatur. *Xenophon Oecon. init. p. 647 lin. 5:* Οἶκος δὲ τί δοκεῖ ἡμῖν εἶναι; ἆρα ὅπερ οἰκία, ἢ καὶ ὅσα τις ἔξω τῆς οἰκίας ἐκέκτητο, πάντα τοῦ οἴκου ταῦτά ἐστιν; ἐμοὶ γ᾽ οὖν, ἔφη ὁ Κριτόβουλος, δοκεῖ, καὶ εἰ μηδ᾽ ἐν τῇ αὐτῇ πόλει εἴη τῷ κεκτημένῳ, πάντα τοῦ οἴκου εἶναι, ὅσα τις κέκτηται. *Et quid tibi videtur eſſe domus? Num idem quod domicilium, an vero etiam illa omnia, quæ extra ædes ſuas quis poſſidet, domus appellatione veniunt? Mihi ſic videtur, ait Critobulus, omnia pertinere ad domum, etiam ſi non ſint in eadem civitate, in qua poſſeſſor.* Vid. *Raphelii Annotat. Xenophont. pag. 156.* Addam exemplum ex *Euripidis Iphigen. v. 57:*

Στῦλοι γὰρ οἴκων παῖδές εἰσιν ἄρσενες.

Columnæ enim familiarum ſunt liberi maſculi.

Bene tamen monet *Raphelius* l. c. οἶκον & οἰκίαν promiſcue uſurpari, tum pro domicilio, tum pro familia, e. c. *Actor. X, 2.* Certo οἰκίαν notare familiam, & rem familiarem, ex *Æliani V. H. Lib. XIV Cap. 32* probabimus, ubi ita: Τὸν υἱὸν ἀπέλιπε μελεδωνὸν τῆς οἰκίας, *familiæ procurationem filio delegavit. Ammonius* non neglexit eodem loco diſtinguere inter οἶκον & δῶμα. Permutari autem hæc vocabula pariter, addendum eſt. *Euripides* in *Supplic. v. 222:*

Δωμ-

Λαμπρὸν δὲ θολερῷ δῶμα συμμίξας τὸ σόν.
Miſcens autem ſplendidam tuam familiam pollutæ.

Si tamen teſtimonium Poetæ quid valet. Conf. *Pfochenii* Diatribe *de Linguæ Græcæ N. T. puritate p.* 155.

XX. Inter ὀβελὸν & ὀβολὸν diſtinguit *Ammonius*. Ὀβελὸς ſcilicet ipſi eſt inſtrumentum, ſeu ferrum, in quod transfiguntur carnes, quæ debent aſſari. Ὀβολὸς autem eſt pars drachmæ, hoc eſt, monetæ. Adſcribere iuvat *Steinhoferi* obſervationem in *Græcia ſacra p.* 104. Ὀβελὸς a βέλος, telum, ſagitta, ſcribit, inſtrumentum videtur eſſe coquinarium, in ſummo acuminatum, & ſagittæ modo plagam inferre aptum. *Homero* ſecundum *Euſtathium* idem fuit τὸ ὀβελὸς & ὀβολὸς; recentioribus vero ſollicite diſtinctum eſt.

XXI. Inter πόλεμον & μάχην diſtinguendum eſſe, *Ammonius* bene monet, quanquam rem non ſatis declaret. Differunt autem idem, quod Romanorum *bellum* & *prælium*; Romani enim, quod ſæpius oſtendi, in differentiis quoque Græcos imitati ſunt. Exempla dabit *Popma*. Differentiam autem τοῦ πολέμου & μάχης a Græcis interdum negligi, ſicut a Latinis *bellum* & *prælium*, teſte *Popma p.* 111, (cui tamen inſignis exemplorum copia addi poterit,) permutantur, *Ammonius* non obſervat. *Arrianus Indic. XIV*, 4. Nonnulli elephantes rectores ſuos,

 ἐν

ἐν πολέμῳ ἀποθανόντας, *in prælio cæſos*, ſublatos ad ſepulturam detulerunt. Eandem ſignificationem etiam *Caſaubonus* annotat *Comment. in Polyb. p. 147.* Πόλεμος, inquit, ſæpe *Diodoro* pugnam ſignificat, & cædem, non bellum. *Libro XI* in deſcriptione navalis prælii: Πολὺς ἐγένετο πόλεμος ἀπάντων ἀφειδῶς τὰ σώματα τοῖς κινδύνοις ἐπιῤῥιπτούντων. *Acriter pugnatum eſt, vel multa cædes facta eſt.* Plura exempla ex *Diodoro* & ſacris ſcriptoribus ſuppeditat *Raphelius Annotat. Polyb. p. 475 & 718.* Præter *Arrianum* & *Diodorum* teſtem proferam *Ælianum V. H. Lib. III Cap. 9:* Ἐρῶντι ἀνδρὶ τίς ἐκ ἐρῶν, ὅπλοις ἐπειγέσης τῆς μάχης, καὶ συνάγοντος τῦ πολέμε, ἐκ ἂν συμμίξειεν. Quis cum amatore, qui ipſe non amet, cum pugna committenda, ferroque de rebus decernendum eſt, manus conferat? Junguntur h. l. μάχη & πόλεμος, ut diverſa, neque tamen πόλεμος quidquam aliud, quam prælium, notat. Privatis diſcordiis & contentionibus πόλεμος etiam ab *Epicteto* tribuitur *p. 332:* Πρὸς τὸ παιδάριον πόλεμος, πρὸς τὲς γείτονας, πρὸς τὲς σκώψαντας, πρὸς τὲς καταγελάσαντας. Bellum contra ſervulum, contra vicinos, contra dicaces, contra irriſores. Item *p. 465.* Vid. *Raphelii* lib. cit. *p. 697.*

XXII. Σῆψις & πέψις differunt. *Athenæus Lib. VII Cap. 1:* Κατὰ σῆψιν ἡ πέψις. *Putredine fit coctio.* *Caſaubonus* ad hunc locum ita commentatur: Concoctionem cum putre-

dine

dine male confundit *Athenæus*, quem ſæpe ſumus experti philologiæ, quam philoſophiæ, ſacris auſpicatius initiatum. Antiquiſſimi Philoſophi ita ſentiebant. *Plutarchus*: Ἡ πέψις ἔοικεν εἶναι σῆψις, ὡς Ἐμπεδοκλῆς μαρτυρεῖ λέγων· Οἶνος ἀπὸ φλοιοῦ πέλεται, σαπὲν ἐν ξύλῳ ὕδωρ. Appellat *Empedocles* aquam putrefactam vitis ſuccum, poſtquam concoctus eſt, & ad maturitatem pervenit. Sic ἄσηπτον ponebant pro ἄπεπτον, ut docet *Galenus VI* Comment. in primum Aphoriſmorum. At, eſſe diverſa σῆψιν & πέψιν, ex diſputationibus tam Philoſophorum, quam Medicorum, conſtat. Lege *Ariſtotelem* in *IV Meteor.* & *Galenum de facultatibus naturalibus Lib. II*, duodecimo vero primæ Philoſophiæ de diſcrimine inter hæc duo ſunt notatu digniſſima hæc verba: Ἡ σῆψις καὶ τὸ σηπτὸν περίττωμα τοῦ πεφθέντος ἐστί. Enimvero *Athenæus* non dixit, *concoctionem ciborum* eſſe σῆψιν, ſed fieri κατὰ σῆψιν. Etiam Peripatetici faciunt hæc affinia. *Olympiodorus*, quo loco explicat, quid inter illa ſit differentiæ, in Commentariis ſcilicet ad *IV Meteorol.* ita: Λέγομεν πρῶτον, ὅτι ἡ πέψις τοῦ πεπτομένου οὐκ ἔστι πέψις· ἀλλὰ πρὸς τὴν ἡμῶν χρῆσιν λέγομεν αὐτὴν πέψιν. Ἐπεὶ ὅσον πρὸς τὸ πεπτόμενον, σῆψις ἐστί, id eſt, *coctio non eſt eius, quod coquitur, coctio: ſed nos ratione uſus noſtri eam vocamus coctionem: nam eius quidem reſpectu, quod coquitur, putrefactio eſt.*

XXIII. Σπίζειν & ψωμίζεσθαι diverſum quid notant. Σπίζειν dicuntur nutrices ſuos alumnos, quando illis manſum ex ore ſuo cibum in os indunt. Ipſi autem pueri dicuntur ψωμίζεσθαι. *Ariſtophanes Equit. Act. II Sc. 2:*

Κλ. Ἐπίσαμαι γὰρ αὐτὸν, οἷς ψωμίζεται.
Αγ. Κᾆθ' ὥσπερ αἱ τίτθαι γε σιτίζεις κακῶς.
Μασώμενος γὰρ, τῷ μὲν ὀλίγον ἐντιθεὶς.

Cl. Quippe ego novi, quibus ineſcetur ferculis.
Ag. Nutricum tu more populum paſcis male.
Quia, ubi præmanderis, in os paulum ipſi ingeris.

XXIV. Σποδὸς & τέφρα ſunt res affines, ſed tamen diverſæ. *Athenæus Lib. IX Cap. 11:* Ἡ δὲ φάσσα ἀλέκτορος τὸ μέγεθος, χρῶμα δὲ σποδιόν. Ἡ δὲ τρυγὼν πάντων ἐλάττων, χρῶμα δὲ τεφρόν. *Dalechampius* vertit: *Phaſſa vero magnitudine gallinæ, colore cinereo. Turtur omnium minima, cineris colore.* Rectius *Caſaubonus Animadv. in Athen. p. 675* vertit, phaſſam *vivum cinerem* ſimilitudine coloris referre; turturem vero *cinerem exſtinctum.* Idem in *Comment. de Coloribus* explicat, quid differentiæ ſit inter τέφρον, *colorem*, & eum, qui σποδιός. Σποδὸς itaque *colorem vivi cineris*, τέφρα *exſtincti*, ſignificat.

XXV. Στέφανος, στεφάνη, & στέμμα, differunt. *Athenæus Lib. V Cap. 8:* Ἐπόμ-

πευ-

πευσαν δὲ καὶ θρόνοι πολλοὶ ἐξ ἐλέφαντος καὶ χρυσοῦ κατεσκευασμένοι, ὧν ἐφ' ἑνὸς ἔκειτο στεφάνη χρυσῆ. Ἐπ' ἄλλου δ' ἦν κέρας χρυσοῦν, ἐπ' ἄλλου δ' ἦν στέφανος χρυσοῦς. *Dalechampius* hunc locum male vertit, quia eum latuit differentia inter στέφανον & στεφάνην. *Caſaubonus* ad hunc locum ita: Enimvero ſententiam mutaſſet vir eruditus, ſi obſervaſſet, στέφανον quidem dici plectilem, tortilemque, aut cujuscunque tandem generis coronam, quæ toro conſtet; στεφάνην vero non eſſe torum, ſed limbum aliquantæ altitudinis in orbem ductum. Itaque στεφάνη quædam *Callixeno* memoratur altitudine bicubitalis; item alia ſex & quinque cubitorum. Atque ex eo murorum minæ στεφάναι dicuntur Græcis, non στέφανοι. Στέμμα vero eſt vitta, ſive lemniſcus. Atque, ut coronæ lemniſcatæ (id eſt, ut loquitur *Theocritus*, περιζωστρῆσιν ἑλικταί,) honeſtiores erant, ſic ſtemmata aliis rebus circumplicabantur honoris cauſa. Ergo ait *Callixenus* apud *Athenæum* l. c.: Ἐφέρετο Φαλλὸς χρυσοῦς πηχῶν ἑκατὸν εἴκοσι διαγεγραμμένος, καὶ διαδεδεμένος στέμμασι διαχρύσοις: *Phallus aureus cubitorum 120 depictus, & coronamentorum voluminibus inauratis revinctus.* Igitur, quod erat diadema circa caput, hoc στέμμα circa phallum.

XXVI. Diverſi ſunt στρατηγὸς & ἡγεμών. *Athenæus Lib. IX Cap. 16* ſequentes verſus Poetæ producit:

Καὶ γὰρ στρατηγὸν πάντες καλοῦσ᾽, ὃς ἂν λάβῃ
Δύναμιν, ὁ μὲν τι δυνάμεως, καὶ πράγμασιν
Ἀναστραφῆναι καὶ διαβλέψαι τί πῶς,
στρατηγός ἐστιν, ἡγεμὼν δὲ θάτερον.

Imperatorem utique vocamus, qui regendos exercitus
Accepit: qui prudenter in rebus adminiſtrandis poteſt
Verſari, &c. quod ex uſu eſt, perſpicere:
Imperator is verus eſt: alius autem, qui ducit copias.

Voce *ἡγεμόνος* itaque *functio ducatus militum* ſolummodo deſignatur; illa vero univerſam totius imperatoriæ artis notitiam denotat.

XXVII. Inter *συνέδριον* & *βουλευτήριον* videtur *Athenæus* diſcrimen ſtatuere *Lib. V Cap.* 4, ubi ſcribit: *Τὸ δὲ Πλάτωνος συμπόσιον οὐ συνέδριόν ἐστιν, οὐ βουλευτήριον, οὐ λέσχη φιλοσόφων.* *Dalechampius* vertit: *Platonis* convivium Philoſophorum non conſeſſus eſt, non curia, non conventiculum. Sed monet *Caſaubonus* ad hunc locum, ſi uſum Auctorum ſpectes, re vera nullum eſſe diſcrimen; ſi autem propriam vocum ſignificationem ſpectes, eſſe aliquod. *Συνέδριον* enim latius patet. *Βουλευτήριον* ſenatorum tantum eſt conſeſſus. Docet *Caſaubonus* ibidem, quid ſit *λέσχη*: ſcilicet antiquiſſimos Græcos otioſorum hominum conventus, ut ſenum & mendicorum, qui ad blaterandum

dum congregari amant, hoc nomine vocaſſe. Fecerunt id *Homerus*, *Heſiodus*, *Herodotus*. Poſtea de ſapientum congreſſibus id verbum cœpit uſurpari. Nam, quas media Græcorum ætas διατριβὰς, vel ἐπιδείξεις, vocavit, antiquiores dixere λέσχας. Inde λεσχηνεύεσθαι vetus dictio eſt pro [illegible]ζατεῖν, id eſt, *more philoſophantium quæſtiones proponere, ac ad eas reſpondere.*

XXVIII. Diſcrimen φθόνου & νεμέσεος abunde tradit *Ariſtoteles Rhetor. Lib. II Cap. 8.* Errant ii, qui utrumque pro eodem, aut ſimili, habent. Hæc enim in virtute ponitur, dum Diis etiam νέμεσις & νεμεσᾶν, cuius quidem rei crebra apud veteres Tragicos exempla occurrunt, tribuitur, non autem φθόνος & φθονεῖν. Unde *Proclus* in *Platonis Theolog. p. 41.* Diis inter alia largitur βούλησιν ἄφθονον, ſeu *voluntatem invidiæ expertem*; alibi autem, in *Timæum* nempe *Lib. III p. 141*, inter σκέμματα *Platonis* refert, ἀγαθῷ δὲ οὐδενὶ οὐδέποτε περὶ οὐδενὸς ἐγγίγνεται φθόνος, *nulli autem viro probo unquam de ullo naſcitur invidia.* Quod φθόνου quoque & νεμέσεως, ſeu *Adraſteæ*, diſcrimen præclare quoque indicat illud *Euripidis* in *Rheſo v. 342*:

Ἀδράστεια μὲν, ἡ Διὸς παῖς,
Ἔργοις στομάτων φθόνον.

Adraſtea, Iovis filia, probibens oris invidiam, ſeu arrogantiam.

Et *Sophoclis* in *Electra v. 1594*:

Ὦ Ζεῦ, δέδορκα φάσμ' ἄνευ φθόνου μὲν οὐ
Πεπτωκὸς· εἰ δ' ἔπεστι Νέμεσις, οὐ λέγω.

O Iupiter, video ſpectaculum, quod non ſine invidia accidit.

Utrum vero adſit Nemeſis, non affirmo.

Immo, ſicut dictum a veteribus, φθόνος ἀπέστω, abſit invidia, ut apud *Æſchyl. Agamn. v. 913*, ſic contra favens *Nemeſis*, ſeu *Adraſtea*, invocata, ut adſit dicenti. Exempla Græcorum colligit *Spanhemius* ad *Callimach. Hymn. in Apoll. p. 112 ſeq.*, qui tamen addit, φθόνον etiam ſubinde a Græcis tragicis pro νεμέσει ſumi, ac Diis inde tribui, ſicut ab *Euripide Iphigen. in Aul. v. 1097*: Μή τις θεῶν φθόνος ἔλθῃ, *ne quæ Deorum invidia veniat*, nempe ira, vel indignatio, ſeu νέμεσις.

XXIX. Diſtinxit *Ammonius* inter φιλεῖν & κυεῖν ita: Ὅτι τὸ μὲν κυεῖν (potius κυνεῖν) τὸ τοῖς χείλεσιν ἀσπάζεσθαι. Φιλεῖν δὲ, τὸ ἀγαπᾷν καὶ ξενίζειν. Cel. *Valckenaerius* ſequentia ſubnotavit: Eandem differentiam aliis verbis declarat Grammaticus *Biblioth. Coiſlin. p. 484*: Φιλεῖν φασὶ δεῖν λέγεσθαι τὸ κατὰ ψυχήν. Καταφιλεῖν δὲ καὶ κύσαι τὸ διὰ τοῦ σώματος. Iuvat de differentia vocum φιλεῖν & καταφιλεῖν nonnulla adiicere. Καταφιλεῖν plus eſt, quam ſimplex φιλεῖν. Etenim καταφιλεῖν non notat obiter, aut defunctorie, oſculari, ſed quaſi perofficioſe & peramanter exoſculari. Differentiam ex *Critobuli* verbis haud obſcu-

obſcure colligere licet, qui ita ad *Socratem Memorabil. Lib. II p. 593:* Ὡς τὰς μὲν καλὰς φιλήσοντός μου, τοὺς δ' ἀγαθοὺς καταφιλήσοντος, θαῤῥῶν δίδασκέ τῶν φίλων τὰ θηρατικά. *Doce me alacri animo amicos venandi artem, ut qui pulcros ſim oſculaturus, honeſtos vero exoſculaturus.* Honeſti enim forma & tanquam facies, etiamſi oculis non cernatur, multo tamen nobis amabilior debet videri, ni tam obtuſa ſit mentis noſtræ acies, quam venuſta corporis forma. Quod *pulchritudinis* & *honeſtatis* diſcrimen hic eleganter ſane *Critobulus* oſtendit, multo ardentiorem erga honeſtos amorem præ ſe ferens compoſito verbo καταφιλεῖν, quam erga pulchros ſimplici φιλεῖν. Notavit hæc *Raphelius Annotat. Xenophontis p. 501.* Adſiciam locum ex *Theophraſti Charact. Ethic. Cap. 17,* ubi de querulo dicitur: Ὑπὸ τῆς ἑταίρας καταφιλούμενος εἰπεῖν, θαυμάζω εἰ σὺ καὶ ἀπὸ ψυχῆς με φιλεῖς. Recte interpres: *Cum illum amica etiam atque etiam ſuaviatur,* miror, inquit, ſi tu ex animo mihi iſta des baſia.

XXX. Diſtinxit *Ammonius* inter φόβον & inter δέος. Teſtem differentiæ produxit *Herodotum,* dicentem: Ἡμέας ἔχει φόβος καὶ δέος. Iungi huic poteſt *Lyſias* pro *Polyſtrato:* Τὸ δέος, καὶ ὁ φόβος τῶν πεπονθότων ἀπέτρεπε ταύτας. *Stoici* δέος *eſſe volunt* φόβον δεινοῦ, *metum rei gravis.* Sed, an, quod illi δέος vocant, nobis liceat *timorem* appellare, dubitat

bitat *Emanuel Martinus*, Hiſpanus, *Epiſt. T. II p.* 242. Solent φόβος & δέος etiam ita diſtingui, ut φόβος ſit *timor dæmonum*, δέος *reverentia erga Deos*. At enim vero *Iſocrates Orat. ad Demon.* ait: Τὸν μὲν θεὸν φοβοῦ. Ergo ultima differentia inconſtantis uſus.

XXXI. Χέλυς & κίθαρις pro eodem inſtrumento ſumuntur a Poetis, quod obvium eſt, ac ab *Euſtathio* etiam aſſeritur, ad *Iliad.* E, *p.* 574. Nonnunquam tamen eadem diſtincta ſunt, ut a *Bione*, qui, chelyn a *Mercurio*, citharam autem ab *Apolline*, inventam, tradit. *Idyll. III*, 7:

Ὡς χέλυν Ἑρμάων, κίθαριν δ' ὡς ἁδὺς Ἀπόλλων.

Et a *Philoſtrato*, qui, lyram & chelyn deſcribens, aliquod quoad nervorum, ſeu chordarum, ſitum inter eoſdem diſcrimen tangit, *Icon. Lib. I p.* 746. Vid. *Spanhemius* ad *Callimach. Hymn. in Apol. p.* 58.

XXXII. *Hicesius* apud *Athenæum Lib. XV Cap.* 12 *p.* 689, μύρων alia, dicit, vocari χρίσματα, ſeu *illitus*; alia ἀλείμματα, *unctiones*; quarum vocum promiſcuus tamen ſæpe apud veteres Auctores uſus; nempe, ut χρίσματα e *puro oleo* dicantur; unde apud *Homerum* haud ſemel χρισᾶν ἐλαίῳ. Item apud *Callimachum Hymn. in Pallad. v.* 26, 30. Et apud *Heſiodum* ſimiliter Ἐργ. *v.* 522. Ἀλείμματα autem e μύροις itidem, ſeu *unguentis*, *mixta* dicebantur. *Ezechiel Spanhemius* ad *Callimach. p.* 542. *Ca-*

ſau-

ſaubonus ad *Athenæi* locum ita commentatur: *Non dubium eſt, inter χρίσματα & ἀλείμματα diſcrimen ſtatuendum: etſi difficile eſt, Auctorem invenire, qui iis vocibus non uſus ſit promiſcue.* Ne teſtimonia procul arceſſam, ſcribit paulo poſt *Athenæus*, μυρίσασθαι ſignificare χρίσασθαι ἀλείμματι. Ut tamen dixi, magna eſt vocum differentia. Nam ἀλείφεσθαι proprium *voluptuariorum & mollium*; χρίεσθαι etiam *ſobriis* interdum, & *ex virtute viventibus*, convenit. *Clemens Alexandrinus Pæd. Lib. II:* Διαφέρει δὲ ὅλως τὸ μυραλοιφεῖν τοῦ μύρῳ χρίεσθαι. Τὸ μὲν γὰρ θηλυδριῶδες. Τὸ δὲ χρίεσθαι τῷ μύρῳ καὶ λυσιτελὲς ἔσθ' ὅτε. Hæc de difficili inter χρίσματα & ἀλείμματα diſcrimine *Caſaubonus* profert. Vid. eius *Animadverſ. in Athen. p. m. 976.*

* * *
* *
*

Sed mane dum, B. L. Pauca mihi tecum. Conſtitui in poſterum non modo emendationes differentiarum *Ammonii* tecum communicare, ſed etiam teſtimonia Auctorum exhibere, quibus dicta ab *Ammonio* confirmari poterunt, ne Grammatico temere fidem adhibere cogamur. De hoc propoſito iudicium penes te eſto.

VI.

VI.

FRID. OTTONIS MENCKENII LIBRORVM, HAVD ITA DIV AB INVENTA ARTE TYPOGRAPHICA EDITORVM, QVIBVS SVPPLERI POSSINT ANNALES TYPOGRAPHICI MAITTAIRIANI, DECAS SEXTA; EIVSQVE PRIOR PARTICVLA.

Ad intermiſſum ab aliquo inde tempore, haud inutile fortaſſe, certe multum habens iucunditatis, opus iam revertor, idque hoc lubentius, quo fuiſſe Lectorum meorum plures recordor, qui moram hanc quantulamcunque haud ſatis æquo animo tulerunt. Hi igitur, ut, non ipſorum, ſi fieri per valetudinem id poſſit, me deeſſe ſtudiis, intelligant, iam, quæſo, ex manu mea librorum vetuſtiorum novam (ut minuta minute eloquar) portiunculam accipiant, &, memorem eorum, quæ literis, harumque ſtudioſis, non a me minus, quam ab alio quocunque, debentur, fore me etiam in poſterum, confidant.

Tractatus amoris carnalis ſubſequitur, Rota Veneris nuncupatus, per Boncompagnum editus, doctorum annuens precibus. Sine anni

anni & loci indicio, forma maiore, plag. 4½.

Illuſtre præ ceteris ſuperiorum temporum monumentum producimus, hocque memorari dignius, quo minus cognitum iis omnibus, quibus, quicquid ſive ad ultimas artis typographicæ originis, ſive ad ipſa amoris arcana, pertinet, curioſe veſtigatur. A *Maittairio* nempe, & huic ſimilibus Scriptoribus, quid ſit huius operis, fruſtra requiras; nec, qui *Andreæ, Capellani regii, Eroticis*, Tremoniæ A. 1610, & iterum A. 1614, a ſe editis, longum *doctorum Virorum, qui de Amatoriis, & rebus, ad hanc materiam pertinentibus, ſcripſere, Catalogum* præmiſit, *Detmarus Mulherus*, in numeroſo talium Scriptorum exercitu locum huic *Boncompagno* dedit. Meretur igitur in doctorum hominum notitiam venire liber iſte, etſi, quæ de eo doceam Lectores meos, Scriptorum, qui & de ipſo opere, & de eius Auctore, commemorare omnino debebant, ope deſtitutus, haud adeo multa habeam. Forma operis, omni anni & loci indicio carentis, externa ſi ſpectetur, nullæ ei deſunt vetuſtatis notæ, ut minime dubitare mihi liceat, inter prima id numerari artis typographicæ ſpecimina debere. Rudes ſunt & impoliti literarum typi, iidemque nullo ordine diſpoſiti; compendia ſcripturæ infinita, & pæne intolerabilia; errores operarum innumerabiles; charta autem, qualem illa ætas habuit, non pura tantum, ſed tenacitate etiam

ac denſitate valde ſuperans noſtram. Nec nullum vetuſtatis indicium capere ex titulo liceat, quem ita coniunctum cum ipſo operis initio videas, ut in eadem pagina utrumque legas. Annum autem, quo editus eſt liber, definire, æque difficilis labor eſt, ac urbem & officinam, unde is exiit, nominare. Pertinet hæc inveſtigatio ad oculorum, meis multo acutiorum, iudicium, ſed quod fallere ſæpe etiam his tractandis valde aſſuetos ſolet. Si quid ego uſu non omnino nullo didici, Germano malim, quam extraneo, artifici, quicquid eſt huius operis, tribuere. Parum ab eo differunt rudi illa typorum forma, & eos componendi ratione, quos primis inventæ artis annis Moguntia, aut Norimberga, protulit, plerique omnes libri. Sed fortaſſe alius natalem operis locum in Italia quæret, ideo inprimis, quod, hominis Itali, eiusque dudum mortui, libro natales primos a Germanis datos, haud impetrare a ſe, ut credat, poſſit; cui nec ipſi, ſi pertinacius id urgeat, aſſenſum negabo. Argumentum libri, ut ex inſcriptione patet, ad artem amandi pertinet; ſed quam, niſi iam aliunde didiciſti, non te iſte ſcilicet magiſter docebit. Frigidior eſt tractandæ rei tam iucundæ ratio; præcepta autem, quæ traduntur, ruſticitatis multum, *Naſonianæ* ſuavitatis nihil, habent. Occaſionem ſcribendi ipſa Auctori, ut fingit, Venus dedit, quæ, aliquando cœlo demiſſa, *cur ſalutationes & delectabilia dictamina, quæ viderentur ad uſum amantium pertinere, non feciſſet*, ex ipſo quæſivit. His ille excitatus

moni-

monitis, *ſtilum propere aſſumſit*, totumque ſe dedit ad ſcribendum hoc opuſculum, de quo, dubito, an a Dea illa, elegantiarum præſide, multum ipſe gratiæ tulerit. Sed, quæ ei librum hunc inſcribendi *Rotam Veneris* cauſa fuerit, ipſe his verbis docet: *Opuſculum hoc* rotam Veneris *velim nominari, quia, cuiuscunque ſexus, vel conditionis, homines amore ad invicem colligantur, tanquam in rota orbiculariter volvuntur, & pertimeſcunt omni tempore plurimum, cum perfectus amor continuum paret aſſidue timorem. Præterea placuit mihi virginum chorum a dextris Veneris collocare, uxoratas, moniales, viduas, & deſloratas, ponere a ſiniſtris ſub ſcabello pedum ipſius; univerſas ab iſtis inferius conſtituo, quia in eis turpiſſima eſt voluptas, & iucundatio nulla.* Feſtive omnia, & ad hominum illius ſeculi ingenium accommodate. Rota hæc decem habet radios, aut, quod idem eſt, *decem* hoc opuſculum *Capitibus* diſtinctum eſt. Horum pars maxima amatorias continet epiſtolas, ad id compoſitas, ut, quæ amor initia habere, quibus incrementis augeſcere, quo tandem conſiſtere loco, ſoleat, hinc cognoſcat Lector. Sed inſulſæ ſunt, & inficetæ, omnisque gratiæ expertes, hæ epiſtolæ; tantum abeſt, ut vel una harum ſpargere igniculos amoris in animo legentis poſſit. Non melius Amorem ex orbe proſcripſeris, quam tales ei, qualis eſt *Boncompagnus*, patronos dando, qui, cum efficere, ut placeat omnibus, volunt, re ipſa, ut placeat nemini,

mini, efficiunt. Unam ex multis, Lector, accipe epiſtolam, in qua, tanquam in ſpeculo, inſpicere ingenium *Boncompagni*, & urbanitatem eius, & lepores, poſſis. Diſſuaſurus fœminæ nuptias cum viro decrepito, his ei literis effœtæ ſenectutis imaginem depingit: *O veſania inaudita! O ſtultitia muliebris! Quomodo potuiſti audire, nedum intelligere, quod tali viro copulari debeas, qui iam ſenecta & ſenio eſt conſumtus; cuius oculi iam caligant; immo, quod eſt abominabilius, aſſidue producit lacbrymas, quæ guttatim cadunt in vinum, dum potat, & in ſcipho relinquitur de ſaliva; dum comedit, ſcreat, eructat, & muſcilagines emungit, de naſoque tergit ſæpe ad mantile. Præterea, cum vadit ad lectum, dormit, ſtertit, pedit, & fatiſſimas trullas emittit. Porro, cum excitatur a ſomno, tuſſit, ſpuit, ſuſpirat, conqueritur, ingemiſcit, & virga eius velut plumbi fiſtula iacet ſuper mentulam ponderoſam. Hic oſculabitur vos oſculo oris ſui, qui caret dentibus; ſed cum gingivis marcidis præbebit vobis oſcula ſalivoſa. Præterea homines ſenes zelotypiæ vitio proſcribuntur, & ſemper mala de ſuis uxoribus ſuſpicantur; unde, licet non delinquant, non minus tamen ſuſpectæ habentur. Inſuper privignos habebis & privignas, a quibus aſſidue laceraberis, quod raro, vel nunquam, accidere conſuevit, quod inter privignos & novercas poſſit concordia reperiri.* Caſtiſſima ad fœminam pudicitiæ amantem ſcribendi ratio; digna nempe,

quæ

quæ poſteritati ad imitandum proponatur. In ceteris, etſi moderatiore ſtilo utitur, gratiæ tamen, aut venerum, profecto nihil habet. Mirum autem, inter amantes primas partes ab Auctore Clericis tribui, &, quaſi nomen Clerici ſine amore nullum eſſet, hunc ei maxime ad illam artem informandum ſumi. Genera enim amantium duo, *Laicum* videlicet & *Clericum*, conſtituit; hancque ſalutarem, qua in ſcribendo utantur ordinis illius homines, regulam ponit: *Clerici, qui frequenter ſuper naturæ incude ferment* (forte *fervent*, aut *feriunt*,) *cum malleo repercuſſorio, nec valent motus renum de facili refrænare, proponant in ſalutationibus aliqua occulta ſigna, quo propria nomina ſibi ſub imagine repræſentent.* Quæ ſi in ludibrium Clericorum dicta voluit, ut nemo facile dubitet; iam mecum mirare audaciam hominis, in illis ſuperſtitionis tenebris non ſibi a ridendo, qui ſacroſanctus tunc habebatur, illo ordine temperantis. Ceterum, cum timendum ſibi videret, ne futuri aliqui eſſent, qui petulantius hæc dicta, eademque edendi licentiam, ſecus, ac ipſe vellet, acciperent, ab horum telis ſatis ipſe ſibi defendi poſſe partim precibus amicorum, hunc artis magiſtrum expetentium, partim exemplo *Salomonis*, laſciva multa dictis ſacris immiſcentis, viſus eſt, obteſtatus ſimul lectores ſuos, ne de factis, iudicium ex verbis faciant. Audiamus pro cauſa ſua timide dicentem: *Cœpi cogitare mecum omnia, quæ cauſa laſciviæ conſcripſeram, &*

vereri plurimum, ne forte moderni & poſteri me crederent, me fuiſſe laſcivum unum, opus deſtruere propoſueram, ne ad aliorum audientiam perveniret. Condeſcendi tandem amicorum precibus, & rotam omnibus conceſſi Veneris, quam feceram cauſa urbanitatis. Unum tandem volo univerſos & ſingulos ſcire, quod plus mihi ſemper placuerunt verba, quam facta, cum glorioſius eſt in talibus vivere in ſpe, quam in re, ſecundum ſententiam Sereniſſimæ Capuanæ. Quibus ſimilia deinde ſequuntur: *Licet autem plura, quæ laſciviam oſtendere videntur, in hoc opere poſuerim; non tamen eſt credibile, me fuiſſe, aut velle fore, laſcivum; quod Salomo, qui meruit aſſiſtrici Dei, id eſt, eius ſapientiæ, copulari, multa poſuit in Canticis Canticorum, quæ quoad literam magis poſſent ad carnis voluptatem, quam ad immortalitatem ſpiritus, trahi. Verum tamen ſapientes dubia in meliorem partem interpretantur, dicentes, ſponſam, vel amicam, eccleſiam fuiſſe, ſponſum Ieſum Chriſtum. Credere autem debebis, quod* Boncompagnus *non dixit id alicuius laſciviæ cauſa, ſed ſociorum precibus amicaliter condeſcendit.* De genere dicendi, quo uſus eſt Auctor, ab elegantiore ætate longe remotiſſimus, nihil eſt, quod addam; pauca enim hæc, quæ dedimus, ſpecimina neminem dubitare ſinunt, parum abeſſe, quin inter Scriptores barbaros, aut certe mediocriter Latine doctos, numerari noſter hic *Boncompagnus* debeat. Itaque ſer-

monis

monis cauſa nemo hunc Auctorem leget; rem ipſam autem ab aliis; aut, ut verius dicam, a natura quisque ſua, melius diſcet. Cum *transſumtionis*, figuræ rhetoricæ, mentionem facit Noſter, de ea alio tempore *facturum* ſe *eſſe ſpecialem Tractatum*, promittit; quod num ſit ab eo deinde præſtitum, mihi quidem haud conſtat. Iam, quis fuerit *Boncompagnus* iſte, unde, & qua ætate; natus, qua vitæ conditione uſus, fortaſſe ex me cognoſcere Lectorum non pauci cupiunt; quos, diu deſperavi, ea de re doceri a me aliquid certi poſſe. Obſcura enim huius hominis, etſi illuſtri inter Italos gente, quæ, præter aliquot Purpuratos, ipſum *Gregorium XII*, Summum Pontificem, tulit, orti, nomen eſt; quem, non dicam vulgares Vitarum Scriptores, ſed ii ad unum omnes, tacent, qui minutiſſima quæque Hiſtoriæ literariæ momenta conſectantur. His diu fruſtra requiſitis, incidi tandem in *Ludovici Antonii Muratorii*, viri ſine controverſia magni, *rerum Italicarum Scriptores*, horumque *Volumen ſextum*, in quo locus datus eſt *Magiſtri Boncompagni*, *Florentini*, *Libro de obſidione Anconæ, a copiis Friderici I. Imper. A.* 1172 *peracta, eiusque urbis liberatione*, e MSto Codice tunc primum edito. Hoc conſpecto, nec indiligenter perlecto, opere, ſatis mihi feliciter viſus ſum coniicere, nihil differre hunc *Boncompagnum* a libri noſtri amatorii Auctore; quæque adeo de illo *Muratorius* in Præfatione, eius operi præmiſſa, dixit, huic accommodari recte poſſe.

In utroque enim opuſculo idem genus dicendi, easdem formulas, eadem pæne vocabula, animadvertas; ut creditu admodum ſit difficile, duos, ætate, aut ſtudijs, diverſos, Scriptores, ita inter ſe ſermone, qui maxime disiungere homines etiam doctiſſimos ſolet, convenire. Ego ſane, multum huic tribuere me conjecturæ, fateor, aliis dudum exemplis, quantum valeat in tali inquiſitione ſimilitudo ſtili, edoctus. Hoc igitur meum ſi quid habet ponderis iudicium, pertinent, ut dixi, ad Auctorem noſtrum ea omnia, quæ de ſuo *Boncompagno Muratorius* in præmiſſa illi, quod indicavimus, opuſculo Præfatione memorat. Itaque Florentiam patriam, præcipuam fortunæ ſuæ ſedem Bononiæ, habuit: qua in urbe primus publice Grammaticam adoleſcentibus tradidit, ideo, non indecoro tunc temporis nomine, *Magiſter* dictus. Ipſe hæc non obſcure *Boncompagnus* ſub finem libri *de Obſidione Anconæ* his verbis docet: *Suſcipiat Ancona favorabile munus, quod ſibi a Boncompagno amicabiliter exhibetur, cui Florentia dedit initium, & Bononia, nullo præeunte doctore, celebre incrementum.* Clarius autem & hæc ipſa, & ætatem, qua maxime floruit hic noſter, cognoſcas ex teſtimonio *Rolandini*, ei æqualis Scriptoris, qui *Libri Chronicorum*, ab eodem *Muratorio* in *Volumine Scriptorum rerum Ital. octavo* publicati, *Lib. X Cap. 4* ita de eo honorifice commemorat: *Sed hoc ipſis improperare non audeo, quoniam apud ipſos Bononienſes in ſcientia literali*

vali nutritus, in anno Domini 1221 illic a Bono-compagno, (*Boncompagno* habet Eſtenſis Codex) *meo Domino & Magiſtro, natione & eloquentia Florentino, licet indignus, recepi officium Magiſtratus.* Ætas igitur *Boncompagni*, quam & illud manifeſtat, quod in libro *de obſidione Anconæ*, ea, quæ ipſe memoret, *audiviſſe ſe*, dicat, *ab his, qui rebus geſtis & negotiis interfuerunt*, incidit in Seculi XIV initia; unde ipſe ſermonis parum politi, & adhuc ævi medii fæces redolentis, excuſationem habet. Magnam tamen pro ætate illa famam eloquentiæ obtinuit; ſed quæ ita, ut meretur forte, non eſt ad poſteros transmiſſa. Id certe teſti credi *Muratorio* poteſt, inter Hiſtoricos, ſive Florentinos, ſive Bononienſes, neminem fuiſſe, quem aut ſcriptorem vitæ ſuæ, aut meritorum laudatorem, nactus ſit *Boncompagnus*. Unum *Muratorius Carolum Sigonium*, ſed patria Mutinenſem, invenit, qui, cum *Beni Florentini* mentionem facit *Hiſtoriæ Bononienſis Libro V*, noſtrum hunc, ut acute & probabiliter oſtendit *Muratorius*, *Boncompagnum* laudat. Audiamus hunc *Sigonium*: *Anno 1218, ut maius Gymnaſio ornamentum adiungeretur*, Benus Florentinus, *eximius iis temporibus Grammaticus, ad literas publice tradendas accitus. Eius profeſſionis formula eadem, atque Iuriſperitorum, fuit: Ego Benus Florentinus iuro, me nullo modo daturum operam, ut ſcbola Bononienſis alio transferatur; &, ſi quem id tentare compererо, me pro viribus im-*

pedimento futurum: ſin minus, Prætori indicaturum: neque alibi ullo tempore in Grammatica arte rectururum. *Hic autem quantus eſſet, oſtendit Petrus de Vineis, qui, de illius morte ſcribens, dixit, Grammaticæ artis extinctam eſſe lucernam, ac ſiccatum eſſe fontem irriguum, nempe Magiſtrum Bene, qui non ab infimo poſitivo, ſed a ſuperlativo, meruerat derivari.* Nihil autem glorioſius accidere *Boncompagni* huius Manibus poteſt, quam quod ab eo, tanquam primo auctore ſuo, derivandam putat *Muratorius*, multum in eo a *Scipione Dulphio, Imboſio*, aliisque, diſſidens, illuſtriſſimam illam, quæ Bononiam nunc etiam nobilitat, *Boncompagnam* gentem, illam ipſam nempe, quæ, ut ſupra dixi, Summum Pontificem *Gregorium XIII* tulit, & hac ætate in Viris dignitate maximis florem ſuum tuetur. Nihil his addo, niſi videri mihi *Boncompagnum* noſtrum non adeo imperitum linguæ Germanorum fuiſſe, eiusque ſibi notitiam ſive itinere, in Germaniam ſuſcepto, ſive familiari cum doctis Germanis commercio, acquiſiviſſe. Non obſcura huius rei veſtigia in *Tractatu amoris carnalis* deprehendi, ubi iocularis proverbii, olim Germanis uſitati, non aliter mentionem facit, ac ſi inter medios Germanos viveret, aut ſolis his ſcripſiſſet *Tractatum* ſuum. Verba hæc ſunt *Cap. 3: Item militum alius Rex, alius Dux, alius Princeps, alius Marchio, alius Comes, alius procer, alius Valvaſo, quaſi valvas, id eſt, ianuas, ſerans;*

rans; quare proverbium eſt: Qui iunger Hoſmann, alter Portner efficitur. Nec ita multo poſt, in more eſſe Germanis, ut moniales appellent dominas, hos docet. *Et moniales*, ait, *debes tam in ſalutationibus, quam in cunctis epiſtolæ partibus, dominas appellare. Quodſi diceres monachas, aut moniales, potius ad earum ſpectat vituperium, quam honorem. Unde in Alamannia fere ab omnibus dominæ appellantur.*

II. *Tractatus amoris, & de amoris remedio, Andreæ, Capellani Papæ Innocentii quarti, ad Gualterum, incipit feliciter, & habet quatuor partes. Sine anni & loci indicio.* Fol. Plag. 38½.

Novum artis eius, quæ amorem docet, magiſtrum habes, *Andream*, aulæ Pontificiæ Capellanum, a quo talia exſpectari ſcilicet præcepta debebant. Sitne autem doctiores hæc ſchola, quam illa *Boncompagni*, diſcipulos datura, haud equidem dixerim; mihi certe, legenti hunc *Andream*, nihil vulneris inflictum eſt. Suum tamen libro pretium ii inprimis tribuent, qui, ſi quid notam vetuſtatis habet, ideoque cognitum viſumve paucis eſt, id, qualemcunque nobis uſum præſtet, non ſolum non abiiciendum, ſed religioſe etiam ſervandum, ſtatuunt. De hac certe, quam manibus tenemus, operis editione vetuſtiſſima id affirmare pro certo licet, inter has, quæ prorſus ſunt rariſſimæ inventu, locum ei

haud immerito concedi. Id parum eſt, quod prætermiſſam a *Maittairio* videmus, cuius quippe oculos ſatis etiam vulgata, certe libro hoc vulgatiora, fugiunt. Multo pluris illud putes, quod, qui longo tempore poſt, anno nempe 1610, novam amatorii huius Scriptoris editionem Tremoniæ curavit, poſtea A. 1614 repetitam, *Detmarus Mulberus*, huius ignarus, dudum antegreſſæ, fuit, nec, ſibi deberi primum editi operis gloriam, dubitavit. In qua opinione confirmare eum *Ioſias Simlerus* potuit, qui, cum *Andream* hunc in *Additamentis ad Bibliothecam Conr. Geſneri* memorat, id quod duobus tantum verbis factum eſt, huius exſtare *Libros duos de Amore manuſcriptos*, docet, manifeſto indicio, ipſi etiam, quantumvis rerum huius generis curioſo, ignotum artis typographicæ vetuſtiſſimum hoc ſpecimen fuiſſe. Quam igitur care nobis æſtimandus ſit liber, qui iam *Simleri* ac *Mulberi* ætate uſibus ſe hominum ſubduxerat, & quo in pretio eſſe apud eos debeat, qui libros raro obvios inprimis amant, quilibet Lectorum, etiam non monitus, intelligit. Forma operis integra, ſi typorum informe genus, innumerabiles operarum errores, ipſius etiam chartæ nitorem, ſpectes, ab ea, quam illud *Boncompagni* habet, parum differt; ut facilis ſit coniectura, utrique Scriptori eundem & annum, & locum, fuiſſe natalem. Titulum, ab ipſo operis initio nihil disiunctum, at, quod rarius videas, longo demum *Capitulorum* indici ſubiunctum,

rubro

rubro colore tinxit artifex; cetera nigrum præ ſe ferunt; atque hanc varietatem libri vetuſtiſſimi plerique omnes oſtendunt. Si quis igitur propius inſpexerit hunc librum, vix ei dubitare liceat, ſub ipſis rei typographicæ initiis exſcriptum typis eſſe; etſi nemo, quo ſit anno, aut quo loco, editus, certo definire auſit. Prodiit autem, ut iam dixi, longo tempore poſt, Seculi nempe XVII anno decimo, idem *Andreæ* opus cura *Detmari Mulberi*, qui & aliis *Mullerus*, aliis *Mylius*, vocatur, in urbe Tremonienſi, cuius *Mulberus* iſte, vir non indoctus, ſcholam rexit. Huius editionis, forma, quam vocant, octava vulgatæ, indicium facit *Eliæ Ebingeri Catalogus Bibliothecæ Auguſtanæ pag. 378*, & *Catalogus Biblioth. Menckenianæ pag. 851.* Hanc brevi poſt, anno nempe 1614, eiusdem *Mulberi* alia, (niſi forte prioris tantum indicem mutatum putes,) octuplicata item forma, ſecuta eſt, quam mihi ipſi, hæc ſcribenti, manibus verſare licet. Et hanc quidem *Mulberus* ſic inſcripſit: Andreæ, *Capellani regii, Scriptoris vetuſtiſſimi, Erotica, ſive Amatoria, diu multumque deſiderata, iucundiſſimis hiſtoriis referta, cum frugifera amoris reprobatione; denuo a* Detmaro Mulhero *in publicum emiſſa. Tremoniæ, typis Weſthovianis, anno 1614.* Ubi mihi quidem *vetuſtiſſimi* per errorem exſcriptum pro *venuſtiſſimi* videtur, non ſolum quod vetuſtiſſimus vocari nullo iure poſſit, qui ſub Seculi XII finem vixiſſe creditur, ſed ob id etiam, quod ſub

initium epiſtolæ, qua *Guilielmo Bavaro, Domino in Holinckhoven, equiti aurato, Sereniſſ. Principis Ferdinandi, Archiepiſcopi Colonienſis, Conſiliario intimo*, liber iſte a *Mulbero* dedicatur, A. 1714 datæ, & toti operi præmiſſæ, *Scriptorem* is *vetuſtiſſimum Andream* dicat, vetuſtatis nulla plane mentione facta. Ibidem, *libros Andreæ ad veterum exemplarium limam revocatos & expolitos* a ſe edi, ſcribit, nihil memorans vetuſtiorem illam, quam tibi, Lector, ſiſtimus, editionem, cuius ſi ullam habuiſſet notitiam, fortaſſe cauſam nobis indicaſſet, cur ipſi *Capellanus regius* vocetur, qui *Papæ Innocentii IV Capellanus* in fronte noſtræ editionis dicitur. Et, tranſcriptum hoc opus a *Mulbero* ex antiquo manuſcripto Codice, plane cognoſcas ex docti cuiusdam hominis, qui ſub literis *L. A. W.* latere nomen ſuum voluit, ad eundem *Mulberum* A. 1710 data, epiſtola, illi alteri *Mulberi* ſubiuncta, ubi hæc legas: *Mihi - - relatum eſt, penes te - - - Andreæ, Capellani regii, Erotica MS. exſtare, quæ ſæpius optavi & deſideravi. Hortor igitur & moneo, ne tanto theſauro nos prives, & ne veterum elegantias aſpernare videaris, emitto in publicum.* Idem in *Epigrammate*, haud longe ab illa epiſtola poſito, clare ita ac diſerte:

Quin etiam hinc digno venies tollendus honore,
Quod tradis nuſquam tradita ſcripta typis.

Quo-

Quorum equidem tenui fama delapſa per aures
Nomina Geſnero, ſed latuere libri.

Similiter alius *Mulberi* amicus, nomine *Suigardus Paſcenig*, in epiſtola ad *Mylium ſuum*, qui ipſe ille *Mulberus* eſt, *Erotica* hæc, quaſi ad illum uſque diem tenebris ſepulta, diu multumque deſiderata dicit. Meliorem autem ſine dubio ac elegantiorem *Mulberus* editionem dediſſet, ſi vetuſtiorem illam, non ita, ut vellem, at ſatis tamen pro ætate illa caſtigatam ante oculos habuiſſet. Per hanc enim infinita ulcera, quæ *Mulberiana* editio ex fœdiſſimis Codicibus traxit, hancque ita deformant, ut continuo inter legendum offendas, nec Apollo aliquis verborum explicare ſenſum ſciat, ſanari potuiſſent; etſi nec hoc diſſimulari debeat, ſæpe emendandis his, quæ vitioſe hic exſcripta ſunt, modico opus ingenio fuiſſe, modo uti eo *Mulberus*, ut debebat, voluiſſet. Has libri ſui maculas ipſe *Mulberus* agnoſcit, ſubnectens ei breve *ad Lectores* monitum, huius exempli: *Edidi, prout potui; cum non tam obſcurius nonnunquam ipſius Auctoris ſenſus, quam depravata mendis innumeris exemplaria mſſ. difficultates & impedimenta operis noſtris afferret, ut ne divinandi quidem de vera nativa ſententia locus interdum eſſet reliquus. Quicquid vero eſt, quod præſtiti, aut præſtare ſane conatus ſum: id tibi ut gratum acceptumque eſſe patiare, etiam atque etiam rogo.*

rogo. Fatendum tamen & hoc eſt, in locis, ſi non adeo multis, at certe nonnullis, minus corruptam antiqua hac noſtra editionem *Mulberi* eſſe; ut vel maxime hinc iudicari poſſit, bonam & integram a *Mulbero*, ſi huius vetuſtioris ei copia fuiſſet, exſpectari editionem potuiſſe. Id ipſum intelligere te vel uno hoc exemplo velim, ex *Partis primæ Capite quinto* (eſt enim noſtra editio *Partibus quatuor*, hæque ſuis *Capitibus*, diſtinctæ, ſecus ac eſt in *Mulberiana* illa, quæ breviores, ut vocantur, *ſectiones* tantum, ſed eas nullo notatas numero, oſtendit,) deſumto, ubi ita habet *Mulberiana* editio: *Amor enim ſemper minuitur, vel augetur. Igitur experimento, quod domini ſuperveniente inopia incipiunt amoris fomenta deficere, quia non habet, unde ſuam paupertas paſcat amorem. Non autem hoc tibi narro, amice, quaſi velim avaritiam ſectandam eſſe, meis tibi faminibus indicare, quam, cunctis conſtat, in eodem cum amore non poſſe domicilio permanere. Sed ut tibi oſtendere valeamus, prodigalitatem eſſe modis omnibus fugiendam, & ipſam largitatem utriusque brachiis amplectendam.* Iam vero, quam hæc ex parte meliora, ex parte corruptiora, in editione veteri legantur, vide: *Amor enim ſemper imminuitur, vel augetur. Manifeſto ergo experimento cognoſco, quod, dira ſuperveniente inopia, incipiunt amoris fomenta deficere, quia non habet, unde ſuum paupertas paſcat eſſe meis etiam faminibus quamque cunctis conſtat in eodem*

dem cum amore non poſſe domicilio permanere. Sed ut tibi oſtendere valeam, prodigalitatem largitatem utriusque brachiis amplectendam. Quæ ſi inter ſe conferantur, & ex utraque lectione, reiectis his, quæ manifeſto vitio laborant, ea, quæ ſunt integra, ſerventur, ſanam hanc, & bene ſibi conſtantem, verborum ſeriem habebis: *Amor enim ſemper imminuitur, vel augetur. Manifeſto ergo experimento cognoſco, quod, dira ſuperveniente inopia, incipiant amoris fomenta deficere, quia non habet, unde ſuum paupertas paſcat amorem. Non autem hoc tibi narro, amice, quaſi velim, avaritiam ſectandam eſſe, meis tibi faminibus indicare, quam, cunctis conſtat, in eodem cum amore non poſſe domicilio permanere; ſed ut tibi oſtendere valeam, prodigalitatem eſſe modis omnibus fugiendam, & ipſam largitatem utriſque* (ita facile pro *utriusque* emendes) *brachiis amplectendam.* Et ſic in plerisque locis, quæ aut depravatæ, aut ſuſpectæ ſaltem, lectionis ſunt, altera alteri editio inſigni eſſe adiumento poteſt; ut, ſi quis aliquando, quod avertant Muſæ, de Scriptore hoc denuo edendo ſibi cogitandum putet, vel eum ſatis politum, purgatumque maculis, ſit daturus; ſi, diligenter inter ſe collata utraque hac editione, ubi altera defecerit, alteram ſibi ſequendam ducem ſtatuat. Sed ad illas *Mulberi*, & amicorum eius, tres epiſtolas, quas in *Mulberianæ* editionis fronte collocatas diximus, revertimur; quæ, ſi quid ego iudico, in laudando *An-*

 drea,

drea, qui, ſi inter Scriptores mediocres numeretur, ſatis mihi honoratus videatur, modum excedunt. Nam, quod *Scriptorem venuſtiſſimum Mulberus* vocat, &, *in his eius ſermonibus, & amatorio hoc centunculo, multa emblemata, ſeu ſententias graves & ſerias, ethicas, politicas, & œconomicas*, reperiri, *multaque abſtruſa antiquitati illuſtrandæ, quæ eruiſſe ipſe non vellet, etiam cum feriarum horarum iactura*, ait, plus in eo amori Scriptoris ſui, neſcio unde nato, quam veritati, dedit, &, multa ſe inveniſſe, ſcribit, quæ nemo fortaſſe alius invenerit, ego certe, quantumvis diligens & attentus operis lector, non inveni. Sententiæ, ſi quas habet Auctor, ſunt vulgares admodum, & ex communi hominum opinione petitæ, ceterum ſalis nihil, nihil gratiæ, habentes. Abſtruſiorem autem antiquitatem per hunc *Andream* illuſtrari, dictum a *Mulhero* per iocum putes; adeo vacuum ubique illis ornamentis videas, quæ ita expeti ab hoc argumento, ut vix ab alio ullo, videbantur. Sed, quo iure etiam *venuſtiſſimum Scriptorem* dicat, qui ne nomine quidem cognitus unquam Veneri, Latinique ſermonis, pro illorum temporum barbarie, ita rudis & ignarus, fuit, ut elegantiarum amantibus vix ſine ſummo legi faſtidio poſſit, ego non intelligo. Tales ſuperiorum temporum reliquias, ut alia quæque antiquitatis monumenta, ſervare religioſe, ad id etiam, ut, qualia ſint, dicere interroganti poſſimus, non utilitatis, aut voluptatis, cauſa, legere, vetuſtatem autem

ele-

elegantiamque ſtili nec venari hic, nec invenire facile, ſolemus. Eſt igitur, cur ille etiam, ignotus mihi, *Mulberi* amicus in laudando fuiſſe nimius putetur, cum *theſauri* loco habendum opus illud, reconditasque hic *elegantias veterum*, dixit. Illas tres epiſtolas, in editione *Mulberiana*, *Catalogus doctorum virorum, qui de amatoriis, & rebus, ad hanc materiam pertinentibus, ſcripſere*, ſatis quidem plenus, at, quod ſupra dixi, minime talis, ut addi ei prorſus nihil poſſit; hunc autem *Epigrammata* duo, alterum eiusdem, qui epiſtolæ ſuæ literas *L. A. W.* ſubnotaverat, alterum *Gerbardi Havii*, utrumque & *Andreæ*, & *Mulberi*, dicatum laudibus, ſequuntur. Ex his *Havianum* illud non ſpernendæ ſuavitatis eſt, &, petita a nomine *Mulberi*, ſatis feſtiva translatione ludit. Lubet autem, cum lectu utique ſit dignum, nec niſi pauciſſimis Lectorum hanc ipſam *Mulberi* editionem putem cognitam, id hoc in loco integrum apponere:

Hæc mola Muſlheri *nummis eſt ſtructa celebris,*
Quæ fere Xylophagis Coſſisque dicata fuiſſet:
Sed modo floreſcit, ſimilem vix terra videbit
Weſtwala, Weſtwalicas fiet mola nota per oras.

Exulat hic furfur, deſunt quoque tetrica verba,
Queis ſolet inſulſus Greit *allectare favorem*

 Ruſti-

Ruſticus, aſt verbis, caſtis ruſpatur amicam,
Ruſpatamque docet mediis acquirere iuſtis.

Utitur interdum iuvenis philtris male ſanis,
His putat electæ mentem mutare puellæ,
Neſcius, inſunes faciant quod Theſſala philtra,
Ac noceant animis, habeant nam ſæpe furoris.

Eſt igitur melior philtris hæc diva farina,
Nam niſi legitimum ſanumque operatur amorem,
Quem Deus iniunxit tripotens, benedixit, & auxit.

Ergo, qui Veneris gaudet conſcendere turres,
Et ſibi lacteolam vult conciliare iuvencam,
Cum qua pacifice longævos exigat annos,
Huc veniat, capiat divas hac mente farinas,
Extemplo optatam gaudens acquiret amicam.

Quos iuvat armiſonas ſuperare Cupidinis arces,
Frangere quas valida ignorant Mavortia tela,
Hoc guſtent Mulſum, dat herus *quod mente recluſa,*
Protinus Acropolis poterint effringere portas.
Sed quid multa loquor? Poſthac liber ipſe loquetur,
Nil niſi dulce ſonat, nil dat niſi nobile muſtum.

At

At, Mulhere, typis alterum committe volumen,
Quod toties clari voluere videre Dynaſtæ,
Inde triumphatrix ſurget tibi gloria, ſplendor,
Et decus æternum, magnum, præconia, nomen.

Duo illa *Epigrammata* ipſum opus *Andreæ* ſequitur, parum, ut dixi, emendatum, cui & longus *erratorum, & per incuriam omiſſorum*, index ſubiunctus eſt. Iam, ſi ſcribendi, qua uſus eſt *Andreas*, noſſe rationem cupis, non ineptum de toto libro, etſi verbis nihil minus, quam Latinis, expreſſum, iudicium eſt *Suigardi Paſcenig*, ita ſcribentis in ſæpius a me dicta ad *Mylium ſuum* Epiſtola: *Erotica denique Capellani regii, diu multumque deſiderata, quod attinet, cenſeo, ex lectione tantum paucarum pagellarum iudicio ſumto, eſſe nihil aliud, quam facta per dialogiſmum amicabilis amantium inſtructio, hæcque amoris curativum & præſervativum dicere non vererer, niſi me veneranda antiquitas, & unanimis, quos penes te habes, manuſcriptorum Codicum conſenſus, & quod libenter ſuum cuique integrum ac ſalvum relinquam, quodque piaculum exiſtimem, antiquorum librorum titulos mutare, eosve caſtratos & mutilos tum Sapientum octavis, bene & pulchre naſatis, a modernis interpretibus antiquiſſimorum vatum abundanter refutatis, exhibere.* Eſt enim valde ambiguus doctor hic *Andreas*,

 qui

qui altera manu panem, altera lapidem, oſtendit, longa primum oratione amoris ſuavitatem & delicias commendans, &, quibus is modis acquiri, quibus augeri & conſervari, poſſit, copioſe exponens; nec eorum negligens, quibus excitari in animis lectorum taciti igniculi, deſideriumque voluptatis, poſſint; poſtea, mutata perſona, amorem ut teterrimam humani generis peſtem deſcribens, eundemque commercio humano, ſi fieri poſſit, prorſus expellendum ſuadens. Totius operis, ad docendum *Gualterum* quendam, quem nunc *iuvenem*, nunc *venerandum amicum*, vocat *Andreas*, conſcripti, *Partes* ſunt *quatuor*, quarum *prima* Auctor, quis ſit, & unde dicatur, amor, quæ ad eum aptæ ſint perſonæ, quibus ſit modis acquirendus, diſputat; *altera* de amore viri plebeii, nobilis, & Clerici, monacharum item, ruſticarum, & meretricum, agit, interſperſis ſimul quæſtionibus: num per pecuniam verus amor acquiri poſſit; num mulier facile conſentiens ſit amanda, & ſimilibus: addita etiam palatii amoris, & portarum eiusdem, poetica, qualem vix in opere hoc quæſiveris, deſcriptione; *tertia* amori & conſervando, & augendo, ſalutares, ſi Diis placet, regulas ponit; iis etiam, qui fidem frangunt, pœnas ſtatuit, variasque, huc pertinentes, quæſtiones ſolvit, tales ex parte, quæ minime decere gravitatem Capellani videantur; *quarta* tandem, cur fugiendus ſit amor, has rationes profert: quod divino mandato ſit contrarius; quod proxi-

proximus eo lædatur; quod amicitiam tollat, & inimicitiis capitalibus occaſionem præbeat; quod homines liberos in ſervitutem redigat; quod ſummam egeſtatem poſt ſe trahat; quod viventibus æque ac mortuis noceat; quod ſit per ſe infamis; quod multa eum mala, nihil autem boni, conſequantur; quod auferat honores ſeculares; quod homines ad alia omnia pigros efficiat; quod auctor eius ſit diabolus; quod pacem inter homines tollere, magna autem bellorum excitare incendia, ſoleat; quod ſancta matrimoniorum fœdera infringat; quod corpora debilitet, & morbos ſecum ferat; quod per eum ſapientia perdat officium ſuum; denique quod in fœmina nulla amor mutuus reperiatur, ſintque omnes aut avaræ, aut invidæ, aut maledicæ, aut rapaces, aut ventris obſequio deditæ, aut inconſtantes, aut in ſermone multiplices, aut inobedientes, aut ſuperbiæ vitio deformes, aut vanæ gloriæ cupidæ, aut mendaces, aut ebrioſæ, aut linguoſæ, aut ſecretum ſervare neſciæ, aut nimis luxurioſæ, aut ad omne malum natura proclives. Quarum rationum robur nec inquiram ego, nec fortaſſe opus eſt inquirere. Ut nullus in poſterum amori inter homines locus ſit, eiice ex animis eorum illos naturæ ſtimulos, quibus ad amandum etiam inviti & renitentes impelluntur; quod ſi facere non potes, rationes illas, noli credere, vim maiorem habituras. Eorum, quæ diximus, plurima Auctor per dialogum, veteris

formæ

formæ parum habentem, diſputat, virum cum fœmina de variis amoris argumentis ſermones, aridos interdum & ieiunos, miſcentem fingens. Id ſatis patet, propoſitum Auctori fuiſſe, *Gualterum* ſuum, ut, procul a ſe eſſe iuſſis amoris & libidinum illecebris, caſtimoniæ corporis ſtudeat, hortari; ſed hoc agens, abſtinere ab impure & obſcœne dictis debebat, qualia hic non raro caſtos legentium oculos offendunt. Lege modo, quæ de quarto amoris gradu, *totius conceſſione perſonæ*, & de *bonitate eligendi a fœmina viri*, de illa item ſucci plena quæſtione: *utri plus a fœmina conceſſum ſit*, *eine, cui ſuperiorem corporis ſui partem*, *an cui inferiorem, utendam dedit*, lutulenta habet; audire te non Capellanum putes, ſed ex Veneris caſtris exercitatiſſimum quendam militem. Videtur autem in animo habuiſſe Auctor, huic operi aliud argumenti non diſſimilis adiungere, & in illo, quæ breviter hic & tanquam in tranſcurſu dixit, pluribus exponere. Cuius rei non occulta in ipſo opere indicia exſtant, ubi hæc legas: *Sed, quare amor ponderibus non utatur æqualibus, alibi Tractatu latiori plenius te edocebo*. Et alio in loco hæc: *Cur vero citius in muliere amor, quam in maſculis, exardeſcat, alibi forte edocebo. — — — — De talibus animantibus alibi dicetur*. Nihil autem, quod ſciam, huius operis editum unquam fuit; nec, cur id doleat, orbis terrarum, aut eruditus, habet. Iam non dubito, Lectorum

rum multos fore, qui tam, quid hominis *Andreas* ille fuerit, quid rerum eius memorabilium a Scriptoribus ſit proditum, ſint ſciendi cupidi, quam mihi illa ipſa curioſe ſunt ac diligenter veſtigata. Id mihi nempe credas velim, vix nominari librum poſſe, unde, coniicere liceat, tale quid hauriri poſſe, cuius non evolvendi, & penitus excutiendi, otium ſumſerim, tantum ut hac etiam ex parte plenam efficere meam de opere *Andreæ* narrationem poſſem. Sed inane fuit ſtudium res colligendi eius hominis, cuius plurimi ne ipſum quidem nomen habent cognitum, ceteris omnibus, hunc indicaſſe librum, eiusque editionem Tremonienſem; (nam de vetuſtiori illa omnes tacent,) ſatis eſt. Unus *Fabricius*, vixiſſe eum circa annum 1170, in *Bibliotb. Lat. med. & inf. æt. Lib. I pag. 238* docet; ſed, ut nullo id auctore facit, ita, ſi *Innocentii IV*, P. R. qui anno demum 1254 rebus humanis exceſſit, Capellanus fuit *Andreas*, quod vetuſtior illa operis amatorii editio loquitur, fieri vix poteſt, ut vixiſſe plus quam octoginta annos ante putetur. Sed, ignarus cum ceteris omnibus antiquioris huius editionis *Fabricius*, aulæ regiæ Francorum Capellanum dicit, ſecutus, ex parte ſaltem, editionis Tremonienſis inſcriptionem, quæ, ut vidimus, *aulæ regiæ Capellanum* dicit, non addito tamen aulæ Gallicæ, quam *Fabricius*, ſed auctore nullo, nominat, indicio. Et ſane mira mihi, & cui non Lectorum? illa accidit inſcriptionis in

dua-

duabus his editionibus diverſitas, ut, quid horum verum ſit, an fides habenda ſit utrique Editori, neſciam. Id, ut dixi, ſatis patet, ſi, quod vult *Fabricius*, in aula Regis Galliarum A. 1180 Capellanus fuit *Andreas*, non potuiſſe eum in aula *Innocentii IV* munere eodem fungi. At teſtes, quibus carere non poteſt res hiſtorica, cum narrationem *Fabricii* confirment nulli; ponderis in ea ineſſe parum, vides. Ortu fuiſſe Gallum *Andream*, claris verbis ſcribit amicus *Mulheri*, quem ſub literis *C. L. A. W.* latere voluiſſe ſupra diximus, in Epigrammate, *Eroticis Andreæ* præmiſſo, ubi hæc legas:

Sic tu, quæ Andreas conſcripſit Erotica quondam
Gallus, perpetuum nomen habere putras.

Sed, ſi detur etiam Poetæ, natum in Galliis fuiſſe *Andream*, cuius rei fidem eſſe penes auctorem volumus, non inde hoc efficitur, in eadem gente ad dignitatem Capellani regii provectum. Iam, ſi mihi, bene putatis, quæ ſuppetunt, rationibus, dicere, quid ſentiam, aut ſaltem quid coniiciam, licet, prope ab eo abſum, ut Tremonienſis editionis inſcriptionem veriorem illa altera, nata fortaſſe ex librarii, aut editoris, ingenio, putem, &, in aula *Innocentii IV Andream* fuiſſe Capellanum, negem. Primum enim in illa ipſa vetuſtiori editione ſubnotatum epiſtolæ *Comitiſſæ Campaniæ M.* ad

ad Comitem P., video annum 1174; id quod multum iuvat *Fabricii* de ætate *Andreæ* ſententiam, ſed quam is minime ex hoc haurire fonte potuit, quippe ignarus editionis huius, quæ ab altera Tremonienſi hoc in loco diſcrepat, nullum, quod mireris, illius anni indicium præbente. Id igitur certum eſt, ſi ex illa anni nota de ætate *Andreæ* fieri coniectura debeat, idque opus ſcriptum A. 1174 (tales enim fingitur dediſſe, tanquam adhuc vivens, *Comitiſſa*, non dedit unquam, literas,) putetur, remotiorem ab ætate *Innocentii IV* fuiſſe *Andream*, quam ut huius eſſe Capellanus potuerit. Deinde, aulæ regiæ fuiſſe Capellanum *Andream*, firmiſſimum argumentum illud eſt, quod ipſe ſibi id nominis in libri ſui *Capite XI Partis II* tribuat, ubi hæc in utraque editione verba legas: *Quos ab amoris curia penitus eſſe remotos*, Andreæ, *aulæ regiæ Capellani, evidenter nobis doctrina demonſtrat.* Cauſa autem, cur in ipſo opere alius, ac in eius inſcriptione, dicatur, cum nulla appareat; quid facilius eſt creditu, quam in titulo operis librarium peccaſſe? Accedit huc illud inprimis, quod, illuſtri Capellani munere donatum ab *Innocentio IV* A. 1249 *Ioannem Wuldebuſenium*, Saxonem, teſtatur, *Bzovium* ſecutus, *Vincent. Turturetus*, in *Sacelli regii, hoc eſt, de Capellis & Capellanis Regum Libri ſingularis*, Matriti A. 1630 editi, *Cap. IV* §. 33 *pag.* 71, *b*, de *Andrea* noſtro prorſus

tacens,

taceris. Huius, non abs re eſt, integra hic verba legi: *Eodem* (Capellani) *honore ornatus fuit ab Innocentio IV alter eiusdem* (Dominicani) *Ordinis vir illuſtris*, Ioannes, *inquam*, Wildehuſenius, *Saxo*, *ex Epiſcopo Boſnenſi Præfectus Ordinis Dominicani Capellanus*, & *Pœnitentiarius eiusdem Summi Præſulis. Qui Ioannes anno 1249 ad exſtirpandam hæreſin Circumcellionum maximos labores exantlavit*. Id igitur quæri unum poteſt, utrum in Regis Galliarum, an Neapolitani, aula Capellanus fuerit *Andreas*: nec hic valde repugnabo iis, qui Gallicam Neapolitanæ prætulerint. Nam, quod in libri ſui loco uno, & fortaſſe altero, *Italiæ* mentionem facit, & frequenter *Comitiſſam Campaniæ* nominat, id ſi materiam dare poſſe ſuſpicandi putetur, in terris tunc, cum ſcriberet hunc librum, vixiſſe eum Neapolitanis; plura utique & fortiora ex eodem libro peti argumenta ad probandum poſſunt, ſedem fortunæ ſuæ *Andream* in Gallia habuiſſe. Videas enim nunc per *regiam Galliæ ſylvam* ambulantem; nunc *ære modico Franciæ* gaudentem; nunc *Mengardæ Narbonenſis* dicta memorantem; nunc *Pariſiis* erudiri cupientem; nunc *dominarum curiæ*, *in Vaſconia congregatæ*, de amore iudicia enarrantem. In quibus omnibus tali utitur dicendi ratione, ut, ubique fuiſſe præſentem, & inter medios conſtitutum Gallos, putes. Ceterum, illuſtriſſimos fuiſſe, & inter primarios numerandos, Capellani regii honores, ſi aliunde cognitum non habes,

habes, diſcere te iubemus ex illo, quem paulo ante dixi, *Turtureti* libro, & ex alio *Ioſephi Caraſæ, de Capella Regis utriusque Siciliæ*, Romæ A. 1749 edito. Inter Clericos igitur cum prima fere ſubſellia occupaverit *Andreas*; non eſt adeo mirum, ita huic ordini fuiſſe deditum, ut, quibus eſſe virtutibus decoratum oporteat eum, qui in amoris militare caſtris voluerit, copioſe exponens, etiam hanc ponat regulam: *Contra Dei Clericos, vel Monachos, ſive contra religioſas domos, quamcunque perſonam, iniurioſa, aut irriſoria, non debet verba proferre, ſed eis totis viribus, totaque mente, eius gratia, cuius funguntur officio ſpecialiter, ſemper & ubique debitum honorem impendere.* Quibus addi inprimis debent hæc, quæ alio in loco leguntur: *Clericus ergo nobiliſſimus iudicatur ordinis prærogativa ſacrati, quam nobilitatem ex Dei conſtat gremio proceſſiſſe, & divina Clericis voluntate fuiſſe largitam, eodem ipſo teſtante, qui dicit: Qui vos tanget, me tangit.* Inde etiam cognoſci poteſt ratio, cur Clericis præcipuam quandam ſanctimoniam naturæ tribuat, hosque ullis agitari ſtimulis neget. *Quanquam*, inquit, *Clericorum ſim forte coniunctus conſortio, homo tamen ſum in peccatis conceptus, carnis lapſui, ſicut & ceteri homines, naturaliter proprius exiſtens. Licet enim Dominus in ſuis miniſteriis, & verbi nuncupatione divini, ſua voluit Clericos fungi legatione, & honore ipſos magno gravaverit; eorum tamen conditionem*

in

in hoc voluit facere meliorem, ut carnis ab eis ſtimulum & peccati fomitem removeret. Sed, ne hæc ita aliqui accipiant, ac ſi prorſus ad amorem ſint inepti, & eius deliciis ipſi ſe privare debeant Clerici, id paulo poſt modis omnibus agentem videas, ut, laico præferendum in amore Clericum, doceat. Specioſæ eius rationes ſunt, quas, operæ pretium eſt, cognoſcere: *Sufficit ergo mihi, ſi altari aſſiſtens, plebi Dei verbum ſtudeam denuntiare. Unde, ſi ab aliqua petam muliere amari, ſub clericali non poteſt me prætextu repellere; immo inevitabili vobis neceſſitate probabo, quod magis in amore Clericus, quam laicus, eſt eligendus. Clericus enim in cunctis cautior & prudentior, quam laicus, invenitur, & maiori moderamine ſe ſuaque diſponit, & competentiori menſura ſolitus eſt omnia moderari, &, quia Clericus omnium rerum ſcientia, referente Scriptura, habet peritiam veſtri, potius ipſius, quam laici, amor eſt iudicandus; quia nihil in mundo tam neceſſarium invenitur, quam omni induſtria rerum amoroſum eſſe peritum. Et ideo, ſi alias me dignum veſtro amore noveritis, hac me cautione rite non poteſtis abiicere, quod me Clericorum videritis militiæ deputari.* Quam vero, quæ deinde habet, honorifica ſint Clericis, ipſe viderit *Andreas: Continuo deditus otio reperitur, & ventris ſolummodo obſequiis mancipatus.*

INDEX

INDEX DISSERTATIONUM,

QUAE

VOLUMINIS OCTAVI

PARTE TERTIA

CONTINENTUR:

I. Ioannis Christophori Harenbergii Enodatio difficultatis chronologicæ, quæ videtur ineſſe loco Actor. XIII, 20, 21.
Pag. 377-416.

II. Pauli Ernesti Iablonskii Spicilegium Obſervationum de miraculo legionis fulminatricis. Pag. 417-454.

III. Christoph. Aug. Heumanni Obſervationum ad *Minucium Felicem* Ferculum quintum, idque ultimum.
Pag. 454-479.

IV. Io-

IV. Io. Iac. Reiske Coniecturarum ad *Herodotum* Pars IV.

Pag. 480 - 503.

V. Ioannis Christophori Strodtmanni, Rectoris Scholae Harburgenſis, Sylloge ſecunda differentiarum Graecarum.

Pag. 504 - 533.

VI. Frid. Ottonis Menckenii Librorum, haud ita diu ab inventa arte typographica editorum, quibus ſuppleri poſſint Annales typographici *Maittairiani*, Decas ſexta, eiusque prior Particula.

Pag. 534 - 564.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA,

AD INCREMENTVM SCIENTIARVM,

AB HIS,

QVI SVNT IN COLLIGENDIS

ERVDITORVM NOVIS ACTIS

OCCVPATI,

PER PARTES PVBLICATA.

VOLVMINIS OCTAVI PARS QVARTA,

QVAE EST VLTIMA.

Cum Privil. Regis Pol. & Elect. Saxoniæ.

LIPSIAE,

APVD B. LANCKISII HAEREDES.

MDCCLII.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

A

[illegible]

[illegible]

[illegible]

I.

IOANNIS RVDOLPHI KIESLINGII,

D. & P. Ord. Lipſienſis,

OBSERVATIO

DE

SVMMO GENTIS IVDAICAE EXCIDIO SVB SOLIS OCCASV SIGNIFICATO,

ad dict. *Ier. XV, 9.*

I.

Mortales, ſtudio Aſtrologico inprimis intenti, aſtrorumque ſitum & variationem defixis oculis conſiderantes, eo demum temeritatis prolapſi ſunt, ut ipſa ſidera, tanquam Deorum ſedes, coluerint. Quem aſtrorum cultum procul dubio primum ſuperſtitionis

omnis ortum fuiſſe, perbelle ſtatuunt *Gerhard. Io. Voſſius*, a) *Radulph. Cudworthus*, b) *Bernhardus Monteſalconius*, c) *Richardus Hockerus*, d) *Henricus Morus*, e) & *Th. Stanleius*. f) Chaldæi inprimis & Perſæ huic ſtudio & cultui ſe addixerunt, e quorum fonte aliæ gentes ſuos idololatriæ derivarunt rivulos. Ecquid igitur mirum, hos, fabuloſos aſtrorum cultores ſiderum mutationibus, lunæ defectui, ſolisque obſcurationi, præſagia adſcripſiſſe omnium funeſtiſſima, ratos, ſolis defectum toti terrarum orbi, vel uni alterive populo, ſummum minari periculum. Tam triſte prodigium nobis obvium eſt apud *Homerum*, g) quem penes *Theoclymenus*, poſt enarrata varia, eaque ſatis dira, vel minacia, prodigia, hæc tradit:

— — — — Ἠέλιος δὲ
Οὐρανȣ̃ ἐξαπόλωλε, κακὴ δ᾽ ἐπιδέδρομεν ἀχλύς.

— *Sol*

a) *De Ortu & progreſſu Idololatr*, *Lib. II Cap.* XXX *p* 454.

b) *Syſtem. intellectual. Cap. IV* §. XXXVI *p.* 730.

c) *Antiquit. Schemat. Explanat. Tom.* 1 *Part.* I Præf. *de Origine Idololatr. fol.* XCII edit. Pariſ.

d) *Of Lawes of Eccleſiaſtic Polity Book IV* §. 12 *p.* 175.

e) *Opp. theologic. Lib. V Cap. IX p.* 466 edit. Londin.

f) *Hiſtor. philoſophic. Part.* XIII *Sect.* III *Cap.* XXXVI *p.* 1155.

g) *Odyſſ.* I *v.* 357 *p.* 543 edit. *Barneſ.*

— — — — *Sol autem*
Ex cælo periit, mala autem inceſſit caligo.

Bene hæc verba *Euſtathius* h) de ſolis defectu interpretatur. Circa vocem ἐξαπόλωλε obſervat *Barneſius*, i) pro eadem legendum eſſe ἐκλελοίπει, vel ἐπιλέλοιπεν.

II. Quanto igitur iucundior mortalibus eſt ſolis adſpectus, adeo quidem, ut erecto pollice ſoli oſcula proiecerint, quod ex *Iobi Cap. XXXI verſu 27* non inepte colligunt *Voſſius*, k) *Galeus*, l) *Stanleius*, m) tanto triſtior, rebusque humanis magis noxia, æſtimata eſt ſolis in cælo obſcuratio. Naturalis quidem eſt ſolis defectus, & male & deſipienter agunt homines, qui oculis ſuis plus ſignis externis ſiderum, quam mente, ſummo rerum humanarum arbitro, horumque prodigiorum creatori, ſunt intenti; placuit tamen Deo, hominibus, his rebus externis aſſuefactis, futuras rerum, earundemque ſæpe inſignium, mutationes ſub iisdem ſignis, in aſtrorum curſu conſpicuis, demonſtrare & annuntiare. Quid mirum, nonnullos homines eam ingreſſos eſſe rationem, ut ſtatuerent, ſolem, lunam, & reliqua

 ſidera,

h) *Fol. 739 lin. 2.*
i) l. c. *not. 357.*
k) *Orig. & progreſſ. Idololatr. Lib. II Cap. III p. 317.*
l) *The Court of the Gentiles Part. I Chap. VIII §. 7 p. 111 ſeq.*
m) *Hiſtor. philoſoph. oriental. Part. XIII Sect. II Cap. XXXIV ſeq. p. 1152.*

ſidera, allegorice eſſe intelligenda; & ſolem, lunam, atque ſtellas, reges ac ſtatores rerum publicarum ſignificare. Prout enim hæc ſidera in terram influunt; ita ſagacioris ingenii viri ſtatuerunt, principes atque proceres in populum, eiusque ſtatum, influere. Deficientibus autem horum aſtrorum radiis ac luce, maximas rerum viciſſitudines eſſe exſpectandas, arbitrati ſunt, quod *Artemidorus* n) & *Lomeierus* o) fuſius tradunt.

III. Conſtat itaque inter nos, aliquid monſtri ac prodigii hoc ſolis defectu figurate indicari, cuius rei documenta ipſa ſacri Codicis oracula exhibent. Dum vero divinæ Scripturæ effata de ſole e cælo perituro conſiderabimus, noſtra meditatio potiſſimum circa illud *Ieremiæ* effatum, *Cap XV, 8, 9,* obvium, occupabitur. En illud:
אמללה ילדת השבעה נפחה נפשה באה
שמשה בעד יומם בושה וחפרה ושאריתם
לחרב אתן לפני איביהם נאם יהוה:
Infirmata eſt, quæ peperit ſeptem, defecit anima eius, occidit ei ſol, cum adhuc eſſet dies: confuſa eſt, & erubuit, & reſiduos eius in gladium dabo, in conſpectu inimicorum eorum, ait Dominus.

IV. Noſtrum non eſt, in varia ſolis æque ac lunæ phænomena inquirere, quam operam Phyſicis atque Aſtronomis relictam eſſe volumus, qua

n) *Lib. II Oneirocrit. Cap. XXXVI ſeq. p. 126 ſeq.*
o) *De Luſtration. vet. gentil. Cap. X p. 65.*

qua etiam fuſe defunctus eſt *Iacobus Rohaultus*. p) Non inficiamur, Deum quoque dehortari populum ſuum *Levitic. XIX*, *26*, *Devt. XVIII*, *10*, ne his ſignis naturalibus, quod gentiles facere ſolent, cum ſuperſtitione inhiet. Aſt illud, quod adduximus, dictum neutiquam de naturalibus ſolis phænomenis agit, ſed tantum ſub hoc ſigno, a ſolis mutatione petito, moralem aliquam prodit ſignificationem. Etenim Deo, quo opituletur mortalium infirmitati in rebus arcanis, in moribus eſt poſitum, ſymbolis uti in demonſtranda re aliqua ſublimiori. Videmus ceteroquin, gentiles, has ſolis mutationes, eiusdemque vel obſcurationem, vel defectum, rei publicæ plerumque aliquid mali portendere, certiſſime crediſſe. Bene quoque obſervat *Plinius*, q) *quod defectum ſiderum paveant & quadrupedes.* Teſtis quoque eſt *Zonaras*, r) ecliplin ſolis Carthaginenſibus, ipſique *Hannibali*, alioquin invicto victori, inſtante cum *Scipione* prælio, tantum incuſſiſſe metum ac terrorem, ut de felici prælii eventu deſperarint his quidem verbis: Οἱ καὶ δι᾽ ἕτερα, καὶ ὅτι ὁ ἥλιος συμπὰς ἐξέλιπεν. Ἐκ γὰρ τῶν ἄλλων καὶ τοῦτο οὐκ αἴσιόν τι προμηνύειν σφίσιν ὁ Ἀννίβας ὑπώπτευσεν. *Et præter alia etiam defectu ſolis integro territi, quem præter ce-*

p) *Tractat. Phyſic. Part. II Cap. VIII p. 285 ſeq. & Part. II Cap. X p. 289 ſeq.*

q) *Hiſtor. Natural. Lib. VIII Cap. 54.*

r) *Annal. Tom. I p. 442* edit. Pariſ.

vetra nihil ſibi fauſti portendere, Pœnus arbitratus.

V. Miſſis autem his naturalibus ſolis turbamentis, nos ad *Ieremiæ* effatum accingimus, aliquantiſper vexatum. Primum omnium rerum monendum eſt, in *commate* præcedente *octavo* non leves inter pleroſque interpretes enatas eſſe contentiones de verbis: הבאתי לחם על־אם בחור שדד בצהרים׃ *Adducam ſuper matrem, electum vaſtatorem in meridie.* Quæ verba tamen *Lutherus*, s) *Sebaſtianus Schmidius*, t) alii, in ſtatu regiminis ponunt, &, præteritum pro futuro legi ſtatuunt; inde hic emergit ſenſus: *Adducam ſupra matrem iuventutis, ſeu iuvenum, vaſtatorem.* Quam verſionem ſeptuaginta interpretes admiſerunt: Ἐπήγαγον ἐπὶ μητέρα νεανίσκους. Vitium diſſenſionis exinde ortum eſt. Multi interpretes cum Chaldæo & LXX Senioribus has voces non ſatis bene diſtinxerunt, ac verbum בחור ad vocem אם, in ſtatu regiminis poſitam, retraxerunt; quare ſenſus eſt: mater iuventutis, ſeu iuvenum. Aſt planum eſt, illa verba per accentum a ſe invicem rite eſſe ſeparanda. Putarem itaque, interpretationem Ebræam manifeſte docere, inter has voces, per Thhirium diſtinctas, non eſſe regimen: alias enim ſub voce Makkephata על־אם ſervus Merca exiſtere deberet, reiecto Thhirio in verbo להם. Commendat ſe

s) Verſ. *Lutheri* ad h. l.
t) *Commentar. ad h. l. p. 614.*

ſe itaque hæc interpretatio, cui adſtipulantur *Ludovicus de Dieu*, u) *Io. Henr. Starckius*, x) *Io. Clericus*. y) Ex his pervium eſt, per חבור שדד intelligendum eſſe iuvenem illum *Nebucadnezarem* vaſtatorem, quem evocare voluit Deus, ad devaſtandam urbem Hieroſolymitanam. בחור ſæpe ſignificat electum, prout ſunt iuvenes ad militiam electi, robore æque ac ætate præſtantes ad ferenda arma. Obſervat enim *Flav. Vegetius*, z) incipientem pubertatem ad delectum militiæ cogendam eſſe, ut a teneris armis aſſueſcat. Confirmant hoc oracula ſacra, 2 *Sam. VI*, 1, *Cant. V*, 15, *Pſ. CXLVIII*, 12, *Eſ. XXIII*, 4. Electus igitur ille iuvenis, ſeu belli dux, fuit *Nabuchodonoſor*. Iuvenis enim adſtitit *Nebucadnezar*, cum a parente *Nabopallaſare* in ſocietatem imperii adſciſceretur, & adverſus *Pharaonem Nechonem* in Ægyptum, & *Ieboiakimum* cum copiis mitteretur. Devicto enim *Nechone*, *Ioſiæ* arma intulit, ſibique viam in urbem Hieroſolymitanam aperuit. Flebile vero illud excidii Hieroſolymitani tempus a devaſtatione ultima bene eſt ſeparandum. Ultima deſolatio incidit in *Zedekiæ* ætatem, hæc vero in annum quartum regis *Ieboiakimi*, & *Nabuchodonoſoris* primum, quo regiam dignitatem

u) *Animadverſ. ad hunc Ierem. locum p.* 246.
x) *Not. ſelect. ad h. l. p.* 118.
y) *Commentar. ad h. l. p.* 388.
z) *De Re militari Cap. IV p.* 5.

adeptus eſt, quod *Iacobus Uſſerius*, a) & *Humphredus Prideauxius*, b) *Arthurus Bedfordus*, c) *Iacobus Perizonius*, d) & *Io. Frid. Schrœerus*, e) optime obſervant. Satis proinde dextre *Nabuchodnoſor* appellatur iuvenis.

VI. Ex his nunc pateſcit, voce אם, *mater*, non intelligendam eſſe matrem proprie ſic dictam, quæ prolem parturit, ſed illam improprie ſumi de urbe Hieroſolymitana, quæ reſpectu vel totius Eccleſiæ Iudaicæ, vel reſpectu civitatum ſuburbicariarum, optime appellatur mater. Urbes enim amplitudine, ſplendore, poteſtate, opibusque, illuſtres optime dici poſſunt matres & nutrices reliquarum civitatum admodum exilium; quia illæ plerumque ſunt municipes, ſuaque negotia ac emolumenta ex ampliſſimis urbibus petere ſolent. Id nominis de urbe Hieroſolymitana in ſacra Scriptura ſæpiſſime occurrit, e. g. *Cant. III*, 4, *VIII*, 12, *Eſ. L*, 1, *Thren. II*, 22, *Ezech. XXIII*, 4, *Hoſ. II*, 5, *IV*, 5, *Matth. XXIII*, 37, *Gal. IV*,

a) *Annal. Vet. & Nov. Teſtam. ætate Mundi V p. 67 ſeq.*

b) *Connection of the Hiſtory of the Old and New Teſtament Part. I Book I A. 606 Jehojakin. 4 p. 86 ſeq.*

c) *The Scripture Chronology Book VI Chap. III A. 604 p. 677.*

d) *Origines Babylonicæ Cap. VI p. 80* in *Addendis p. 357.*

e) *Imperium Babylon. & Nini ex monumentis antiquis Sect. V §. XIII p. 295.*

IV, 26. Nec rarus eſt hic titulus matrum de illuſtriſſimis urbibus apud *Pindarum*, *Homerum*, *Euripidem*, aliosque, quod nervoſe exponunt *Ezechiel Spanhemius*, f) *Frid. Adolph. Lampius*, g) & *Matth. Polus*. h) In *commate* nunc *nono* triſte denuntiatur populo Iudaico, & quidem regni Iudaici incolis, periculum futurum nimirum eſſe, ut mater, ſeptem liberis aucta, atque ornata, ob eorundem obitum, eumque inopinatum & fatalem, ſummo ſuffundatur dolore, animique mœrore. Inſuper addit divinus vates: באה שמשה בעד יומם, *ſol eius occidit, dum adhuc dies*. De eo inter pleroſque Commentatores convenit, quod in hoc oraculo occaſus ſolis inopinatus ſignum ſit triſtitiæ calamitatisque publicæ, ſed in eo ſeſe manifeſtat ſententiarum diſſenſus, quod alii hoc imminens malum de ipſo urbis Hieroſolymitanæ excidio, alii vero de mœrore, matribus ob præmaturam liberorum mortem inflicto, interpretantur. Eandem in ſententiam abit *Seb. Schmidius*, i) ediſſerendo: *Solem eſſe gaudium, & felicitatem, ſed eam, quam matres ex liberis ſuis capiunt. Occidit hic ſol matribus Iudæorum, dum adhuc*

f) *De Præſtantia & uſu Numiſm. Diſſert. VII p. 643.*

g) *Exercitat. ſacr. ad Pſalm. XLV Exercitat. XII §. VI p. 560.*

h) *Annotat. upon the holy Bibl. Vol. II, Jerem. Chap. XV, 8.*

i) *Comment. ad h. l. p. 618.*

dies erat, hoc eſt, ante tempus, cum filii adhuc eſſent iuvenes, nec ſecundum naturæ curſum morti proximi. Satis commode *Sanctius* k) in genere de calamitate publica hæc intelligit, cui interpretationi totius oraculi nexus perapte reſpondet.

VII. Nulla mihi eſt dubitatio, quin cum *Io. Clerico* l) ſtatuam, ſub imagine huius mulieris deſcribi ſuperbam illam, intumeſcentemque ob urbis amplitudinem, opes, ac numeroſam iuvenum, ad militiam delectorum, copiam, Hieroſolymam, quæ multo citius, quam ſperabat, miſere periit, propter Regum ſuorum dementiam. Reges enim regni Iudaici, ad defectionem proclives, ſemper aliquid rebellionis adverſus Reges Babyloniæ, quibus tamen tributarii facti erant, moliebantur, qui temerarius conatus tandem Iudaicæ Reipublicæ excidium attulit omnium funeſtiſſimum. Hic tamen ſcrupulus quoſdam vellicat Commentatores, quid nomine ſeptem liberorum, quos peperit mater, quæ tot funera viſura eſſet, ſit intelligendum. *Salomon Iarchius* m) ex Tractatu Talmudico, *Gittin* n) dicto, refert, intelligendas eſſe ſeptem infelicis memoriæ reges Samariæ, nempe *Ierobeamum*, *Baeſam*, *Amri*, *Iehu*, *Menachem*, *Pecachum*, & *Hoſeam*, cum ſuis familiis. Secus autem illæ ſeptem

k) *Commentar. ad h. l.*
l) *Commentar. ad h. l. p. 389.*
m) *Commentar. ad h. l. p. 384.*
n) *Gittin. fol. 88.*

ptem familiæ explicantur in Medraſch R. Tanchumæ de ſeptem Regibus urbis, ſeu regni Hieroſolymitani, quorum nomina, teſtè eodem *Iarchio*, o) ſunt Ioram, Ioas, Achas, Manaſſes, Ammon, Iehoiakim, & Zedekia. Peſſimæ notæ famam ſibi hi ſeptem Reges attraxerunt, & deteſtandæ memoriæ veſtigia reliquerunt. Ingenioſe hæc dicuntur, ſed non ſatis certo nituntur firmamento. Ita mallem ſeptem illos, quos peperit hæc fœcunda mater, filios de copioſo, quo tunc gaviſa eſt urbs Hieroſolymorum, iuventutis ad militiam inſtructæ numero interpretari. Hieroſolyma vero regina quaſi, mater, & nutrix, multarum ampliſſimarum urbium, hac *Nebucadnezaris* devaſtatione ad incitas redacta, ſuaque potentia, ac populi vi, orbata eſt, ut pudore affecta erubeſceret, & ſtultitiæ, ſuperbiæ, & inſolentiæ, pœnas daret longe graviſſimas.

II.
EIVSDEM OBSERVATIO DE FORMATIONE HOMINIS INSTAR CASEI COAGVLATI, ad effat. *Iob.* X, 10.

I.

Antiquiſſimus a prima hominum origine mortalium cibus lactis atque olerum uſus fuiſſe

o) l. c. p. 384.

fuiſſe videtur, quia agriculturæ inventio non apud omnes populos uno tempore invaluit; quod inde patet, quia pleræque gentes & agriculturæ, & vineæ, & aliarum artium, in ſuis ſcriptis celebrant inventores, eosdemque cultu fere divino colunt, quod ex *Polydoro Vergilio* p) fuſius colligitur. A meo quoque inſtituto alienum eſt, me ambiguæ illi quæſtioni, utrum uſus carnis ante diluvium locum habuerit, nec ne, immittere. Id ſolum dicere aſſerereque haud erubeſco, primitivos mortales, antequam rationes de nitidis cibis ad vitæ humanæ alimenta & commoda bene præparandis inirent, cibis ſimplicioribus, ac præparatu facillimis, uſos fuiſſe. Quem in cenſum ego referre non dubito alimentum, ex lacte confectum, quod non ſolum naturæ humanæ admodum ſalutare eſt, ſed exigua etiam opera ac præparatione indiget. Ipſa, niſi me omnia fallunt, natura hunc lactis victum edocuit, dum a primis noſtris natalibus hoc nutrimento lactamur, ſaginamur, recreamur. Experientia quoque, optima rerum magiſtra, nobis demonſtrat, huius lactis uſum apud populos Orientis, eosdemque potiſſimum vagos, incultos, barbaros, & a moribus aliarum gentium percultarum remotos, quales ſunt Arabes, Tartari, aliique, eſſe frequentiſſimum. Quid? quod Deus, ut Iudæis deſiderium terram promiſſam occupandi excitaret, illis terram, lacte & melle diffluentem, pollicetur; *Exod. III*, 8. Gentes enim

p) *De Inventor. rerum Lib. III Cap. II*, p. 207.

enim vagæ, nullique perpetuæ & fixæ ſedi addictæ, agriculturam non excolunt, ſed ſuis animalibus, quibus plerumque, ob ampliſſima paſtus ſpatia, & fructifera deſerta, abundare ſolent, fruuntur, migrationesque inſtituunt. In moribus ipſis poſitum eſt, res ſuas facile convaſare, omniaque ſua cum *Biante* ſecum portare. Illis potiſſimum, qui caſtra apud Iudæos, Romanos, & Græcos, ſequebantur, uſum caſei frequentem fuiſſe, docet *Guil. Stuckius*. q) Leve & frugale fuit hoc cibi in militia genus, quod *Iſaius*, parens *Davidis*, vel muneris, vel tributi, loco miſit belli præfecto, *1 Sam. XVII, 18.*

II. Vetuſtiſſimum hoc cibi genus ex antiquiſſimo Auctore, *Homero*, inquam, colligimus, qui nobis decantat Cyclopis *Polyphemi* rem, familias, & divitias, commemoratque, *Ulyſſem* cum ſociis ingreſſum eſſe antrum *Polyphemi*, ab eodemque amanter exceptum, & cibo quotidiano, lacte, & caſeis, eſſe refectum. En *Polyphemi*, monſtri illius horrendi, divitias opesque ab *Homero* r) traditas:

Ἐλθόντες δ' εἰς ἄντρον ἐθηευμεσθα ἕκαστα.
Ταρσοὶ μὲν τυρῶν βρῖθον, στεῖνοντο δὲ σηκοὶ
Ἀρνῶν ἠδ' ἐρίφων διακεκριμέναι δὲ ἕκασται

Ἔρχα-

q) *Antiquit. Convival. Lib. I Cap. XXI p. 56.*

r) *Odyſſ. I, 246, p. 224,* edit. *Barneſ.* Conf. *Everhardi Feithii Antiquit. Homeric. Lib. III Cap. I §. VI p. 273.*

"Ερχατο, χωρὶς μὲν πρόγονοι, χωρὶς δὲ μέτασσαι,
Χωρὶς δὲ αὖθ' ἕρσαι. ναῖον δ' ὀρῷ ἄγγεα πάντα.

Venientes autem in antrum admirabantur ſingula:
Calathi quidem caſeis gravabantur, repleta erant ſtabula
Agnorum atque hædorum, ſeparatæ vero ſingulæ
Incluſæ erant, ſeparatim quidem grandiores, ſeorſim iuniores,
Separatim recens natæ: nutabant ſero vaſa omnia.

Uberius autem paulo poſt hanc *Polyphemi* œconomiam deſcribit, & tradit, qua ratione ex lacte præparaverit, ad uſum victumque, caſeum, his verbis: s)

Πάντα κατὰ μοῖραν, καὶ ὑπ' ἔμβρυον ἧκεν ἑκάστῃ
Αὐτίκα δ' ἥμισυ μὲν θρέψας λευκοῖο γάλακτος,
Πλεκτοῖς ἐν ταλάροισιν ἀμησάμενος κατέθηκε.
Ἥμισυ δ' αὖτ' ἔστησεν ἐν ἄγγεσιν, ὄφρα οἱ εἴη
Πίνειν αἰνυμένῳ, καὶ οἱ ποτιδόρπιον εἴη.

Omnia

s) l. c. p. 225.

Omnia, ut decebat, & fœtum ſubmiſit ſingulis,
Statim autem dimidium coagulans albi lactis
Textilibus in calathis conſtructum repoſuit,
Dimidium autem rurſus conſtituit in vaſis, ut ei eſſet
Potus comedenti, & ei ad cœnam ſufficeret.

Tempero mihi ab alio *Homeri* documento, in quo *Circe* ſuis hoſpitibus eadem fercula appoſuiſſe traditur. t) Eleganter deſcribit *Homerus*, qua ratione *Polyphemus* rem ſuam adminiſtrarit domeſticam, & ex lacte coagulato præparaverit caſeum, tanquam uſitatum ſuæ inſulæ victum. Nec mirari ſubit, hoc ex lactis apparatu caſeum apud veteres appellatum fuiſſe lactis filium: quia ex illo conficitur. Quæ dum mecum expendo, video, ſanctiſſimum & illuſtriſſimum patientiæ exemplum, *Iobum*, Arabiæ quondam incolam, eiusdem caſei ex lacte coagulati feciſſe mentionem, huiuſceque victus præparationem excellenter ad formationem hominis in utero materno applicuiſſe, ediſſerendo: הלא כחלב תתיכני וכגבינה. *Nonne ſicut lac mulſiſti me, & ſicut:* תקפי אני כיאלו, *caſeum coagulaſti me? Cap. X, 10.* Operæ pretium erit, hanc elegantem, qua uſus eſt *Iobus*, dicendi ratio-

t) *Odyſſ. X, 234 ſeq. pag. 255* laud. edit.

tionem, in admiranda hominis formatione obviam, paullo curatius contemplari.

III. In fronte ſtatim monemus, quod omnes rei criticæ indagatores, *Sal. Glaſſius*, u) & *Chriſt. Noldius*, x) obſervant, hanc interrogationem: הלא *nonne?* ita eſſe ſumendam, ut ſenſus ſit, *omnino*, *vere*, fudiſti me ſicut lac. Duo inſuper occurrunt nomina, noſtra meditatione ac commentatione omnino digna, quorum alterum eſt נתך, alterum קפא. Prima vox ſub incudem mittenda eſt, נתך, fuſus, effuſus, fuit, liqueſcit, ac idem, quod Græcis τήκω, vel τηκέω, liquefacio, & non ſolum de aqua, & aliis liquoribus, qui liqueſcunt, ſed & proprie de aere, ac metallo, uſurpatur, quod vi caloris ita liqueſcit, ut fiat fluidum, formæque recipiendæ capax. Quo ſenſu potiſſimum *Ezech. XXII*, *20*, legitur. Mitto alia teſtimonia, variasque huius verbi notiones, quæ ex *Guil. Robertſonio*, y) & *Edmundo Caſtello*, z) colligi poſſunt. Eam vocis ſignificationem in hoc effato admittit *Sebaſtianus Schmidius*. a) Alterum verbum eſt קפא, coagulari, condenſari, compingi, quando videlicet materia fluida, atque

u) *Philolog. Sacr. Lib. V Tract. II Cap. V p. 18, 28 ſeq.*

x) *Concordant. particular. Hebr. Chaldaic. ad h. v. p. 256.*

y) *Theſaur. Ling. S. ad h. v. p. 636.*

z) *Lexic. Heptaglott. Tom. II ad h. v. p. 24. 25.*

a) *Commentar. ad h. l. p. 434.*

que res liquida coagulatur, & condenſatur, quo ſenſu occurrit *Exod. XV, 8*, quod ex laudatis Lexicorum conditoribus facile addiſci poteſt.

IV. Conſideraturi nunc horum verborum nervum, videmus, & conceptionem hominis, & formationem fœtus, ſub hoc ſymbolo ſatis eleganter depingi. Obſtabunt tamen huic generationis ſyſtemati, a *Iobo* indicato, recentiorum Phyſicorum ſententiæ, ab hoc generationis modo longius remotæ. At noſtrum non eſt, in hoc argumentum inquirere, ſed rem ipſam ex *Iobi* opinione referre. Ex huius divini Auctoris mente fœtus conceptio, eiusdemque formatio, ſeminis & maris & fœminæ fit beneficio, dum ſemen mulieris, initio decurrens, lacti admodum ſimile, adveniente ſemine viri, calore eius ſiſtitur, conſolidatur, atque coagulatum creſcit, ut embryo fiat. Quæ igitur primo fuit materia liquida, & alba, fit in ipſa conceptione ſeroſa, ac condenſata, quod in formatione caſei ex lacte accidere ſolet. Sic itaque ſapientiſſimus humani corporis architectus ad hoc ædificium effabricandum deſcendit, cutem & carnem effingit, ac oſſibus nervisque totum corpus affabre tegit, quod præter *Iobum Davides Pſalm. CXXXIX, 14, 15*; laudibus æternis prædicat. Placet in rei demonſtrationem *S. Chryſoſtomi* b) commentationem ſatis piam addere:

b) *Nicet. Caten. Græc. Patr. in Iob. ad h. l. p. 230.*

dere: Τὸ σπέρμα ἐξ οὗ συνίσταται τὸ ζῶον, γάλα ἀμελχθὲν λέγει· καὶ ὥσπερ τὸ γάλα ἀμελχθὲν τυρὸς γίνεται, οὕτω καὶ τὸ σπέρμα ἀποστάξαν καὶ συστραφὲν, φύσις γίνεται, κατάστασις δὲ αὕτη ἐστὶ πρώτη τοῦ ἐμβρύου. Τὸ γὰρ καταβληθὲν εἰς τὰς αὔλακας τῆς ὑστέρας σπέρμα, ὅταν συστραφῇ δια τυρὸς, καὶ παγῇ γίνεται φύσις ὅπερ λοιπὸν διαπλάττεται ἢ ὡς ἡ γραφή φησιν, ἐξεικονίζεται ὥσπερ χαρακτῆρα. Καὶ κρέας, ὀστέα τε, καὶ νεῦρα μερίζεται τὸ καταβληθέν. Ταῦτα μὲν τοιαῦτα καθ' ἑαυτὰ παρούσης μὲν ψυχῆς ζωτικὸν ἔχει κίνημα ἀναχωρησάσης δὲ ἀργὰ καταλείπεται. *Semen, ex quo animal conſiſtit, lac emulctum dicit; &, quemadmodum lac, ex uberibus expreſſum, fit caſeus, ita ſemen, ſtillatim fuſum, & coagulatum, natura & ſubſtantia evadit; atque hæc prima eſt embryi conſtitutio. Semen enim, quod uteri ſulcis mandatum eſt, cum inſtar caſei condenſatur & coagulatur, ſubſtantia fit, ac poſtea effingitur, (vel, uti Scriptura loquitur, exemplari aſſimilatur, & tanquam characterem recipit,) & ſubſtantia, quæ humida erat, coagmentatur, quodque in uterum fuit coniectum, in pellem, carnes, oſſa, & nervos, diſtribuitur, & hæc quidem ſingula, anima præſente, motu animali moventur, illa vero recedente torpent & otioſa ſunt.* Non neſcio, hanc *Chryſoſtomi*, de conceptione & formatione hominis, in utero matris, ſententiam ſe rei phyſicæ indagatoribus minus eſſe proba-

turam,

turam, nec ego ſum, qui in his paginis hoc formationis hominis arcanum ex libris Phyſicorum in ſe recitandum ſuſceperit, quia myſteria divina potius, quam phyſica, iam delibanda ſum aggreſſus.

V. Ne igitur in hoc argumento ſine ſymbola diſcedam, quatuor potiſſimum momenta, in hac miraculoſa hominis formatione, nobis adhuc videntur obſervanda. *Primum* eſt omnipotentiæ divinæ documentum, quo Deus ex rebus minimis maxima opera producere poteſt. Tam exilis ſeminis utriusque ſexus materia atque particula, aptum tamen paratumque eſt medium ad formandum corpus, tot tamque minutis & ornatis membris inſtructum. Quod omnipotentiæ argumentum his verbis celebrat *Paulus*: *Deus fecit, ut ἐξ ἑνὸς αἵματος, uno ſanguine, totum genus hominum per univerſum terrarum orbem exiſtat & habitet, Actor. XVII, 26.* Parva mortalium initia tantis ſucceſſionibus ſunt aucta, ut hoc mortalium genus in copioſiſſimam, & vix numerandam, evaſerit multitudinem. *Secundum*, quod laudibus decantandum æſtimamus, in formando homine documentum, eſt ſapientia Dei, in excellentiſſima & præſtantiſſima formatione totius corporis omniumque partium conſpicua. Si enim ornatam totius corporis ſtructuram, iuſtam omnium partium proportionem, elegantem earundem ordinem, variumque omnium membrorum uſum, contempleris, tot divinæ

ſapientiæ atque bonitatis deprehendes documenta, quot totius corporis partes, & membrorum articulos, oculo contemplaris. Laudes merentur illi, qui ex toto corpore, ac ſingulis corporis partibus, divinam potentiam atque ſapientiam libris lectione digniſſimis expoſuerunt, quod argumentum haud frigido calamo delineavit *Polychronius*, c) aſſerendo: Τάχα δὲ καὶ ἐκπλήττεται, πῶς ἐν μήτρᾳ τὸ βρέφος ἐν τοσαύτῃ ὑγρότητι συνεχόμενον οὐ διαφθείρεται. Τοῦτο οὖν, φησὶν, οὐκ ἂν ἐγένετο μὴ σοῦ φιλανθρωπίᾳ διακρατοῦντος τὴν φύσιν. Εἰ γὰρ μὴ ἠλεήσας οὐκ ἂν ἐν τῇ ὑγρότητι τῆς μήτρας ἔζη τὸ βρέφος. Δι' ὅλων δὲ ὃ κατασκευάζει, ἐκεῖνό ἐστιν, ἐποίησας ἡμᾶς ἀγαθότητι, εἶτα θανάτῳ κατεδίκασας, ἀλλ' ὅμως οὐκ ἀφεῖλες τοῦ εἶναι τοὺς ἀνθρώπους, ἀλλ' ἀθανάτους τῇ διαδοχῇ κατέστησας, πλείστην περὶ ἕκαστον ἐνδειξάμενος πρόνοιαν. Καθ' ἣν ἐξ εὐτελοῦς ὑποθέσεως τῆς τῶν ἀνθρώπων γονῆς τὸ εἶναι τούτοις δεδώρηται, οὐκ ἐῶν διαφθείρεσθαι ἐν τῇ μητρῴᾳ νηδύϊ, ἀλλ' ἐκ τοῦ αὐτοῦ σπέρματος, καὶ ὀστέα ἔπηξας, καὶ μυελὸν ἔτηξας, καὶ νεῦρα διέτεινας, καὶ φλέβας ἐφύσησας, καὶ αἷμα ταύταις ἐνέχεας, καὶ σάρκας ἐμάλαξας καὶ σάρκα ἐμάλαξας καὶ δέρμα περιέτεινας, καὶ ὥσπερ ἔνδυμα περιέβαλες. Ὁ τοσαύτην οὖν φιλανθρωπίαν περὶ ἐμὲ ἐπιδειξάμενος, τοσαύτην πρόνοιαν, τοσαύτην σοφίαν περιορᾷς. Forſan

c) Vid. *Nicetæ Metropolitæ Caten. Patr. Græc. in beat. Iob. ad Cap. X, 10, p. 231, Bodleian.*

Forſan etiam attonitus obſtupeſcit, quo modo infans, tanto humore in utero circumſcriptus, non exſtinguatur; hoc autem, inquit, non fieret, niſi benevolentia erga genus humanum naturam incolumem ſervares: niſi enim tu miſericordia moverere, fœtus in uteri humiditate vivere non poſſet. Quod vero his omnibus adſtruere nititur, hoc eſt: Benignitate tua nos feciſti, morti deinde addixiſti, genus tamen univerſum non prorſus deleviſti, ſed homines ſucceſſionis viciſſitudine in mortales reddidiſti, ſingulari providentia unumquemque complexus; qua ex vili generationis materia largitus es hominibus, ut exiſterent, nec paſſus es in matris utero exſtingui, ſed ex eodem ſemine oſſa condenſaſti, medullam mollem & fluxam feciſti, nervos diſtendiſti, venas inflaſti, ſanguinem illis infudiſti, carnem emolliviſti, cuteque circumdediſti, ac quaſi indumento amiciviſti. Mene igitur negligis, qui tantam erga me benignitatem, tantam providentiam, tantamque ſapientiam, manifeſtaſti?

VI. *Tertium* eſt ſingularis providentiæ, & benignitatis in conſervando homine, in utero materno latente, & innumeris periculis obnoxio, teſtimonium. Præterquam enim, quod miraculoſa eſt embryonis conſervatio, qua nutritur, & fovetur, omnis auxilii humani prorſus expers; multa quoque huic embryoni imminent pericula, priusquam prodit in lucem. *Quartum* tandem Commentationis noſtræ argu

mentum eſt, fragilitatis & infirmitatis humanæ teſtimonium. Id ipſum *Iobus*, Deum ad miſericordiam commoturus, *commate 9* urget, dicendo: *Memento, quæſo, quod ſicut lutum feceris me, & in pulverem reduces me.* Tam fragiles & caduci corporis humani natales imbecillitatis & mortalitatis teſtes ſunt omnium certiſſimi. Quid enim, quæſo, lacte coagulato vilius, & corruptioni magis obnoxium? Quo enim firmior & ſolidior eſt materia, tanto diuturnior & nobilior eſt effectus, inde productus. Aſt hic habes elementum in formando homine admodum caducum. Eo quoque fine *Iobus* tenuem & fragilem corporis ſui ortum Deo in mentem revocat, dicendo: *Quid eſt mea virtus, ut ſuſtineam? Aut quis finis meus, ut patienter feram? Nec virtus lapidum virtus mea, nec caro mea ænea, eſt, Cap. VI, 11, 12.* Si enim ſaxa, & ferrum vetuſtate & temporis iniuria diſſolvuntur, & comminuuntur; ſi gutta lapidem non quidem vi, ſed tamen ſæpe cadendo, cavat, multo magis fragile noſtrum & mortale corpus innumeris infirmitatibus, morbis, atque corruptionibus, eſt expoſitum.

III.

III.

BIGA EPISTOLARVM MVTILARVM, A VIRIS CLARISSIMIS, BERN. PEZIO ET PHILIB. HVEBERO, OLIM EDITARVM, (*) AD HISTORIAM BENNONIS, FAMOSISSIMI ILLIVS ECCLESIAE MISSENENSIS SEC. XI. ATQVE SEQ. ANTISTITIS, PARITER, AC VNIVERSAE MARCHIAE IPSIVS COGNOMINIS, NEC NON DVCATVS BOHEMIAE, EX EODEM TEMPORE SVPPLENDAM AC EMENDANDAM, INSIGNITER CONDVCENTIVM, QVARVM MODO PRIOREM PRO VIRILI DILVCIDATVM IVIT

IO. GOTTLOB HORN.

M. Tull. Cicero Lib. I Officior. Cap. XXV.

OMNIS ANIMADVERSIO ET CASTIGATIO CONTVMELIA VACARE DEBET.

(*) *Part. prim. Codicis diplom. hiſt. epiſtolaris,* Aug. Vind. & Græc. 1729. fol. promulgati.

SERIES DICENDORVM.

I. *In ditiſſima penu chartarum publicarum, huc uſque editarum, haud pauca dantur deturpata variis modis, ac truncata, quæ hiſtoriæ colluſtrandæ utplurimum cernuntur plane inidoneæ.* II. *Prætextus, qui vulgo ab Eccardo aliisve ad colorandam iſtam corruptionem & excuſandam allegatur, parum ſatisfacit, nec eæ peræque interpretatu tam ſunt faciles, quam ille autumat.* III. *Ne tamen cunctæ & ſingulæ poſthabeantur promiſcue, aut abiiciantur, meletemata doctorum de his ſparſim exſtantia, diſſuadent, quarum & Auctor haud paucas olim ſolum in Saxonicis collegit.* IV. *Quin potius addecet boni æquique conſulere inſtitutum, uti ceterorum, ita nominatim Pezii ac Hueberi, quod talibus nos pariter noluerint carere.* V. *Spectant cumprimis eo Epiſtolæ duæ, quæ tanto digniores fuere repeti ex iis, atque prelo denuo ſubiici, quanto opimiora præ annalibus de fatis Eccleſiæ Miſſenenſis haud minus, ac Marchiæ, Ducatusque adeo Bohemici, ætate Henrici IV Imp. tradunt momenta.* VI. *Quod quaſi particulæ ſaltem ſint amplioris multo commercii literalis, in iſta cauſa producti, haud impediit Auctorem, quo minus operas ſuas iisdem conaretur applicare.* VII. *Recitata igitur ſumma prioris, ſit indicatio, qua methodo idem in meditationibus ſuis, ei aſſuendis, ſit inceſſurus.* VIII. *Literæ ipſæmet, quod vulgo dicitur, in extenſo exhibentur, cum in-*

terie-

tertectis neceſſariis quibusdam emendatiunculis & illuſtramentis. IX. Ante omnia convenit notaſſe, rationes admodum prægnantes obſtare, ne epocha anni MCVI, quam Editores illis alleverunt, cum veritate queat conſiſtere. X. Monitum hoc conducit ſimul eo, ut univerſim in diiudicandis datis, vel actis, quibus iidem Viri documenta quoque alia paſſim per Codicem pari ratione notarunt, tanto cautius procedatur. XI. Contra argumenta evidentia adſunt, quæ evincunt, vindicandas nuncupatas literas potius venire anno iam MLXXXV, & quidem ſtrictim quadranti eius primo. XII. Pontifex ſummus, qui eas concinnari iuſſit, audiit Clemens III, cuius alioqui conditionem, & ab alio eiusdem nominis differentiam, Auctor ſingulari tractatione plenius deſcribere eſt aggreſſus. XIII. Prognatus is ipſe ex familia Corregiadum, poſteaquam varias dignitates tuliſſet, A. MLXXXIV demum, nutu Henrici IV, Regis Romanorum, haud ſine ſpeciali impulſu, in Papam coronatur. XIV. Ad reliquias ergo chartaceas, quæ de geſtis eius proſtant, facit & præſens Epiſtola, licetque inde arguere, plures omnino, quæ ab ipſo ſunt profectæ, hinc illinc diſperſas in abdito adhucdum recubare. XV. Princeps deinde, cui ea transmittebatur, fuit Vratislaus Iuſtus, Dux Bohemiæ, cuius ortus & acceſſus ad regimen breviter & utcunque delineatur. XVI. Quam arcta iſte Henrico, Clementis promotori,

tori, in turbis Saxonicis tunc addictus manſerit fide, diverſa loca Chroniſtarum de anno ſolum MLXXV probant. XVII. Quibus & multo plura ab anno MLXXVI usque ad MLXXXIV accedunt, laudem eiusdem in pari cauſa non ſecus decantantia. XVIII. Gratia eius Rex ipſi urbem & Marchiam Miſſenenſem initio ſtatim præmii inſtar occupandam delegavit, quam & varie adortus eſt, ceu præter permultos Scriptores Auctor itidem alibi latius oſtendit. XIX. Quod hac ratione is Epiſcopatui ibidem, Bennonis fuga plurimum attrita, novoque ipſius proviſori, quiverit venire promachus ac defenſor, ipſe Pontifex haud dubie ſibi eſt imaginatus. XX. Ante tamen, quam hic in literis ad hoc punctum accederet, exegit etiam atque etiam a Duce denarium S. Petri, usquehac ſibi moroſe detentum, cuius proin qualitas & origo diverſa inveſtigatur penitius, largiusque deſcribitur. XXI. Quod cumprimis notandum, ad largitionem iſthanc antiquitus, excepta Alemannia, Europæ regna & provincias pleraſque cerneres adſtrictas, ſuper qua re fas fuit conſuli & contendi cum Auguſt. Steucho M. Ant. Marcellum. XXII. Quantum videlicet uterque intuitu Bohemiæ ſaltem, ſolius ſibi invicem in ſimili negotio contrarietur, locus huius, qui ad verbum affertur, clarius pandit. XXIII. Spitigneum, Vratislao fratrem, ſecundum illius mentem conſilium potuiſſe inire, regium nomen haud

haud abſimili penſione a Papa Nicolao II aucupandi, licet diuturno effectu caruerit, indicio ratiocinioque plus quam uno ſit certum. XXIV. *Vindiciis hiſce Steuchianis indiguit eo magis, quo a præſtatione Spitignei promiſſa nummus Petrinus, quem inde Clemens III reſtitui ſibi voluit, tanquam antiquior, ac a religionis nexu primum exortus, diſcriminaretur tanto lucidius.* XXV. *Incentiva aliquot ex Gregorii VII hiſtoria, quæ Vratislaum ad abrogandum illum impulerunt, quo divulſio Bohemorum a cultu Dei, in lingua Slavonica peragendo, præcipue reputatur.* XXVI. *In Problemate ſolvendo: Num per Ducem Clementi penſio eadem fuerit renovata? poſt injecta varia dubia, quæ reſponſionem morantur, affirmativa tandem ſub certa reſtrictione ſit veriſimilior.* XXVII. *Tranſiens nunc Auctor ad reſiduam Epiſtolæ partem, cumprimis cauſam dicit, quare expoſitionem materiæ de recenti antiſtite, Miſſenæ viduatæ præficiendo, tanquam primariæ, alteri, ſeu Hartwicianæ, reſervet.* XXVIII. *Prætextus interea Pontificis Maximi, ſe ex illa usquehac cum Imperatore nondum communicaſſe, (nec adeo Romæ A. MLXXXIV,) qui veniat interpretandus, proxime in his ipſis adhuc annotationibus explanabitur.* XXIX. *Imperatoris iſtius, ſeu Henrici IV, de quo & antea ſparſim eſt dictum, h. l. non niſi curſim &, ſi barbare loqui licet, remiſſive oportet fieri mentionem.* XXX. *In præ-*

præſens nimirum ſufficit, noſſe aliqualiter, quantum ipſi per triennium conſtiterit laboris & crucis, capere anno MLXXXIII *Romam ac hoſtem obſtinatiſſimum, Gregorium VII ſolio & terra eliminare.* XXXI. *Coronationem Cæſaream, quæ exhinc A.* MLXXXIV *conſequebatur, animo & penicillo, non per omnia rite diſpoſito ac concordante, delineant Scriptores.* XXXII. *Eggehardi locus apud Kornerum, huc faciens, præ ceteris hac vice viſus eſt, qui adduceretur in teſtimonium, & partim ex aliis illuſtraretur.* XXXIII. *Iam opportunæ dari queunt diverſæ rationes, quamobrem Clemens Papa, præterito adhucdum Henrico Cæſare, rem de novo Miſſenæ conſtituendo Præſule cum ſolo Vratislao voluerit agitari.* XXXIV. *Similiter ex Epiſtola Hartwiciana, propediem uberius explicanda, liqueſcit aliqualiter, quod candidatus, per illum ad allegatam eccleſiam commendatus, huic haudquaquam diſplicuerit.* XXXV. *Quod denique attinet ad ſigillationem Clementinæ, ſtriptores, qui generatim circa idem argumentum ſudarunt, formulis, de ea uſurpatis, parum luminis affundunt.* XXXVI. *Ad hæc, uti parcitas autographorum, a reliquis Papis ex hoc Seculo profectorum, ita documentorum noſtri promiſcue, enodationem ipſius nimium impediit.* XXXVII. *Vulgariter ibidem Pontificibus Maximis triga Sigillorum ab antiquo adſcribitur, circa quam tamen cautelæ aliquot obſervatu ſunt neceſſariæ.* XXXVIII. *Cle-*

Clemens ante & paulo poſt coronationem ſuam diverſo ſigno eſt uſus, cuius utriusque ſculptura externa etſi haud innotuerit, numerus tamen iſte ſolum hinc ampliari poſſe videtur. XXXIX. *Concluſiones nonnullæ probabiles, quare popoſcerit ille ex Bohemo, quo ad imitationem poſterioris reſponſo ſuo itidem annecteret evidentius, ſeu maiuſculum.*

I.

Stupenda oppido eſt abundantia Diplomatum, aliarumque reliquiarum chartacearum, quas ex Archivis, Bibliothecis, & aliunde, eruit usque hac ætas noſtra, induſtriaque eruditorum nunquam ſatis celebranda per elapſum nuper prius dimidium Seculi XVIII certatim typis evulgavit. Aſt res ipſa loquitur, reperiri has inter haud paucos adeo Codices & faſciculos, qui huiusmodi antiquitatis cimelia fruſtatim ſaltem exhibent, atque varie mutilata oſtentant, ac miſere truncata. Eo videlicet reputare licet, quando conſpicimus, deſcriptores in iis ipſis poſthabuiſſe ſæpe prorſus nomina propria perſonarum & locorum, vel quoad literas duntaxat initiales retinuiſſe eadem ac allegaſſe, in quibus tamen vertebatur cardo argumentorum, inibi contentorum, atque narratio quævis quam maxime nitebatur. Viciſſim advertas, quod omiſerint iidem indicare *titulos*, ſeu inſcriptiones & ſubſcriptiones, atque definire *data*, quæ vocantur,

&

& ſigilla, ſub colophonem adiecta, firmamentique inſtar tabulis alias potiſſimum & in ſempiternum commodatura. Adeo mos & modus iſte deturpandi & transformandi chartas publicas & privatas arriſit non ſolum aſcetis, ſimpliciori vitæ in monaſteriis deditis, quibus factum & culpa, quæ ſub facto emicare videbatur, eo facilius poterat condonari, quo magis præſtabat, aliquid literis mandare, quam perpetuo otiari; ſed etiam ipſiſmet Protonotariis, Secretariis, atque ſcribis, qui adhærebant Regum ac Principum aulis, ac in Cancellariis eorundem & dicaſteriis ad ſervitia quotidiana erant adſtricti. Inde autem haud raro evenit, ut aut pleraque, aut tamen primaria, momenta ex iis, quæ talibus documentis enuntiabantur tractata, diu multumque fixerint crucem, quid ſibi in connexione vellent, aut admodum ægre quiverit exſculpi & intelligi, quo ſingula, diligentiſſime quantumvis ſibi invicem compoſita, proprie tenderent. Quin potius quandoque Oedipo perinde ac Davo coniectoribus permanſit incognitum atque obſcurum, per quosnam, vel ubi, aut qua tempeſtate, quidque eorum fuerit agitatum, niſi res quodammodo iam antea conſtiterint ex annalibus ſynchronis, vel alio fonte, ut idcirco reliquias eiusmodi περιψήματα & ineptias potius chartarum, quam chartas, ſalutes.

II. Equidem me minime latet, quam communiter nonnulli, qui ſicilimentis iſtiusmodi

anti-

quis patrocinari per omnia haud dubitarunt, prætenderint, conſarcinatores in iis conſtipandis undique & corradendis rationem habuiſſe intentionemve: hanc nempe, ut, quoties novellis ſecretariis, vel notariis, aut aliis ſtili curialis cultoribus, obviarent caſu materiæ, vel conſulto proponerentur elaborandæ, ſeu forma Diplomatis, vel epiſtolæ, induendæ, haud deforent usquequaque præſcripta & exempla, quæ imitarentur. *Non alio vero fini*, (aſſeverat ſigillatim de *Udalrici Babebergenſis* Codice epiſtolari Vir excellentiſſimus quondam, *Io. Georgius ab Eccard*, in *Præf. Tomi II Corpor. hiſt. med. ævi pl. 4, 2,*) *collectus eſt iſte, quam ut chartarum inde epiſtolarumque formulæ haberi poſſent. Unde etiam in Diplomatibus epiſtolisque nomina propria perſonarum & locorum plerumque omiſſa ſunt, quæ tamen ab hiſtoriæ perito facile exſculpi poterunt.* Neque, quantum memini, a tali ſententia alii ex parte docti multum abludunt, qui vel ſimilis generis *formularios* ac chartularia in publicum emiſerunt, vel nuper rem diplomaticam omnem in forma artis complecti & tradere ſunt anniſi. At enim palam eſt, prætextum iſthunc, ſive exculpationem, ad demulcendum animos hominum, qui unice veritati hiſtoricæ prolatandæ in dies ſtudia ſua impendere conſueverunt, ac reſtinguendam ſitim eorum, uſui quæque maiori accommodandi, parum, vel nihil, facere. Nec ſemper aut peræque cum

vero

vero concinit, quod contendebat inprimis *Eccardus: Nomina propria perſonarum & locorum, ibi vel plane omiſſa vel ſaltem per primam literam indicata, ab hiſtoriæ perito facile exſculpi poſſe.* Quod quippe ex praxi ipſa didicerimus, occurriſſe quandoque tabulas huius farinæ, in quibus explicandis callidiſſimi etiam, ſi non omnem perdiderunt operam, a recto tamen tramite diſceſſerunt frequenter, & errorem errore cumularunt. Quapropter & nil mirum fit, *Io. Chr. Lünigium* ac *Ioannem du Mont*, qui noſtris temporibus aggreſſi ſunt documenta publica mole maiori coacervare, congeſtaque grandioribus voluminibus iunctim edere, abſtinuiſſe penitus chartis iisdem mancis, neque neceſſarias æſtimaſſe, vel adeo dignas, quas integris ſuis & non tam mutilatis aggregarent, aut interſpergerent.

III. Interim tantum abeſt, ut farragines illius commatis, vel Diplomatum & epiſtolarum ſaltem fragmenta, promiſcue ſint flocci pendenda, atque protinus & indiſcriminatim abiicienda, tametſi aliquando in iis offendantur, quæ enucleatu ſint difficillima, omnemque laborem impenſum longe fruſtrentur: ut potius ſuadeam, ipſa pariter, ac tabulas intemeratas plane & completas, omni cura ſervanda. Etenim experientia ſumus edocti, hoc, vel illud, quod videbatur nonnunquam & primo adſpectu eſſe inaniſſimum, nec ullo fructu pollere, ſæpius & præter omnem ſpem accendiſſe novum lumen circa perſo-

perſonas, vel earum res geſtas, itemque intuitu locorum, ubi ſunt illæ hoſpitatæ, ac hæ peractæ, in centum de cetero & pluribus, illæſis quavis ex parte, & non truncatis, membranis fruſtra quæſitum; ſeu, ut uno verbo exprimam, circumſtantias recluſiſſe, antehac occultas prorſus, & in tenebris ſepultas, aut non ſatis notas, *ſatiusque univerſim eſſe, habere tales laceras lacinias, quam nulla omnino monumenta & archivorum teſtimonia.* Ac ſane optandum foret ob id, ut unus alterve eruditorum, qui diverſis occupationibus non nimium diſtinetur, atque poteſt iſtiusmodi labori vacare, expergefactus accingeret ſeſe ad colligendas, quotquot ſuppetunt, eius tenoris chartas, emendatas iam ab aliis & ſuppletas, nec non adſperſis notis paſſim ex antiquitate illuſtratas, diſperſas tamen adhuc, atque pauciſſimis cognitas; aut etiam experiretur ſuasmet vires, & nova ſpecimina cumulatiori numero ederet! Diffidere enim haud licet, utilitatem inde ad hiſtoriam inculpatiorem redundaturam eſſe admodum inſignem, neque volumen, quod ex his enaſceretur, pretio, vel pondere nimium excreturum. Congeſſi & ego a permultis annis ex pluribus Auctoribus copiam haud exiguam ſimilium in Saxonicis duntaxat corruptorum atque mancorum exemplorum veterum haud ſecus atque neotericorum; quæ, ſi olim *Annales terrarum Saxonicarum hiſtorico-diplomaticos* valuiſſem ad maturitatem tantam perducere, ut diem tuliſſent, in Intro-

ductione, iisdem præmittenda, debito ordine reponi debebant, & varias rerum patriarum partes, vel particulas, in apricum dare. Id tamen adhucdum habeo, cui impenſiſſime indoleam, quod fatum iniurium ac ſpes fallax reſtiterit mihi exin diverſimode & multipliciter, quin commodaturum orbi literato inter media molimina impedierit in tantum, ut ne miſcella iſta excerpta una cum Annalibus ipſis, opere vel ſex luſtrorum & amplius, poſt tam longum interſtitium perfringerent tandem repagula, & in publicum prodirent.

IV. Quamobrem pervidebit quilibet, atque largietur, Viris Illuſtribus ac Ampliſſimis, qui præſenti ætate cenſuerunt culturæ Hiſtoriæ Germanicæ ardentius, quam olim, ac ſubſidiis copioſioribus, ſuccurrendum, non omnino grates eſſe denegandas, quod, quando & quoties occœperunt laborare inopia chartarum perfectarum, & undique conſummatarum, quas promulgarent, haud tamen interea & per vices deſtiterint communicare nobiſcum tales, quas delineavi. Connumero hoſce inter haud immerito, & in principi loco repono, *Io. Petrum a Ludewig*, nec minus allegatum prius *Eccardum*, *Io. Guil. Hoffmannum*, *Sim. Frid. Hahnium*, *Io. Burch. Menckenium*, *Val. Ferdinandum* L. B. *de Gudenus*, pluresque, quorum notitiam Lectori cupido ex Scriptoribus rei diplomaticæ noviſſimis levi opera haurire dabitur. In ſpecie neque male verti conveniet

Viris

Viris Celeberrimis, *Bern. Pezio* atque *Philib. Huebero*, illi nuper Bibliothecario, huic Archivario, inclyti Cœnobii Ordinis Benedictini in Auſtria ad Danubium flumen Mellicenſis (vulgo *Mœlck*), dum in pari cauſa deprehenduntur aggregaſſe ſe iisdem multoties & aſſimilaſſe. Quantumvis enim his, quæ eius commatis in ſolo Codice epiſtolari catervatim offenduntur, plures interſitæ videntur paleæ; ſunt tamen ſparſim, quæ manifeſtum & inſignem uſum præbent in colluſtrandis geſtis cunctæ Germaniæ.

V. Ut exempla inde probationis cauſa conquiram peregrina, & a propoſito meo abludentia, nil refert; inſtar omnium iam nunc ſolum conducat Dyas Epiſtolarum, ab ipſismet *loc. alleg.* publici iuris factarum, quas quia novi in illa ubertate, quam volumen exhibet, plerorumque & fere non univerſorum doctorum ex noſtratibus fugiſſe conſpectum, præ reliquis eo digniores duxi, ut recuderentur ſeorſim, ac aliquali elucidatione peculiariter ſtiparentur. Typum namque ipſæ præſtant, & in compendio ſat luculenter adumbrant, aut ad minimum ſuppeditant anſam diſquirendi operoſius, *in quo afflictiſſimo ſtatu verſata ſit his temporibus tum Marchia, proprie ſic nuncupata, tum Eccleſia Miſſenenſis*, ex quo, ſuborto ferali diſſidio inter regnum ac ſacerdotium, Saxonum natio tota frigidam perpetuo ſuffudit, atque *Henricum IV* Regem & Imperatorem coegit, hunc angulum æque ac vicinas regiones plus ſimplici vice ad-

oriri manu hoſtili, multiplicare Marchiones, ac Præſules immorigeros captivitate & exilio mulctare. Sane, tametſi Annales viciſſitudines funeſtas, diſtractiones & direptiones, quæ terram tunc divexarunt, haud penitus reliquerint intactas, ſigillatimque meminerint, *Vratislaum*, Ducem Bohemiæ, Principi iſti utpote contra Saxones coniunctiſſimum, eandem aliquoties impetiiſſe armis, *Clementem*que *III*, quem idem *Gregorio VII*, Pontif. Max. oppoſuerat, ultimo ſedi ipſius epiſcopali reſtituiſſe *Bennonem*, quod partes huius ſecutus eſſet, incertis prius locis diu evagatum; multo plures tamen literæ noſtræ novitates pandunt ex iſthoc ævo ac recludunt. Ubi enim ſodes, quam hic, legas, *priorem, ceu Slavum, unice viſum eſſe idoneum, qui pacaret nominatum Præſulatum, & tutaretur Felicem quendam, Bennoni aliquandiu ante ibidem reapſe ſurrogatum.* Porro certare auſim multo aere, nullibi alias eſſe annotatum, quod *Hartwicus Herſfeldenſis, quem Cæſar loco Hartwici Franci, in fugam ſimiliter dati, præfecerat cætui Magdeburgenſi, circa idem negotium iuris Metropolitani, quod ſuper ingenuam ab origine eccleſiam iſtam anteceſſores ad ſe rapuerant, actum prodidiſſe plus quam unum*; & ſi qua ſunt alia. Ecquis ſcilicet vel ſomno conciperet, momenta hæc tam gravia, pluraque facta publica, iisdem inſeparabiliter connexa, præ Hiſtoricis illius ætatis celari adeo prorſus quiviſſe, ut gloria manifeſtandi ea ſeræ poſteritati pari reiectitiarum exteriori facie ſche-

ſchedarum unice reſervata maneret, ceu tamen hic contemplamur eveniſſe.

VI. Verum enim vero moveat quiſpiam querelas in contrarium, & nihilo ſecius lamentetur, *exciere in priori inſuper documento Clementem Papam alia ſcripta & præcepta, quæ iam ante in pari cauſa non tantum, verum etiam ob neglectam a longo tempore ſolutionem denarii Petrini, miſerit ad Vratislaum, eaque ex parte adhuc poſtremo per nuntium peculiarem, quem Princeps in curia Romana proxime habuerit. Hæc autem*, pergat, *una cum reſponſo Bohemico, ſi quod conſecutum eſt, hactenus fruſtra quæri pariter, ac deinde univerſum commercium literale, quod, teſte poſteriori inter Ducem ac hinc Regem, Hartwicumque, antiſtitem Magdeburgenſem, æque interceſſit, illiusque præſertim iterum, ultimam ad hunc, ut ita loquar, replicam. Eam ipſam igitur iacturam*, adhuc inſtet, *utrinque cui accidere ingratiorem tanto & moleſtiorem, quod præſumendum ſit, ſcripturas huiusmodi cunctas & ſingulas, ſi nactu eſſent poſſibiles, multo plus lucis rei omni fore allaturas, ſive nexus negotii Miſſenenſis, qui invicem proprie fluxerint, rationesque ipſius tam promoventes, tum remorantes, nec non ex quavis parte eventus inſecutos; convenientiori ordine aperturas.* Reſpondeo, extra controverſiam ſitum eſſe, quod ſtudiis & lucubrationibus noſtris, quas ambabus Epiſtolis impendimus, hinc utique maius levamentum acceſſurum fuiſſet & acceptius adiumen-

 men-

mentum; ſi, ut barbare efferam, tota *correſpondentia* alicubi locorum potuiſſet exquiri, cum contra, deſtitui ea, prohibeamur frequentius, & per cunctas ferme plagulas impediamur, ne, prout lex hiſtoriæ ſanioris & inconvulſæ dictitat, narrationem noſtram proſequamur recto tramite, ac in decenti cohærentia expediamus. Multo potius identidem opus vult eſſe, ut interrumpamus eam obiectis ſcrupulis variis, ſeu greſſibus dubiis incedamus; ac quæſtiones nobismet formemus, utplurimum indiſſolubiles, aut coniecturis inſufficientibus indulgeamus. Atqui contentos nos eſſe oportet iſtis ſuperantibus in præſens, & ex naufragio ſervatis, tabulis, donec plures fortuito detegantur, memoresque, ſatius fore, ſi poſſideamus aliquas, quam nullas.

VII. Monitiones haſce atque cautelas duxi, Lector bone æqueque, conſulto prælibandas, ne quis ex me plura requirat officia, quam permittit, vel imponit, ac ſuggerit, baſis, ſeu fundamentum, quod diſcurſui meo ſubſterno. Euge! accingamur nunc proinde abſque ulteriori ambage ad eruendum ſolicitius & contuendum propius robora atque momenta potiora Epiſtolæ prioris, veluti eam deſcripſimus ex laudatiſſimorum *Pezii* & *Hueberi* Codice, in fronte libelli ſtatim appellato, *Part. I col. 286 ſub num. LXXII*, ſi prius adhuc indicaverimus tenorem ipſius & pondus in ſumma clarius nonnihil & explicatius, quam aſſoliti ſunt Editores in *rubrica* ſua: *C. (Clementem III, Pont. Rom.) nimirum male habet, quod W. (Wratiſlaus) Princeps*

(Dux

(Dux primum, hinc Rex,) Boemiorum ſe hactenus non ea, qua decebat, devotione erga ipſum geſſerit, ſed, toties licet admonitus, qua tenebatur B. Petro, oblationem tanto tempore detinuerit. Quare adhuc charitative, & ſub obtentu gratiæ Principis illius Apoſtolorum, eundem hortatur, ut nunc in dirigendo eandem ad Sedem Papalem ſe eo exhibeat promtiorem. Præterea Bohemum, velut antea ſæpe, obnixe rogat, quo ſuper filio quodam ipſius, ei ſatis noto, (Editores, ducti haud dubie Epiſtola altera, ſeu *Hartwiciana*, ad marginem nuncupant *Felicem,) aſſenſum præbeat tandem, & ſuæ conceſſionis evidens ſignum in novo Epiſcopi* (Editores in margine addunt: *Miſnenſi,) conſtituendo mittere dignetur.* Ceterum circa conſiderationem eius procedemus quidem ita, ut, dum ipſam ad verbum huc typis denuo recolimus, meditationes deſtinatas, certis paragraphis, ceu iam præfamen, diſtinctas, eidem ſtatim & in continenti, quo maxime quælibet ſpectat, ſubiiciamus. Methodum namque talem adæquatam magis aptioremque æſtimo expendendis & retinendis memoria expeditius ac ſine remora notabilibus, quæ pedetentim adſperguntur, quam ſi demum ad colophonem textus ſublegerentur promiſcue, & in non interrupta ſerie annecterentur.

VIII. Succedat nunc denique documentum ipſum & cum inſcriptione, & notatiunculis, abs Editoribus non duntaxat ad latus, ſed & per nos in medio textu, adiectis partim, partim intercalatis:

Clementis III Antipapæ Epiſtola ad Wratizlaum, primum Ducem, poſtea Regem Bohemiæ. Hortatur ad ſolvendam Sedi Rom. oblationem, & ad cuiusdam ad Epiſcopatum promotionem. (*) (§. IX) (X) (XI.)

IX. Antequam accedamus ad ipſasmet literas, resque ac perſonas, iis contentas, ponderemus intimius, neceſſum omnino fuerit, ut animum noſtrum oſtendamus ſuper epocha, quam, loco *dati* in fine deficientis, confeſtim ſub principium & ad latus iis adſcripſere noſtri. Quo ſcilicet nil reticeamus, annus MCVI, vel quoque unus ex proxime præcedentibus, uti quidem iidem credidere, neutiquam poterit tolerari, aut eatenus locum habere. Etenim oppetierat mortem *Vratislaus*, Bohemiæ induperator, ad quem eæ dirigebantur, iamiam A. MXCII, quem & ipſe *Clemens*, P. M. ceu auctor earum, excepit A. MCI. Et qua, quæſo, ratione illo demum temporis articulo Papa, adducto ad conſenſum Bohemo, quiviſſet ſurrogationem *Felicis*, æmuli *Bennonis*, antiſtitis fugitivi, in ſolio Miſſenenſi, ceu receperat, Imperatori *Henrico IV* commendare, imperii utpote plane orbo, ad exiliumque redacto, ac Leodii in ſumma miſeria neci ſuccumbenti? Videlicet palam eſt, nullum, præterquam hunc, hoc loco venire ſubintelligendum, cum alias notum ſit, filium degenerem, *Henricum V* Regem, qui in culpa erat, Cæſaream

(*) *Circa A. 1106.*

ream epocham non niſi ab anno MCXI primum occepiſſe numerare. Quid? quod & tandem *Benno* exul ſedi priſtinæ, cuius recuperatio modo per *Felicem* iſtum ipſi, tanquam nuper communione omni fidelium excluſo, dubia reddebatur, iam dudum ante A. MCVI fuerat reſtitutus, atque cœtum derelictum per plures iterum annos in pace rexerat. Quodſi hæc ſingula & cuncta Cl. Editores trutinaſſent impenſius, nec mentem in æra certa Epiſtolæ decernenda præcipitaſſent, haud ambigo, eosdem eidem ſinceriorem annum vice dati fuiſſe præfixuros.

X. Quamobrem neque ſuperfluum quid egerimus, vel inconcinnum, ſi Lectores generatim commonefaciamus, ut, quia ipſi in Codice ſuo paſſim alia quoque monumenta eius farinæ advertuntur reduxiſſe ad certum tempus, & æque, ac hic in excitato exemplo, a vero tramite facile potuerunt aberrare, iidem in his allegandis tanto circumſpectius diſcant progredi, nec annexis epochis cœcam fidem adhibeant, verum ſedulo examinent, utrum regulas ac cautiones, circa id negotium ſupponendas, applicarint ubique rite, aut rationes cuiusque chartæ domeſticas, ſeu a perſonis, locis, aliisque hiſtoricis circumſtantiis, inibi occurrentibus, pronius arceſſendas, invicem compararint. Quot enim, quantæve, obſecro, diſconvenientiæ alioqui non emerſuræ inde, & falſitates forent admittendæ, ſi hoc ſtudium neglectim liceret habere, nec præſertim

prius aera firmo ſtaret talo. Proditur id certe ſat clare uno hoc ſpecimine, quod hactenus in Epiſtola *Clementina* dedimus, ſi piguiſſet annum, a Celeberrimo *Pezio* & Sodali ipſi ſtatutum, revocare ad limam aliquanto laborioſius, ac dilucidum reddere, quod computus eorum prorſus ſit reiectanea, nec calculum mereatur. Quin imo, ut nil celem, arbitror, re ſic comparata præſtiturum fuiſſe, ſi ii ipſi ad exemplum reliquorum Virorum, qui ſimilia documenta Collectionibus ſuis diplomaticis paſſim in copia immiſcuerunt, nobis ſupra *§. IV* cum laude nuncupatorum, abſtinuiſſent penitus ab eiusmodi nudis, ſterilibus, nec probatis, indicaminibus chronologicis, quam ut aliis doctis præcocibus, immaturis, & præfeſtinatis, coniectationibus ſuis tantum moleſtiæ faceſſerent. Ille profecto, cuius refert, talia noſſe, ex nodis, qui epochas exploratu difficiles reddunt, multo citius extricaverit ſeſe, ſi ipſi dabitur proprio marte rimari circa tabulas iſtiusmodi dubias ac mutilatas annum, ſub quo ſecuriſſime omnium collocentur, quam cum incubuerit ſubmittere examini alienas & erroneas prius ſententias, atque harum inconſtantiam & vanitatem in apricum ponere. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ: regredior ad exemplum ſpeciale, quod ſub incudem vocare cœpi.

XI. Enimvero, cum usquehac, ut voce Philoſophorum utar, *remotive* ſaltem in puncto eo inceſſerimus, digitoque quaſi indice commonſtraverimus anni MCVI inſtabilitatem, competen-

petet nunc utique, ut firmiorem & ſaniorem etiam ſubſtituamus, ſeu *poſitive* enunciemus, qua vere tempeſtate *Clemens* Pontifex Epiſtolam dictam ex Cancellaria ſua iuſſerit prodire. Conſtituto enim hoc ipſo recte, & fulcimentis decentibus roborato, reſidua belliſſime cohærebunt ſibi, nec habebit impoſtorum ullus, quod ſinceritati eorum, quæ de cetero ipſa promit, vel in minimo oggerere audeat, aut in quo diffidentiam collocet. Fateor idcirco, & cum venia Virorum, qui hoc ſcientiarum elegantiorum genus ex aſſe callere noſcuntur, aperte profiteor, defectum dati in *Clementina* noſtra haud felicius exſartum, ac difficultatem omnem atque confuſionem, quæ inde alias poſſet enaſci, facilius evitatum iri, quam ſi ſupponatur, quod Papa iſte A. MLXXXIV primum Romæ fuerit introductus, ſolioque impoſitus, *Vratislaus* autem, Bohemorum Dux, accepto ab Imperatore *Henrico IV* diademate regali, A. MLXXXVI demum Pragæ inunctus, velut prius proxime, poſterius autem olim in literis *Hartwicianis* planius reddemus. Hinc namque fluit ultro & conſequitur, applicandam venire Epiſtolam omnium tutiſſime medio inter utrumque anno MLXXXV, & adeo plus, quam quatuor luſtra, citius cancellos perrupiſſe, quam opinio Editorum ferebat. Idque inprimis, quod ibi illi hic adhuc ſolum audiat *glorioſus Princeps* (nec Rex) *Boemiorum*, & in abſtracto elogiis *prudentiæ, dilectionis, celſitudinis, dignitatisque*, absque addi-

C. Epiſcopus, ſervus ſervorum Dei, (*) (XII) (XIII) (XIV)

additamento epitheti, ſeu characteris *regii*, honoretur. Ulterius ſi cogites addasque, quod Sanctiſſimus Pater ipſe in ea prætexit, *ſe cum Imperatore celebrato de re Miſſenenſi nondum quidquam egiſſe*, emergit hinc omnino præter ſpem nova concluſio, ſtrictiorque periodus, quod puta eandem ſub primam anni allegati partem, & ante iam, quam ad Concilium *Moguntinenſe* in Paſchate inſtituendum delegaret nuntios ſuos, Duci transmiſerit. Tunc demum enim haud dubium eſt, quin ab his eidem illud negotium ſucceſſionis ad conſultandum & decidendum fuerit propoſitum, libereque relictum, an *Felicem* lituo decorari digniorem præ aliis exiſtimaret, quia Synodus, ibidem congregata, *Bennonem* eo ipſo temporis articulo etiam publice & ſolenniter reprobavit. Verum de hac circumſtantia quoque infra §. *XXXIII* alibique aliqua, eaque clariora, recurrent adhucdum expromenda.

XII. Sublata igitur aera erronea, rectiorique ſubdita, ad textum documenti ipſum iamiam licebit inoffenſiori pede procedere, nec hæſitare amplius decebit, aut *Pezio*, atque conſorti, ideo dicam ſcribere, quod per literam maiuſculam & initialem *C.* ſtatim in *rubrica* neminem alium indigitari ſunt rati, quam *Clemen-*

tem

(*) Ex Biblioth. S. *Emer*. Ratisbon.

tem III. Quin imo meretur nomen huius tanto diligentius annotari, quanto rarius in Catalogis ipſismet Pontificum Romanorum recentiſſimis æque ac vetuſtioribus pleriſque peculiariter inſertus, vel adſcriptus, reperitur, aut, ſi ſecus factum deprehendimus, ab alio tamen homonymo, qui ſub eodem numero ibidem comparet, ætate *Friderici I*, atque *Henrici VI*, Impp. ab anno MCLXXXVIII ad MCXCI usque pedum Papale tenuit, haud ſatis curate diſcriminentur. Communius vero illius tum generatim ab annalium ſcriptoribus, tum à biographis ſigillatim *Gregorii VII* & ſequacium, ex odio lethali erga *Henricum* promotorem obiter ſaltem & in tranſitu mentio inſpergitur, tanquam *Antipapæ intruſi & infauſtiſſimi hæreſiarchæ.* Adeo me id movit, ut, cum noſſem, ipſi nondum præconem ſpecialem, ceu quidem ceteris ſui ſimilibus, obtigiſſe, nuper aggreſſus ſim delineare ſeorſim in *Typô brevi* fata potiora eiusdem & geſta, propediem, ſi Numen annuerit ſanctum, nec id Collectori diſplicuerit, *Miſcellaneis* hiſce itidem admiſcendo. Quare nec Lector benevolus, credo, indignabitur mihi, ſi hoc loco coarctem diſcurſum, ac vel tribus duntaxat enuntiem, *quis ortu fuerit ille, & qua ratione pedetentim ad faſtigium tantum adſcenderit.*

XIII. Scias ſcilicet ante omnia, velim, noſtrum, ubi proſatus nobili gente de *Corregio*, ſeu *Corrigia*, *Parmæ* adſpexerat lucem, & *Guiberti*, vel *Wichberti*, voce prænotatus, nondum

ex

ex ephebis exceſſerat, addixiſſe ſe ordini Clericorum, ac hinc tempeſtive ad nodum ad curiam *Henricianam* delatum eſſe. Nec detrectamus aſſenſum ei adhibere, quod, velut vulgo fertur, idem ibi quoque *Cancellarii* partibus potuerit aliquandiu fungi; ſed tamen cum quadam reſtrictione, & ut *Bernardo a Mallinkrot Tr. de Archicanc. S. R. I. & Cancell. Imp. aulæ pag. 319* edit. *Wenck.* ac aſſeclis in adverſum ſtatuas, ipſum *non niſi res Italicas* procuraſſe, ſiquidem negotiorum Germanicorum expeditio iſta tempeſtate *Friderico*, nato Comiti Wettinenſi, indeque Epiſcopo Monaſterienſi, nunquam non incubuit. Præſulatum poſtmodum in eccleſia patria nactus, tanta fide & firmitate adhæſit ulterius Sereniſſimo nutritio ſuo, ut promereret brevi etiam ſalutari Archiepiſcopus *Ravennatenſis*, nec multum curaret, quod, ex quo ſimultates inter iſtum atque *Gregorium VII* Papam excreviſſent ad ἀκμὴν, in bellaque manifeſta erupiſſent, ab hoc cum hero Principe & reliquis regni paraſtatis iterum iterumque anathematis telo feriretur. Tandem etiam eo devenit, ut, Roma capta, *Gregorio*que ſolo deturbato, *Guibertus*, ab anno iam MLXXIX, ad vices eius ſubeundas aliquoties deſtinatus, A. MLXXXIV Pontificatui Maximo ſufficeretur reapſe, ac, *Clementis* nota inſignitus, ſolenniter introduceretur. Accidit conſecratio talis ipſius & feſtiva *inthronizatio* feſto Palmarum, obſtetricias manus porrigentibus præſertim tribus

præſu-

præſulibus indigenis, in præſentia plurimorum aliorum quoque exterorum. Multi ſunt in enarrando hocce evectionis actu conditores annalium, ſtilo licet diſcrepante, prout ſuperſtitio, aut genius cuiusque privatus, vel etiam amor partium, tulit, ita ut quibusdam viſa ſit res maxime neceſſaria & ſalutaris, aliis contra ultra modum noxia, & complurium ſchiſmatum genitrix. Illuc faciunt nominatim *Leo Oſtienſis*, *Otto Friſingenſis*, & *Walramus Nuenburgenſis*; huc *Bertholdus Conſtantienſis*, *Helmoldus Boſovienſis*, e. ſ. p. Quicquid ſit, id certum eſt, Cæſarem circa hanc violentam mutationem innocuam foviſſe intentionem, nec niſi, quia alia ratione vetabatur, iura maieſtatica ſua in pacando & reparando ſtatu Eccleſiæ & Reipubl. Rom. German. vindicare ſategiſſe, quanquam ex culpa factionis *Mathildinæ*, & ipſiusmet filii natu maioris, *Conradi*, ſumma mox iterum imis in Italia miſcentis, cauſa poſthac multo aliter ceciderit, quam is ſpe conceperat.

XIV. Eodem & principaliter tetenderunt ſurrogati noviter Pontificis acta & geſta; quamdiu in poteſtate ſtetit *Henrici*, tutandi ipſum in ſede, & ab iniquis adverſariorum moliminibus ulciſcendi, ceu ſaltem teſtantur reliquiæ ſcriptionum ſuarum & ordinationum, quam paucæ alioqui harum numero proſtant, aut integritati ſuæ relictæ, in vulgus exierunt, quarum in *Typo*, ſupra allegato, in poſterum ulteriorem mentionem feciſſe, omnino noſtra intererit. Inter has igitur

W. glorioſo Principi Boemiorum, (XV) — (XIX.)

tur etiam locum haud infimum ſibi depoſcit *Epiſtola*, quam in præſens colluſtratum imus; quandoquidem inde, uti ex ceteris documentis, ad remotiores Principes & Epiſcopos directis, colligo irrefragabiliter & ſubſumo, quod, ſi *Clementi* fuit integrum, occupari circa Eccleſiam *Miſſenenſem*, orbam hactenus præſide, & procella non una miſere vaſtatam, eius tum commendare recentem antiſtitem, tum ob turbas inteſtinas adiungere protectorem ex vicinia, atque in gratia Imperatoris hærentem Ducem. Quantum non putas valuiſſe eundem primitus auctoritate in propinquioribus orbis Teutonici non ſolum, ſed adeo ipſius Heſperi, territoriis, emendandi corrupta, & peſſundata inſtaurandi, ubicunque demum bullæ ipſius & præcepta, eius gratia confecta, iaceant recondita in hunc usque diem, aut cum ſqualore & pulvere certent.

XV. Sufficiant, quæ præliminariter & in compendio quaſi effatus ſum de *Clemente*, illo *Gregorii VII*, & ſucceſſorum eius, generoſo ad tempus antagoniſta & frænatore. Pedem nunc proferamus ad Principem, cui literæ Papales fuerunt deſtinatæ. Quanquam videlicet nomen huius, tam ante iam in præfamine, quam ſub auſpicium ipſius tractationis, aperuerimus ſæpius, ubi partim generaliter de earum utilitate, partim genuina epocha, eramus ſolliciti; ex re tamen

tamen noſtra fuerit, ut hic denuo, tanquam in proprio loco, in eundem oculum mentemque figamus. Accredere ergo cum Clariſſ. Promulgatoribus adhucdum tuto licebit, per Principem iſtum Boemiorum, litera maiori *W.* tantum ſignatum; neminem expeditius commodiusque venire intelligendum; quam *Wratislaum*, Hiſtoricis cognomen *Iuſti* vulgo adeptum. Deſcenderat is ex ſtemmate *Przemislaidum* indigenarum, patre *Bretislaö I* Duce, qui nationi ſuæ *Achilles Bohemicus* audit, & matre *Juditha*, *Henrico*, Marchione Suinfurtino, prognata. Sublato illo A. MLV ex medio, poſteaquam filius natu grandior, *Spitigneus*, acceſſiſſet ad Ducatus gubernationem, ipſum quidem perſonæ & actionum fratris dicti *Wratislai* primum tantum cepit odium, ut ex Moravia fugam capeſſere eum cogeret Hungariam verſus. At hic tamen, intercedente *Andrea* Rege, cuius filiam ſibi interea deſponſandam curarat, poſt aliquod tempus illi eſt reconciliatus, ac, cum eundem mors mox A. MLXI itidem ſuſtuliſſet, tanto liberius regnare cœpit. Actum agerem, ſi de huius *Vratislai* fatis, exinde conſecutis, bellisque domeſticis, triplici itemque connubio, & liberis utriusque ſexus, inde progenitis, piis porro fundationibus, aliisve operibus, vel ad eccleſiam, vel ad politiam, ſpectantibus, uberiorem vellem inſtituere ſermonem, ſiquidem hæc quævis & ſingula *Coſmas* Pragenſis, *Neplacha*, Auctor Chro-

nici Bohemici *Menckenianus*, *Dubravius* præterea, & ceteri, qui ipſos exceperunt, ſi non exhauſere, ſufficienter tamen deſcripta dederunt. Id vero hic præcipue & ferme ſolum ad me pertinet, ut patefaciam, qualiter ſe habuerit nexus inter Principem huncce ac Regem Romanorum, hincque Imperatorem *Henricum IV*, in atrociſſimis tempeſtatibus iſtius ævi, ac cruentiſſimis tumultibus, quibus omnis Germania, ac præſertim Saxonia, oppleta & commota, conflictabatur tam diu & contremiſcebat, ut *Clementem* Papam cupido inceſſerit, eo confidentius cum ipſo de cauſa viduatæ, ac per novum antiſtitem conſolandæ, Eccleſiæ *Miſſenenſis* tractandi.

XVI. Verum enim vero digna memoratu ante omnia & in genere circa illud negotium æſtimo verba, quæ Vir. Ill. *Io. Burch. Menckenius*, cum olim aggrederetur contendere Chronicon *Magdeburgenſe*, apud *Meibomium* typis excuſum, cum Codice MS. Dreſdenſi, offendit poſteriori loco de *Henrico* appellato conſignata, & illic cenſuit ad *pag. 299*, poſt dictionem: *male læta mente tranſivit*, ſupplementi inſtar merito inſerenda. Ita enim hic præterea legitur: *Et ibi (Hartisburgi* ſcilicet, in confiniis Thuringiæ,) *omnes Principes, quantum potuit, de diverſis mundi partibus ſibi adſtringere contra Saxones conabatur, ſed fere omnibus præter Bohemos fraudatus, peſſimum, quod bene ſciebat;*

bat, conſilium invenit, ut Saxoniam divideret. Videantur ipſæ Collationes *Tom. III Script. Germ. Sax. col. 364*, nec pigeat inſimul conferre *Brunonem* in *Hiſt. bell. Sax.* apud *Freherum col. 187* edit. *Struv.*, qui quippe in argumento hoc enarrando ſe verboſiorem multo & largiorem exhibet, ut Commentatoris quaſi vicem in eum locum præſtet. Ego, quo gratiori adhuc luce coruſcet, mei modo officii duco, ire per exempla ſpecialiora, ut ſe mihi, percurrenti ocyus eundem Hiſtoricum, aliosque veteres Annales, paſſim obtulere diſperſa, & commonſtrare, in quibus expeditionibus annuatim virtus & animoſitas *Vratislai* Monarchæ confœderato ſuccurrerit armis ſuis ac copiis. Specimen nempe primum fidei & conſtantiæ ediiſſe erga *Henricum* Slavum hactenus lego, ubi anno MLXXV Saxonum primores acceperunt abs eo prope Unſtrutam cladem inſignem. Memoriam auxilii, per Ducem præſtiti, præter alios conſervavit quoque Anonymus *Saxo* in *Hiſtoria Imperatorum*, eidem *Menckenio Tom. alleg.* publici iuris factus, *col. 9 ſeq.*, dum hunc in modum commentatus eſt: *Rex igitur cum exercitu valido contra Saxones pergebat, & in comitatu ſuo Boemos habuit. Exercitus vero Saxonum in manu robuſta illi occurrit. Convenerunt itaque iuxta flumen, quod Unſtrote dicitur, ibique graviſſimum factum eſt prælium, &, multis hinc inde cadentibus, Rex glorioſam*

obtinuit triumphum. Quod eumprimis notandum, eodem teſte ſtetit & tunc *Rudolphus*, Dux Suevorum, ex parte victoris intrepide, qui mox, inſtigante Papa *Gregorio VII*, contra eundem in æmulum eſt delectus.

XVII. Hinc, cum anno ſequente MLXXVI *Henricus* indixiſſet Goslariæ conventum, *ut de iis, qui nuper in deditionem venerant, communi conſilio deliberaretur*, narrant iterum *Lambertus Schafnaburgenſis* ac *Bruno* Saxo, *præter Ducem Boemicum paucos admodum comparuiſſe.* Viciſſim *Bertholdus Conſtantienſis* aſſeverat ad A. MLXXVII, *Rudolpho, ante nuncupato, vix prope Forcheimum in Regem creato, cum ad caſtellum quoddam obſidendum perrexiſſet, occurriſſe ex improviſo Henricum* cum maxima multitudine Bohemorum & Baioariorum, *eumque fugam arripere compuliſſe.* Amplius ex Chronographo *Saxone* & *Conrado Urſpergenſi* ad A. MLXXIX liquet, *adſtitiſſe denuo Wratislaum Henrico ad latus; dum Saxones, Anti-Cæſarem ſuum comitatos, penes villam Thuringiæ* Fladecheim *fudit; atque ſpatham Rudolphinam inter reliquas manubias ſecum retuliſſe. Inſuper interfuit Dux cum potenti manu horribili illi prælio, ad Alſteram, ſeu Elyſtram, fluvium haud procul Miſſena, vel Mælſena, in confinio Merſeburgi, habito, quo Saxones quidem ſuperiores ſunt facti, at Rudolpho*

dolpho Suevo tamen cum dextra, qua iuramentum fidelitatis, Regi legitimo præſtitum, violarat, vitam amittente. Meminere huius cladis ex antiquis quamplurimi, ceu tantum ex *Io. Frid. Pfeffingeri Comment. ad Vitriar. T. I p. 544.* ac *Io. Sam. Strauſſii Poſitionibus de Rudolfo iſthoc memorato ſingularibus, Halæ A. 1728* recuſis, patet, quibus, in gloriam præſtitarum a Bohemo ſuppetiarum eo ampliorem, merito adhuc addideris Annaliſtam *Saxonem*, & Monachum *Pegavienſem* in *Vita Wiperti, Comitis Groicenſis*, apud *Hoffmannum.* Plura ut conquiram eius cauſa, & huc in medium conferam, teſtimonia, nil opus reor, præcipue quod ex poſterius allegato aſceta Anonymo fuſe conſtet, *adiunxiſſe exhinc Ducem Henrico abituro in Italiam, ac Gregorium Papam, animoſiſſimum hoſtem, debellaturo una cum Wiperto iſto, genero poſtmodum ſuo, Borziwoium, propriam prolem, in adiumentum, quorum uterque & ab anno MLXXXI ad MLXXXIV usque in contubernio ipſius intrepide permanſit individuus comes, nec, niſi exantlata inauguratione Romana, honeſte dimiſſus eſt.*

XVIII. Quid proinde eſt mirum, quod *Henricus* ſtatim ſub principium coniunctionis mutuæ auxilia, abs *Vratislao* tam multipliciter ferenda, veritus ſit excipere gratuito, vel dimittere abſque remuneratione. Uti enim ex Anna-

liſta *Saxone* & *Brunone* Merſeburgenſi conſpicitur, ille iam A. MLXXIV huic inter ceteras pollicitationes & beneficia, reapſe tradita, etiam *ſpem fecerat, Miſnam civitatem cum omnibus bonis, ad eam pertinentibus, nanciſcendi ideo, ut ſibi adiutor contra Saxones veniret.* Sic & *Lambertus Schafnaburgenſis* teſtis adſtat, *Dedone Principe, ex Buzicia gente, provinciæ, usquehac domino, A. MLXXV morte extincto, eandem ipſi maritum eius in præmium exactæ militiæ, ſeu,* quemadmodum ſub ſequenti anno loqui amat, *ſpectatæ in arduis fidei, actu dediſſe, tametſi Adela uxor filium Henricum, cui hæreditaria ſucceſſio in ea de iure debebatur, paulo ante Regi in haud amplius temerandæ fidelitatis ſignum obſidem transmiſiſſet.* Unde nec feriatus eſt Dux, quo regionem redigeret in poteſtatem, *fecitque eo una cum genero exin ſuo, Wiperto, Comite Groicenſi, crebras invaſiones, exſtruxit item caſtella ibidem, aut iam ante excitata reſtauravit, & præſidiis firmiora reddidit, nec abſterreri ſeſe eſt paſſus, vel macerari, quod modo ab Ecberto, Marchione Saxonico, modo ipſis primoribus populi inhabitantis, exterminaretur terra iterum ac fugaretur. Lambertum*, qui in enarrandis hiſce rebus cum Continuatore ſuo, *Nicolao de Sygben*, præ reliquis alias æſtimatur præcipuus, non eſt, ut ad verbum exſcribam, ſiquidem recordor, memet loca ipſius pleraque iam

antehac prælibaſſe, & hallucinationes, quas circa ea interpretanda commiſerunt neoterici quidam, *Io. Georgius ab Eccard* puta, *Iac. Car. Speneruſ*, *Io. Chriſtophorus Harenberg*, alii, indicaſſe in aliis lucubrationibus meis, cum Deo itidem aliquando edendis. Verum & dudum tot egregii Viri, *Conr. Sam. Schurzfleiſchius* nominatim, *Bohusl. Balbinus*, & multo magis *Chr. Gottl. Schwarzius*, *Burc. Gotth. Struvius*, *Io. Fridericus Pfeffingerus*, nec non *Chr. Schœttgenius*, lati ad eam materiem, eundem perinde ac *Coſmam* Pragenſem, Biographum *Wiperti* Comitis *Hoffmannianum*, *Albertum* Stadenſem, cet. excerpſerunt gnaviter, & in uſum communem converterunt, memores triti iſtius *Martialis* Poetæ:

Multum, crede mihi, refert, a fonte bibatur,
Qui fluit, an pigro quæ ſtupet unda lacu.

Ut eo facilius hoc in loco iſta opera ſuperſedere queam.

XIX. Anne ergo, ſodes, putas, *Vratislaæ* in turbis iſtis acerrimis, ubi in transverſum ibant cuncta, & in ancipiti verſabatur quam maxime, quis demum vere foret Marchiæ *Miſſenenſis* dominus, opportuniorem quiviſſe ſuppeditari anſam inſtaurandi ſortem *epiſcopii eius* inclinatam valde & humiliatam, quam dicta aſſignatione Cæſarea? Immo vero fateri oportet, nullum præſentius exſtitiſſe remedium

medium avertendi ab ipſo perniciem & deſolationem, quam *Benno* ſtudio tam pertinaci in *Gregorium VII*, P. M. & iterata inſpectionis ſuæ deſertione, minari & conſciſcere eidem videbatur, niſi ab *Ecberto*, Marchione, aliisque Saxonibus, toties fuiſſet præpeditus. Quare nec vane ſuſpicandum eſt, quod *Clemens* Antipapa, ut primum de cataſtrophe illa, & facta terræ traditione, audiwit, firmam imbiberit perſuaſionem, hunc Ducem unum & ſolum eſſe futurum, qui affectis & attritis rebus Eccleſiæ iſtius ſubventaret potens opitulator. Alioqui vix ac ne vix quidem credas, ipſius fidem ſollicitaturum fuiſſe tam fidenter, literisque compellaturum, quo novellum præſulatus candidatum ac competitorem ſibi haberet cumprimis commendatum. Atqui ſufficiant hac vice, quæ de Principe iſthoc *Bohemo* prolixius nonnihil iuvit hactenus proferre. Reſidua, quæ de geſtis eius huo amplius annotari conveniunt quadantenus, ſeu cognationem quandam ſimiliter cum tractatione noſtra alere conſpiciuntur, colluſtrationi alterius Epiſtolæ, ſive *Hartwicianæ*, ad eundem haud incongruenter reſervo. Ut ne urgeam, quod alias poſſemus coargui, nos cancellos, quos ſubitariis hiſce Obſervationibus noſtris ſtatim ſub initium præfiximus, tranſiluiſſe temere, aut timendum fore, ne tandem aſſuendi ceteras ſpatio deſtituamur, ſi illis unice vellemus inhærere.

AC

ac dilectiſſimo filio, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

Tuam, dilectiſſime fili, prudentiam credimus noſſe, quantis dolis, quantis fraudibus, adverſarius noſter diabolus humanum genus exagitet, quantis verſutiis eam, quam inter angelos & inter Deum & primum hominem ſeminavit, diſcordiam cottidie inter Chriſtianos ſeminare laboret. Ut enim tibi veritatem fateamur, plurima iam ſæpius nobis de te ſunt relata, quæ adverſum dilectionem tuam animum noſtrum, quod Deus avertat, incitarent. Sed ipſe cordium inſpector eſt teſtis, nolle nos ſuper tua dignitate aliud, quam deceat, vel credere, vel audire, & quod in omnibus te & deſideravimus, & deſideramus, proſperari: tuus tantum animus, unde dolemus, unde ingemiſcimus, non ea ſe erga nos caritate, ea, qua deceret, devotione, habere videtur, cum neſcimus, quo noſtro peccato, qua noſtra ergu tuam dilectionem offenſione, (*) debitam (**) beati Petri contra omnium prædeceſſorum noſtrorum religioſiſſimam inſtitutionem & exhibitionem tanto tempore detinueritis, (***) & multotiens inde a nobis paterna affectione commonitus, vel nos, vel noſtra mandata,

 parvi

(*) Inſere, ſis, melioris intelligentiæ cauſa: *promeruerimus, ut*

(**) Inſeratur: *Oblationem*; ſicut & infra recurrit.

(***) Lege potius: *Detinueris.*

parvi pendens prorſus neglexeris. Sed talia tibi forſan ſunt relata. (*) *Eſt enim hodie terra perverſis delatoribus plena, quæ* (**) *tuæ menti ſiniſtram, ut videtur, de nobis iniecere ſuſpicionem, & falſitati credulus tam inlicite retinendi inlicita qualemcunque adeptus es* (***) *occaſionem. Sed Deus novit, qualitercunque te erga nos habueris, nos ſemper te corde puro dilexiſſe, & tuam modis omnibus proſperitatem exoptaſſe. Aufer itaque, dilectiſſime fili, de animo tuo, ſi qua eſt, contrarietatis rubiginem, & eam, quam nos erga te, tu quoque erga nos, habeas dilectionis ſinceritatem. Quia vero de ſanctæ Romanæ Eccleſiæ iniuria* (****) *cum ſalute animæ noſtræ ſilere non poſſumus, adhuc te paterne admonemus, rogamus etiam & obſecramus, charitative quoque conſulimus, ne beati Petri debitam oblationem* (XX) — (XXVI)

XX. Potius, conſideratis illuſtribus perſonis, quas inter dicta ratione interceſſit commercium literale, iam nunc convertimur ad ipſum & argumen-

(*) Scilicet: *de nobis, vel quod tibi in quapiam re facti ſimus offenſiores, vel tu alias te putes ad hoc onus ſuſtinendum minus obligatum;* ſic pace doctiorum ex cohærentia præcedentium ſenſum huius formulæ abruptæ æſtimo ſupplendum.

(**) Rectius: *qui;* videlicet *delatores.*

(***) Pro: *adripuiſti* forte, ſed inſolenter admodum, & adverſus ſynonymiæ naturam.

(****) Subintellige: *per te dicta modo illata.*

ulterius retineas, ne, videlicet, ipſam retinendo, eius iram in te exaſperes, ſine quo aperiente nemo regnum valet intrare cælorum. Sed, ſicut decet, debita eam reve-

---

gumentum præcepti *Clementini*, eiusque diverſa membra, quibus, id, ſi ſecundum regulas in ſcholis oratoriis uſitatas ἀναλύζειν, ſive in certas ſectiones diſpertiri, placet, abſolvitur. Proponit nempe Archipontifex Duci, velut etiam Lector ſupra ex ſummario, quod præmiſimus, leviori negotio quivit percipere, non duntaxat cauſam antiſtitii Miſſenenſis novo capite beandi brachio ſuo fulciendam, in quam hactenus oportuit præ-vie iam ſæpius diſcurſu deflectere; ſed quoque prius, quam ad id delabitur, eidem ſerio inculcat, *ut, recordatus crebriorum hortatuum, quibus antehac ipſum inceſſerit, devotione tandem ſinceriori proſequi ingrediatur Sedem Papalem, nec oblationem, B. Petro debitam, & usquehac tenacius retentam, ſolvere, ſub obtentu gratiæ illius Principis Apoſtolorum diutius recuſet.* Hoc ipſum itidem ex nexu & contextu integro prioris documenti partis, ſicut modo adſcripſimus verbotenus, planius & plenius datur intelligere. Secuti proin ordinem naturalem, quem nobis Epiſtola adumbrat, peropportune reminiſcimur, iſtud genus tributi, quod ab antiquo Curia Romana exigere paſſim conſuevit, vocari communiter *nummum*, vel *denarium*, *S. Petri*, Anglice *romſcot*, ſeu *rome ſcot*, a Saxonico *Scot*, vel

reverentia dirige, ut ipſum tibi pacatum valeas invenire.

---

vel etiam Gallico *eſcot*, quod impoſitionem, vectigal, ſymbolum, e. ſ. p. deſignat, Germanice *der Peters-Pfenning*. Et quidem reputatur idem unus ex reditibus annuis vetuſtiſſimis, ita ut *Io. Micrælius Hiſtor. Eccleſ. Lib. II p. 374* ed. *Hartn.* haud impertinenter ſcripſerit: *Licet autem antiquitus nihil juris in tot provinciis obtineret Papa, ſed de facto tantum iis inſideret; auctus tamen eſt ſubinde ex novis Regum, Imperatorum, & Principum, largitionibus: quorum nonnullos, ut Anglum, tributarios ſibi fecit, & ad numum Petri annuum ſolvendum adegit.* Idque egit apud quosvis, adductus haud una ratione, vel uno eodemque tempore, quanquam prætendere potuerit intuitu aliquorum omnium primo & potiſſimum fieri quid tale in memoriam acceptæ ab ipſo quondam immediate, vel per ſuos Apoſtolos & legatos, fidei Chriſtianæ, ac hinc enati vinculi invicem intimioris, vel quod etiam ſe ipſosmet ex ſuperſtitione tradiderint, cum ſuis, quaſi feudatarios, nutui & dominatui ſupremo Romanæ Eccleſiæ. Nam, ſi contendimus cum Hiſtoria antiquiore ſimul geſta Seculorum, aliquanto ſerius conſecutorum, deprehendimus, etiam quandoque Papas, inſtar legis perennaturæ, eundem cenſum quotannis ſolvendum nonnullis imperantibus hanc ob cauſam impoſuiſſe, quod aut indulſerint iis & ſubjectis

ditio-

ditionibus recenter prærogativam regalem, aut quoque aliquamdiu neglectam denuo reſtituerunt. Porro, ſi ſtirps priſtinorum regnatorum nutavit, vel defecit, Principes ſuperſtites, quos reſciſcebant progenitores, ſeu agnatos, addixiſſe vitæ monaſticæ in perpetuum, ex iure diſpenſationis ſibi competenti, liberatos nexu ſpirituali, declararunt idoneos peculiariter, ac ad regimen capeſſendum admiſerunt. Quare & ſæpius legas ſpeciem iſthanc largitionis, quando retenta fuerat ad tempus, ſeu ſolutio eius intermiſſa, ſive plane in deſuetudinem abierat, ab iisdem fauſto ſidere, ac caſu ſpeciali ſic ferente, reſuſcitatam noviter eſſe & redintegratam. Tenebantur autem eadem non ſolum & præcipue nobiles, ſed etiam plerumque plebeii, hique nunc recenſiti ſecundum capita, nunc per ſingulas domos & familias, niſi ſumma egeſtate laborarent. Ulterius noſſe iuvat, conſtitiſſe monetam, quæ expenſæ tali faciendæ deputabatur, utplurimum *argenteo uſuali*, ſiquidem nullibi reperi, quod huic ſini abs hoc, vel iſto, Rege, ſeu Principe, ſingularia numiſmata fuiſſent cuſa, ſubiectionem & cognationem iſtiusmodi, cum ſede Romana intercedentem, ſignificantius exprimentia. Ad modum denique exhibendi præſtationis id genus quod attinet, offerebatur non inſtar oblationis alius ſuper altare; ſed, ut certius approbaretur Pontifici, *ad pedes ipſius præſentialiter* deponebatur.

XXI.

XXI. Jam, ut, præmiſſis generalioribus hiſce monitis, ſpecialius adhuc deſignem ac ediſſeram, quid & quod circa onus hoc *Petrinum* notaſſe fas eſt, nulla prope gens, aut regio, in univerſa Europa, ſi unicam exceperis *Germaniam*, ab ipſo ferendo initio exſtitit libera, niſi quarum induperatores ſe ipſos violentius exemerunt. Evolve, ſi lubet, inter tot ac ferme innumeros ſcriptores, qui Pontificis Maximi poteſtatem ſecularem in aliena territoria, ſeu proventus eius & *uſurpationes*, quas vocant, ibidem eruendas nonnihil curatius & delineandas ſibi ſumſerunt, ſolum & unum illum celebrem Vaticanæ Bibliothecarium, *Auguſtinum Steuchum*, patria Eugubinum, in Commentationibus ſuis ad *Laur. Vallam de Donat. Conſt. M.* & ultro dabis, me nil nimium dixiſſe. Nec officit, quod is Auctor eam ob rem, uti aliis, ita præſertim *M. Anton. Marcello*, Senatori Veneto, in Lib. *de Iure ſeculari Rom. Pontif.* A. 1627, 4, impreſſo, vapularit haud raro ac fuerit caſtigatus. Etenim, ſat habeamus, decet, contradictionibus mutuis huiusmodi atque ſedulis correctionibus viam ſterni, quo cupido nobis exſurgat, altius rimandi, uter diſſidentium veritati propius acceſſerit, ac nebulas falſitatis tanto fortius removendi. Certe *Chr. Thomaſio*, lumini & oraculo inter ICtos quondam fulgentiſſimo, poſterior arriſit tantopere & fuit in deliciis, ut digniſſimum arbitraretur, cuius epitomen pleniorem

rem in Illuſtramentis miſcellis, quæ *Summariſche Nachrichten von auſerleſenen Büchern in der Thomaſiſchen Bibliotheck* inſcripſit, *Parte XVIII n. I* exhiberet.

XXII. Nos, ne longius divertamus a *Clementina* noſtra, percipiamus nunc duntaxat, quid idem *Cap. XXV pag. 157* ſigillatim commentetur de iure & actione, quam Papæ in Boemiæ regnum habuerint ab antiquo. *De Boemia autem*, ſcribit, *planius (quam Dacia* Steuchus*) verba facit: inquit enim, alias ex Lateranenſi Bibliotheca compertum fuiſſe, Spiccionemum, Boemiæ Ducem, a Nicolao diadematis uſum impetraſſe, regno obſtricto ad centum ſolutionem librarum argenti in cenſum, atque ita ab ſede Apoſtolica Regem fuiſſe renuntiatum. Quæ tamen enarratio non omni difficultate mihi videtur carere. Si nos namque ad Boemicas hiſtorias convertamur, Vratislaus, inter Boemiæ Duces vigeſimus, A. 1086, Moguntiam profectus, ubi conventus celebratur, primus titulum Regis ab Henrico IV Imperatore obtinuit; quod & in Bonſinio eſt videre. Sed, quoniam, qui ſecuti ſunt, non Regum, ſed Ducum, titulum ſibi adſcripſerunt, ac ſi dignitas illa non in provinciam, ſed in perſonam, derivaſſet, Vladislaus demum ſibi poſteriſque a Federico Enobarbo regium nomen impetravit: quod usque perſeveravit, ita ut titulus is non Pontificibus, ſed Cæſaribus, acceptus referatur. Præterea repetita ſerie a*

Benti-

Bentivolio, Duce Boemiæ X, qui anno 995, baptiſmatis lavacro aſperſus, Chriſtianam fidem primus amplexus eſt, usque ad hunc Vladislaum, qui ſecundus Bohemiæ Rex exſtitit, nusquam apparet, aliquem ejus nominis Pontificatui præfuiſſe præter Nicolaum ſecundum, qui duos tantum cum dimidio annos ſacro ſolio inſedit, Boemiam obtinente non Spiccionemo, ſed Spidigneo, XIX Duce, cui frater ſucceſſit Vratislaus ille, cui Henricus regium titulum eſt impartitus. Adde, neminem Ducum Regumque Boemiæ hoc nomine reperiri. Arbitrarer equîdem, Spiccionemum eundem eſſe, qui Spidigneus, eumque regio titulo abſtinuiſſe, ab Eccleſia totius regni ſubiectione impetrato, habita contentionum ratione, quæ forte inter Imperatorem Henricum & Apoſtolicam ſedem debacchabantur. Sed tunc temporis Henricus pubertatem vix agebat, & Imperium omne Agneſæ Imperatricis matris, ſingulari pietate fœminæ, cura nitebatur, nec ullæ inter Cæſarem & Eccleſiam diſcordiæ gliſcebant. Inſuper, ſi Bonfinio fides eſt habenda, & Spidigneus iſte non fuit Boemiæ Dux, aut certe, quamvis ita appellatus, non totam poſſedit. A patre enim pro virili parte Moraviam accepit, licet poſtea Boemiæ dimidium Vratislai fratri eripuerit; qui territus in Hungariam confugit, ubi, Andreæ Regis ſorore in uxorem ducta, Spidigneus hujus matrimonii metu cuncta ipſi reſtituit, qua-

ndeſ

ademerat, *in gratiamque cum eo rediit. Mortuo autem Spidigneo, Vratiſlaus omnium conſenſu ad Boemiæ Ducatum füit admotus, qui Moraviam inter fratres partitus eſt. Super his tamen ſanior imperet ſententia, & Eccleſiæ favor, cui ſtudendum maxime in dubiis.* Hæc *Marcellus* ſat prolixe.

XXIII. Jam quidem non omnino neceſſe reor, ut iisdem, quæ hic eundem *Steucho* tam largiter, nec ſine variis novis nævis, oggeſſiſſe advertimus, diu inhæreamus, dum mihi videtur, ſi tempora, perſonæ, ac reliquæ circumſtantiæ, utrinque a ſe invicem diſcriminentur cum induſtria, atque curatius perpendantur, huius relata commode tolerari poſſe. Quin imo, ut adhuc candidius expromam, quod res eſt, dicta *Steuchiana*, ſi demas ſolum nomen falſo expreſſum, *Spiccionemi*, vel *Spiccionemi*, per ſe ita clarent, ut nullum plane ſcrupulum poſt ſe relinquant, ac ideo ſunt digna, quibus absque ulla hæſitatione applaudatur. Nihilo ſecius tamen, ne totus cernar ad ſenſa *Marcelliana* obmutuiſſe, demonſtratum ibo, conatum æſtumque Auctoris illa refutandi re vera inanem fuiſſe, & in Eccleſiæ, cui & ipſe militabat, præiudicium ſumme vergentem. Irrefragabile ſane & annalibus affatim eſt teſtatum, quod inter Cæſares Regesque Teutonicos, tum ex Saxonum, tum Salicorum, gente prognatos, ac Principes Bohemiæ, ſanguine *Przemiſlaidum* cretos, ad *Vratiſlaum Iuſtum* usque, raro admodum tam

firma coaluerit amicitia, ut hi ab illis ſibi quiviſſent inde ſingulare quoddam ominari emolumentum, vel incrementum. Porro indidem perſpicuum fit quam maxime, regnum & ſacerdotium ſub *Henrico III* & *IV* impubere iamiam tam grande paſſum eſſe divortium, ut haud acciderit mirum, ſi quando poſteriorum aliqui Papæ potius, quem Imperatoris, ambiverunt favorem & adiutorium. Nunc vero in his *Spitigneus* Dux unus univerſim erat ex hominibus ambitioſiſſimus, ceu cuncta eius acta confirmant, detruſio ſpeciatim fratrum in exilium, exterminatioque Germanorum quorumvis ex ditione ſua. Eccur itaque is, cum, durante adhuc imperio viduæ Imperatricis *Agneſæ* vicario, vix ſpem concipere poſſet, genio ſuo ex aſſe in ipſius curia ſatisfactum iri, nequiviſſet per legatos adire *Nicolaum II*, P. M. ac, velut ſecundum allegatum aliquoties *Steuchum* factum, pro conferendo ſibi axiomate regio ſollicitare? Regem adoleſcentem *Henricum IV* ut tali conamine irritaret multum, vel ad invidiam & iracundiam commoveret, eo viſum eſt impoſſibilius, quod nuncupatus Papa ad deturbandos & diſſipandos tanto facilius ſchiſmaticos, qui ſolium hactenus conſcenderant, cum eiusdem conſenſu ſpecialiori A. MLIX fuerat ad idem delectus & exaltatus. Inſuper accedit, quod Dux, ſecus ac ſentit *Marcellus*, Ducatum quoque ipſum, integrum finibusque ſuis nuſpiam mutatum, *ex iure primogenituræ*, & quam-

quamdiu nomen regnantis domini geſſit, ſeu usque ad obitum poſſedit re vera, nec unquam cum *Vratislao* ullam partitionem ingreſſus eſt, quo eo minus eiusdem intuitu Regis titulum valuiſſet obtinere & tueri. Sic enim ordinarat *Bretislaus* pater in teſtamentaria diſpoſitione ſua, ut is ſolus referret *Principem Bohemiæ*, reſidui autem filii lege apanagiali ad Moraviam fruſtatim regundam ablegarentur, in quo fides Scriptorum domeſticorum, id unanimiter confitentium, facile præpolleat, neceſſe eſt, Auctoris noſtri, & teſtis alienigenæ, *Bonfinii* ſui, contrariæ abſonæque relationi. Quod autem transactio illa, cum Pontifice *Nicolao* ſuper elargitione dignitatis regiæ ſuſcepta, intra tentamina ſaltem ſubſtitit, nec, quantum ſcimus, ad plenam conſummationem fuit perducta, aut etiam in annalibus, præſertim Bohemicis, certatim prædicata, ſed adhucdum arcanis poteſt connumerari, hoc forte exſtitit in culpa, quia mors ambos tranſigentes præmature admodum, ſeu A. MLXI, ex vita ſuſtulit. Quapropter in hocce caſu tanto minus competebat *Marcello*, notitias veteris Bibliothecæ Lateranenſis, a *Steucho* allegatas, poſtponere præter neceſſitatem, nedum cenſuris ſuis ieiunis nimium & intempeſtivis labefactare.

XXIV. Atqui aiat quis, *hæc cuncta & ſingula, quæ contra iſtum Senatorem huc usque diſputavi, parum facere ad probandum* nummum B. Petri, *aut vindicandum, cui iam*

antea & ab antiquiori tempore Bohemica regio viſa eſt adſtringi, *ac hinc* Clemens III *Papa eo acrius inſtitit*, *ut ne ſibi ab Vratislao Duce invideretur diutius*, *vel denegaretur.* Neque egomet diſparem ab hac foveo ſententiam, ſed perſuaſus ſum firmiter, convenire omnino, ut is a penſione annua, quæ per fratrem *Spitigneum* ſub dictà conditione fuerat promiſſa, eoque morti ſuccumbente, in puteum iterum reciderat, ſedulo diſtinguatur. Hoc namque ſi aliter foret, vix ac ne vix quidem evadit credibile, illum elogium regale, quod huic a *Nicolao II* P. M. *non tam iure individuali, ſive ad perſonam ſaltem, ceu deinceps* Henrico IV *Imp. placuit*, *ſed hæreditario*, *& in poſteros atque ad terram una & inſimul ipſam tranſituro*, deſtinatum recte putatur, poſt eiusdem diſceſſum lethalem dimiſſurum fuiſſe ac neglecturum. Interim, ventilatione utriusque Viri aſſertorum me nil deliquiſſe, vel plane alienum quid ab argumento, quod tracto, periclitatum eſſe, confido; ſed gratiæ potius mihi debebuntur, quod non ſolum *Steurbum* ab incuſationibns *Marcellianis* feliciter iverim liberatum, dum prodidit, fuiſſe in eo, ut honos regius in natione plus quam quadrantem ſeculi citius radices ageret, verum quoque, *Clementina* lucem præferente, viam monſtrarim ac occaſionem, eundem augendi inſuper mirifice atque ſupplendi. Ut nempe tandem dicam, quod res eſt, denarium, quem exinde anno

MLXXXV

MLXXXV Cæſareanus ille Papa ab *Vratiſlao* monendo pariter ac minando exegit, oportet multo altioris originis eſſe, natalesque ſuos ab iſta minimum tempeſtate derivare, qua Bohemorum gens, per Græcos utpote Apoſtolos primum converſa, accepit cum gubernatoribus ſuis communioni cœtus Romani externæ propius accedere; hierarchiamque ac liturgiam eius arctius amplecti, nec unquam aliunde. Immo vero *Clemens* ipſe in Epiſtola ſua, vaga licet duntaxat & generaliori locutione uſus, videtur eo digitum indicem intendiſſe, ſiquidem conqueſtus eſt, tale oblationis genus, *contra omnium prædeceſſorum ſuorum religioſiſſimam inſtitutionem & exhibitionem*, tanto tempore ſibi detineri.

XXV. Ceterum, antequam ad alia progrediar, utique intererit noſtra, ut hic in hoc adhuc inquiramus: quando, & quo ſtimulo incitatus, Dux *Vratiſlaus* primum recuſarit cenſum, toties nominatum, ulterius pendere. Enimvero ex Epiſtolis *Gregorii VII* haud paucis, quas & *Iuſtus Chriſtoph. Dithmarus*, Hiſtoricus ille nuper lectiſſimus, in *Vita eiusdem p. 185* numerotenus recenſuit, elucet, quod idem Pontifex non veritus ſit, in eius ditione ſecularium pariter atque eccleſiaſticorum negotiorum abſolutum identidem ſibi ſumere arbitrium, ſeu, ſi verum fateri fas eſt, iura ipſius principalia & domeſtica laceſſere undi-

quaque & imminuere. Inprimis in cauſa Pragenſis & Moraviæ Præſulum, de finibus diœceſeos ſuæ controvertentium, definienda, mordicus defendit, eidem nullas, niſi executionis, partes competere, inveſtituram itemque illorum abs ſe, nec Imperatore, aut ullo alio, legitime peragi. Porro, quod maximum, ipſi, anno MLXXIX rogitanti, ne Papatus ſuus a cultu divino, Slavonico idiomate amplius celebrando, divelleretur, ſub prætextibus profecto variis ac abſonis repulſam dedit, tametſi probe noverat, gaviſum eum eſſe inde a converſione ſua tali beneficio, in ſacris Scripturis fundatiſſimo, accedente adeo prædeceſſorum in ſede Romana, *Nicolai I & Ioannis VIII*, conſenſu. Decretum iſthoc alias non ſolum in excitatis Epiſtolis, verum & pasſim alibi, impreſſum exhibetur, utpote ab Auctore Hiſtoriæ perſecutionum Eccleſiæ *Bohemicæ*, *Melch. Goldaſto*, &, ni fallor, *Io. Reiskio* in Ep. ad D. *Io. Frid. Mayerum de Verſionibus Bibl. Germ. ante Luth.* Præterea, quando *Io. Amos Comenius* in *Hiſt. fratrum Bohem.* p. 5 edit. *Budd.* ſub erronea, quantumvis epocha anni MXCVII, (quam neque in translatione huius libri Teutonica, Suobaci A. 1739 in 8 promulgata, ſublatam deprehendas,) eiusdem iniicit mentionem, memorabile eſt, quod addit: *Ab hoc tempore eccleſiæ Bohemicæ cum Romana perpetua fuit lucta: hac ſuperſtitionum ſua-*

ſuarum iugum ſemper illi intentante, illa ſemper id excutiente, usque ad infelix hoc ævum noſtrum, quo ſuccubuit. Quare haud litigarim, quo minus *Vratislaus* tum iam, ſi non citius, in talionem pro attentatis huiuſcemodi tam præſumtuoſis & factis, conſilium inire potuerit auferendi in poſterum cenſum *Petrinum*, nec amplius ad *Cameram*, quam appellant, *Apoſtolicam* pendendi.

XXVI. Alia poſtremo & ſolutu multo difficilior eſt quæſtio, quando quem ſollicitum habet: *Utrum Dux, Gregorio aliquot annos poſt ad incitas redacto, Clementeque ipſi ſurrogato, ſeſe tandem ad reſtituendum tributum illud accommodarit, nec ne.* Quodſi nempe non deſtitueremur toto apparatu epiſtolari, ad hoc & cetera momenta reſpiciente, de quo ſuperius iam plus vice ſimplici querelas inſperſi, nec inſuper nos una cum archivis Vaticana, ſeu Lateranenſis, omnesque tum Germanicæ, tum Bohemicæ, Bibliothecæ circa idem prorſus inſolatos deſererent, haud dubito, citius affore aliquid certi, quod ad eam reſponderi valeat. Ex Epiſtola profecto noſtra per coniectationem & pronam conſequentiam nil præterea, quam id, elicitur, quod, cum Papa ultimo appellatus *Vratislaum* multoties commoneſecerit ſuper iſto negotio, ac nunc etiam artificia quæque perſuadendi non ſecus atque obtundendi eiusdem cauſa conquirere habuerit neceſſe, hic ipſe illi, opor-

tet, ægre admodum præbuerit aures, ac in poſtulata eiusdem deſcenderit. Accedit deinceps, conditionem *Clementis* & gubernationem poſt fugam & obitum *Gregorii* nil factam eſſe quietiorem, ſed ſchiſma inter ipſum & obiectos Pontifices *Mathildinos* ſuccreviſſe tanto magis, atque in motus acerbiores indies erupiſſe, usquedum ille his ſuccumberet. Qui, quæſo, argumentetur quis inde, Princeps tam catus, qualis idem Slavus erat, proceſſiſſet in turbis hiſce, etiam atque etiam ingraveſcentibus, eo temeritatis, ut, repromittendo nummum *Petrinum*, eidem noviter fidem ſingularem adſtrinxiſſet, circa quem facile dabatur ominari, quod protectionem pro inſtaurato tali onere debitam difficulter valiturus foret diu præſtare, quin potius timeſcendum erat, ne, conſecuto eius lapſu, æmuli etiam ac competitores Pontificatus Maximi ceteri, nihilo ſecius inhiarent ipſi, ac ſtricte inhærerent. Quapropter &, credo, nobis vertiſſet nemo in partem peiorem, ſi absque ulla ambage ſimili, aut prævia, ratiocinatione ad motum antea ſcrupulum repoſuiſſemus actutum πολυθρύλλητον illud: *Non liquet*. Interim, ne ſpeciem nanciſcatur, vel cui exſurgat ſuſpicio, ratiociniis, negativæ tuendæ cauſa in medium allatis, nulla prorſus inſtantia obviari poſſe, haud immerito prudentiorum trutinationi commendo, an non vi eorum, quæ nunc egomet proferam, præſtet affirmantibus quæſtionem accedere potius, ac

polli-

pollicem premere. Videlicet infra §. XXXIX. ductu Epiſtolæ *Hartwicianæ*, quam proxime pluribus explanatam dabo, in anteceſſum veſtigia monſtro, Ducem, quod ad expletionem puncti alterius *Clementinæ*, ſeu ratihabitionem proviſoris in Præſulatu *Miſſenenſi* recens inſtituendi, ſe promtum admodum exhibuiſſe atque facilem. Idcirco opinarer, me nequaquam a vero abluſurum, ſi hinc æque probabiliter colligam, quod *Vratislaus*, quam difficilem ſe prius in reſuſcitando tributo iſto præbuerat, nunc tamen, ut Papam ſibi tanto arctius devinciret, id vix recuſarit ulterius, verum exhinc lubens porrexerit, donec A. MXCII. vita exutus eſt. Diverſimode vero, nil nego, foret reſpondendum, ſi collibuiſſet problema, antea propoſitum, ad poſteros quoque extendere, ventilationemque eiusdem ita inſtruere, ut quæſiviſſemus, *an necdum ſolutio progreſſu gaviſa ſit & firmitate, ubi Clemens ex culpa æmulorum tam miras ſubiit perplexitates, ut poſtremo Romam adeo cum ipſo Papali throno cogeretur derelinquere, neque unquam ſortem ſuam inſtaurare poſſet, vel in melius reducere.* Tunc enim veriſimilius utique duxerim, vel aſſertu ſecurius, oblationem *Petrinam* eo ipſo cœpiſſe vacillare rurſum, *Vratislai*que in Ducatu ſucceſſores continuationi huius nunquam amplius annuiſſe.

Præterea non credimus, a tua excidiſſe memoria, quod dilectionem tuam & per literas, & per nuncium tuum, plurimum poſtulavimus. Obnixe rogavimus ſuper quodam dilectiſſimo filio noſtro, (*) *tibi equidem fidelisſimo, & ſatis noto, celſitudinem tuam interpellantes, ut in illa re, quam poſtulabamus, noſtræ voluntati aſſenſum præberes. Sed nihil nobis de hac ipſa re poſtea, unde plurimum mirabamur, remandaſti. Et ipſe quidem iam magnifice, ſicut dignus eſt, fores locatus, niſi hac fuiſſet exſpectatione detentus, quo, Deus novit, fideliorem tibi non poteris invenire. Hoc autem tuæ ſit notum dignitati, quod cum Domino Imperatore, cariſſimo filio noſtro, de re iſta nondum quicquam egimus,* (XXVII) — (XXXIV)

XXVII. Explicationi membri prioris *Clementinæ* noſtræ, ſeu thematis de denario S. *Petri*, eo comprehenſi, ſat diu ac longius fere inſtitimus, quam decet, ſeu moris eſt, in nectendis, & textui certo ſubiiciendis, obſervationibus eiusmodi mixtis, feſtinabundis, & undiquaque decurtandis. Quamobrem opus fuerit, ut circa poſterius enodandum eo celerius procedamus, ac diſcurſum abbreviemus, ambagesque & digreſſiones quasque præcidamus, ubi & quantum poſſumus. Quemadmodum videlicet ex ſumma illius, *ſ. VII* porrecta, planum fit ulterius, nec nobis iam alias paſſim intactum eſt relictum,

(*) *Felice.*

ctum, Pontifex Ducem adhæc rogitavit, *ut ne novum antiſtitem, Eccleſiæ Miſſenenſi præficiendum, ſuo ſuffragio comitari & ſuffulcire patrocinio diutius cunctaretur*. In his paucis itaque cernimus ſtatim campum, quo exſpatiemur, certe latiſſimum; id unum tamen, quod hic deſideres, fuerit hoc, quod de memorata ſuffectione ſaltem, tanquam re adhuc inſtante & arcana, tectis præterea & ſub pectore retentis utriusque præſulis, & *Bennonis* reiecti, & *Felicis* ſufficiendi, nominibus, differitur. Contra *Epiſtola altera*, per Archiepiſcopum Magdeburgenſem *Hartwicum* eidem Principi *Vratislao* aliquanto poſt tranſmiſſa, nobisque cum Deo proxime itidem enucleanda, negotii eiusdem, tanquam confecti nunc & conſummati, mentionem facit clariorem multo & ampliorem, retectis inſuper Epiſcoporum dictorum appellationibus propriis, pleniusque deſcripta eorundem conditione diſcrepanti & qualitate. Quid, ſi ergo, Lector, univerſam conſiderationem de iis non minus, quam repræſentationem ſpecialem, Epiſcopatum excitatum, tam potenti advocato & tutore extraordinario, qualis erat Bohemorum Dux, tunc omnino eguiſſe, differamus eo usque & removeamus. Me quidem in eo nihil inconcinnum patraturum eſſe, concepi iam dudum, & adhuc ſentio.

XXVIII. Interim hoc loco non eſt prætereundum, ſed utique aliquali ponderatione dignum, quando *Clemens* Papa, poſteaquam pro-

feſſus

feſſus eſſet, gravate ſe accipere, quod Dux in cauſa tali, neque ad literas ſuas anteriores, neque colloquium cum ipſius legato oretenus habitum, animum explicuiſſet, ſuperaddit, *ſe cum* Domino Imperatore *de eadem nondum quicquam egiſſe, quoniam illius voluntatis certitudinem hactenus exſpectare prius cupiverit.* Urgeatur nimirum nonnemo, qui in hoc *Clementi*, tanquam Italo, Cæſari licet in plerisque alias velificanti, parum fidit, ſcrupulo ſequenti, ut obiectet: *Sanctiſſimusne ille Pater hæc ſerio & ex vero pronuntiarit, an vero ſpecietenus ac ex rationibus privatis tantum ſit commentus.* Et ſane poſterius videri poſſet inde ſaltem credibile, quod nullum eſt dubium, illum ipſum *nuncium*, ſeu legatum, Ducalem, cum quo ſecundum introitum partis alterius epiſtolæ refertur, iam antehac res communicata, A. MLXXXIV interfuiſſe Romæ & Pontificiæ & Cæſareæ coronationi, atque, Imperatore hinc in Germaniam reditum parante, haud cunctanter remeaſſe domum, ac literas Papæ priores ad herum ſuum ſecum attuliſſe. An ſcilicet autumes, tunc ſuper orbitate & neceſſitudine Eccleſiæ *Miſſcnenſis* abs hoc cum eodem, inſciente penitus, nec conſulto ſimul illo, deliberationem fuiſſe initam? Attamen proxime tentabo, difficultatine & obſcuritati, quæ ſubverſari rei videtur, nequeat evidentior adhuc medela afferri, ſive perſpicuum reddi, quomodo collatio, ſi qua iamdum ex ea utrinque eſt habita cum legato, ſit interpretanda, ut confeſſioni

&

& repræſentationi Pontificis in literis factæ nihilo ſecius laus candoris & veracitatis inconvulſa maneat & intemerata. In præſens ſciſcitabimur duntaxat prius partim, *quis ille Dominus, cui h. l. a Papa* Imperatoris *nota & character, celato nomine proprio eius, nec addito, appropriatur*, etiamſi addecet, ut Lector tum iam alias, tum ex plus quam una præmiſſarum animadverſionum, & adeo absque noſtra noviter accedente doctrina, de eo ſit inſtructus, partim *qualiter, & qua tempeſtate, is idem dignitati Cæſareæ dignoſcatur admotus*.

XXIX. Imperator ſcilicet cluebat *Henricus IV*, *Henrici III*, ex ſtirpe Conradingorum, ſeu Salignorum, Franciæ orientalis Ducum, in Imperio anteceſſoris, filius, A. ML cum *Agneſa* Aquitanica progenitus. Patre ex mundo præpropere diſcedente, eundem puerum admodum, ſub tutela materna conſtitutum, A. MLVI regno Germanorum admotum fuiſſe, certo conſtat. Quia adhæc periodum ſic ſatis longam regimine ſuo exhauſit, dum per quinquaginta annos prope ſceptrum tenuit, vix profecto pagellæ præſentes ſufficerent recenſendis ſolum Scriptoribus, qui modo in laudem & præconium, modo invidiam, vituperium, ac contumeliam ipſius, conceſſerunt. Et multo minus forent ſuffecturæ, ſi vellemus in compendio ſaltem atque brevi conſpectu adumbrare, quæ notari merentur circa ejusdem adoleſcentiam & in minorennitate rectores, turbasque

que iamdum inde enatas, nævos deinde provectiori ætate valde grandes, in politicis & ſacris admiſſos, nec non conſecutas tunc nefandiſſimas calamitates. Quem enim latent molimina eius improvida contra Saxones ac Epiſcoporum viciſſim plerorumque cum *Gregorio VII* Pont. iniquiſſimæ colluſiones, gravamina itemque perpetua, ac bella parricidialia, utrinque exorta? Ut nil dicam de triga Cæſarum adulterinorum, ei ſucceſſive obiecta, rebellioneque abominanda ipſorummet natorum, *Conradi* ac *Henrici*, relegatione demum ſua indigniſſima, & probroſa in exilio morte. Uno verbo: *Sicuti idem præ omnibus prædeceſſoribus iuventæ vitio fuit ſolutior; ita per reliquam vitam inſidiis & perfidiæ procerum atque prolis deteſtabili prorſus ratione nunquam non patuit.* Interim poſthac, ſi ſanctum Numen prorogarit cum viribus mentis ætatem, haud plane devitare potero, quin momenta potiora conferam in *Typo vitæ Clementis*, & explicatius adducam, quæ præſertim ex ſequioribus gubernationis *Henrici* annis huc adverti convenit, ſeu ex quo ipſi cum *Gregorio VII* lis ſontica primo intercedere cœpit, ut exin tot procellis horrendis ac infinitis difficultatibus habuerit conflictari.

XXX. In præſenti cumprimis ex re noſtra erit, ut indicium qualecunque &, quam potero, breviſſimum faciam, quam aſperos anfractus neceſſe habuerit *Henricus* exſuperare

rare & perſtringere, ut, cum iam A. MLXXVII per Papam *Gregorium* Canuſii regno ignominioſiſſimum in modum eſſet exutus, & regio axiomate indignus plane declaratus, nihilo ſecius pertingeret ad metam, & tituli *Imperatorii* tandem compos redderetur. Poſteaquam videlicet A. MLXXX, conventu Præſulum & Principum ſuæ partis coacto, decreverat ultimo, *Gregorium* throno papali vi & armis deturbare, ac exin *Rudolphum* Suevum atroci prælio ad Alſteram, haud procul Merſeburgo, occiderat, petiit A. MLXXXI Italiam cum exercitibus propriis & auxiliaribus, ac in Longobardia, Tuſcia, Campania, & alibi, hoſtilia ſigna longe lateque circumtulit, nec inde receſſit, quanquam audiiſſet, primores Teutoniæ malevolos protinus contra ſe novum Anticæſarem, *Hermannum*, excitaſſe. Multo potius perrexit in propoſito, & præſertim Romam ipſam ab A. MLXXXII aliquoties eſt aggreſſus, usque dum ea A. MLXXXIII non. Iun. potiretur, atque *Gregorium* longe abhinc exterminaret. Inter coætaneos Scriptores hanc obſidionem, iteratam plus ſimplici vice, & feliciter tandem finitam, nemo ſtilo magis viridi & facundiori ſuada expreſſit, quam *Otbertus* Leodienſis, inter familiares Principis occupatoris & amicos usque ad lethum conſtantiſſimus, in vita ipſius, apud *Goldaſtum* in *Apologiis primorum S. R. Imp. pro eodem* Hanov. A. 1611 in 4 edita, unde p. 213 pauca ſaltem hæc delibamus: *Dedignabatur iam Rex*

(cum

(cum murum ſui ſuperaſſent,) recluſum portarum aditum, ubi & ſequens a præeunte tardaretur, & præcedens a ſequente premeretur; ſed in ultionem temerariæ præcluſionis iuſſit, ut, fracto muro, tam latum ſibi ingreſſum panderent, quo totus exercitus æquato iunctoque latere ſe ſimul immergeret. Igitur ubique mors, ubique luctus, erat. Roma contremuit, dum impulſa turrium altitudo corruit. Fugit Apoſtolicus, &, qui omnes in periculum impulerat, omnes in periculo deſeruit. Tandem Romam præſumtionis ſuæ pœnituit, &, quæ prius meruiſſe poterat, ut a Rege donis honoraretur, nunc ingenti pecunia apud Regem vix obtinuerit, ne tota ſubverteretur. Terminum autem occupationis violentæ egregie confirmat, præter *Alb. Stadenſem*, pluresque, privilegium, abs eo haud longe poſt *Liemaro*, Archiepiſcopo Eccleſiæ Hammaburgenſis, ibidem impertitum, apud *Erp. Lindenbrogium pag. 144*, in quo ſimul huius irremoti Comitis fides, tum in Saxonicis, tum Italicis, expeditionibus, pure ſervata, graphice admodum depingitur, ac ſpeciatim adiicitur, *eundem tribus vicibus ad expugnandam urbem & capiendam ſecum veniſſe.* Sic enim innuit in eo clauſula finalis: *Data X Calend. Iulii, anno Dominicæ Incarnat. MLXXXIII Indict. VI, anno autem Ordinat. domni Heinrici IV reg. XXIX, regni XXVII. Actum Romæ poſt urbem captam feliciter Amen.*

XXXI.

XXXI. Rebus ſic comparatis, nil reſtabat, niſi hoc, ut *Henricus*, ſimul atque foret poſſibile, diademate imperiali ſeſe redimi & exornari adhuc pateretur. Non celandum eſt, annalium veterum conditores negotiationem hancce poſtremam, A. MLXXXIV ſuſceptam, certatim magnoque numero memorare; attamen cum aliqua diſcrepantia, dum id peragunt plerique levi penicillo & perquam conciſe; pauciores autem curatius ac cum adiectione neceſſariarum maxime ſcitu circumſtantiarum. Hos inter eminet facile, atque choream ducit, ipſemet Cæſar in Epiſtola peculiari, ad *Theodericum*, antiſtitem Verdunenſem, unum amicorum ex familiariſſimis, concinnata, quam *Golſcherus*, Monachus *S. Matthiæ* Trevirenſis, in libro *de Geſt. Treviror.* apud *Leibnitium* in *Acceſſionibus hiſt.* ſervavit, ubi & opus invaſæ hoſtiliter, ac armata manu transſcenſæ, urbis cum reliquis eventis iterum fuſé enarratur. Viciſſim nonnulli eorum referunt rem ſimpliciter ac pure, prout geſta eſt, & emaculatioris hiſtoriæ conditio poſcit, alii cum encomio ſingulari & exaggeratione, aut etiam haud abſque formulis eiusmodi, & expreſſionibus, quæ virulentum partialemque animum produnt. Poſtremæ claſſi merito accenſentur *Bartholdus* Conſtantienſis, *Helmoldus* Boſovienſis, nec non Auctor Chronicæ *Auguſtenſis.* Contra multo ſincerius & magis innocue proceſſerunt circa eandem efferendam *Conradus Urſpergenſis*, *Albericus* Monachus Tr. fon-

ſont. atque *Eggbehardus* ille, quisquis alias fuerit, apud *Herm. Cornerum*.

XXXII. Ultimus ſigillatim non ſolum inter ſynchronos fere locum invenit, vel tamen iſti ſeculo unus fuit ex proximis, atque adeo auctoritate ſufficienti pollet, quippe quod ab *Helmoldo* iamiam excitatur; ſed etiam inſuper momenta potiora, ſeu quomodo cuncta & ſingula a termino inde obſeſſionis exantlatæ pedetentim cucurrerint, digeſſit decenti ordine & propoſuit, quam ullus ſui ſimilium. Agedum, percipiamus ſaltem hac vice brevitatis cauſa, & nil officiente, quod Chronicon eius dudum periit, qua ratione *Cornerus* legerit ipſius veſtigia & expreſſerit *col. 622* edit. *Eccard.: Viceſimo octavo anno Henrici, qui eſt Domini MLXXXIV, Imperator Henricus, ſecundum Eggbardum, natale Domini Romæ apud Sanctum Petrum celebravit, circa Calendas vero Februarii in Campaniam tranſiens, ipſam & magnam partem Apuliæ expugnavit, & ſibi ſubiecit, eo quod Hildebrando Papæ favebant. Poſt hoc per legatos Romanorum rogatus, ut pacificus rediret, Romam rediit, & ad portam Lateranenſem caſtra ſua ponens, omnes dedititios accepit, feria autem ſexta ante diem Palmarum, multis ſtipatus nobilibus, cum gloria magna urbem intravit, ducens ſecum prædictum Wicbertum, Archiepiſcopum, alias in Papam electum per Pontifices Alemanniæ. Qui ſequenti Dominica per multos Pontifices, & præſertim Bononienſem,*

Muti-

Mutinenſem, & Tervinenſem, in Papam ordinatus eſt & conſecratus, ac in Sedem Apoſtolicam ſolenniter inthronizatus, Clemensque tertius vocatus, a quo Henricus Rex cum Bertha Regina in ſancto die Paſchæ Imperiali benedictione inſignitur & coronatur. Ut circa inſtallationem (ſi ita vocare licet,) Pontificis Maximi denuo hic Lectorem demorer, ipſe ſuperfluum exiſtimarit, quando eorum recordabitur, quæ aut in eandem rem ſuperius *ſ. XIII* diſſerui, aut in poſterum etiam in *Typo vitæ eiusdem* prolixius diſſerere recepi. Ex adverſo congruet huc tanto magis, ſi præterea experiri geſtientes, in quem diem tunc *paſcha*, quo *Henricus* fuit inauguratus, proprie competierit, adeamus & audiamus Virum Ill. *Sam. Lenzium* in libro Germanice ſcripto: *Hiſtoriſch-Genealogiſche Unterſuchung der in die Teutſche Reichs-Hiſtorie einſchlagenden Kayſer und Kœnige*; ut qui *pag. 125*, ex mente Viri doctiſſ. *Io. Dav. Kœleri*, refellendo pariter Virum Celebert. *Gebhardum*, nos hunc in modum inſtruit: *Die Kœleriſche Tabelle giebt den 31 Mart. dazu an, die Gebhardiſche aber den 18 Febr. welches zu früh zu ſeyn ſcheinet: denn der Kayſer ſchreibet an den Biſchoff Theodoricum zu Verdün, er ſey auf Benedictus-Tag nach Rom gekommen, und das iſt der 21 Mart.* (feria V ante palmas, *ſchreibet Bertholdus Conſtant.) und die X ſancto Paſchæ wære er zum Rœmiſchen Kayſer erhoben worden, das kan alſo wohl nicht*

den 18 Febr. ſchon geweſen ſeyn. Hæc, Latine reddita, ſic ſe habent: *Tabula* (de familia Aug. Franconica) *Kœleriana diem XXI Mart. eius gratia indicit,* Gebhardina *autem diem XVIII Februar. qui* (*poſterior*) *nimium præfeſtinatus calculo videtur, ſiquidem Imperator ad Epiſcopum* Theodericum *Virdunenſem ſcribit, adventaſſe ſe Romam verſus die Benedicti, qui idem eſt, ac dies XXI Mart.* (*ſeu feria V ante Palmas, velut conſignatum reliquit* Bertholdus *Conſtantienſis*) *atque die X ſancto Paſchæ in Cæſarem Romanum elevatum eſſe, quod ideo neutiquam iam die XIIX Febr. evenire potuit.* Amplius *Walramus* Nuenburgenſis, vel quisquis demum libri iſtius de unitate eccleſiæ conſervanda apud *Freberum* Auctor verius creditur, (variant namque Critici mire in eodem deſignando,) *pag. 272 ſeq.* valebit aperire, quo iure, quave iuſtitia, ea ſingula & omnia ita, neque aliter, facta ſint.

XXXIII. Sed ſatis hæc ſunto dicta de *Henrici* Imperatoris faſtigio ſummo, quod, Roma capta, captavit inſtar brabei, & conſecutus eſt. Iam nunc ponamus, *Clementem* Papam in ſuis ſincere ſerioque ſcripſiſſe, quod ille tunc adhuc nil quidquam de iis compererit, quæ intenderit in providendo ſedi Miſſenenſi vacuefactæ novo capite, ſed ea cuncta etiamnum de induſtria abs ſe privative & clanculum, ſeu absque præſcitu ſpeciali eiusdem ac conſilio, tractata ſint, donec ducalis voluntatis & ſuffragii certior redditus foret; quæſtio

hinc

hinc exoritur gravis omnino, & ad vindicandam veracitatem ſui ipſius, ut prædixi §. XXVIII, ſolutu perquam neceſſaria: *Cur fecerit hoc, cum tamen haud deſtitutus fuerit iam priori anno, occaſione oportuniſſima cauſam tractandi cum legato Bohemico* coram Imperatore, *in Italia adhuc præſente, celeriori procul dubio ſucceſſu?* aut, *qui demum tractatio iſta ſolitaria ſit exponenda?* Reſpondeo, ἀβασκάντως quantumvis, nec ut cuipiam in eodem vel minimum quid præſcribam, qui obſcuritatem, qua involvi videtur, diſpellere ſcitius novit: A. MLXXXIV, ut & per ſequentis maximam portionem factio *Gregoriana* cum *Hermanno*, novitio Rege ſuo, in oris Saxonicis perinde ac Franconicis regnavit adhucdum liberrime, & priores præ Cæſarea obtinuit, ut tanto periculoſius & impoſſibilius deprehenderetur, inire ibidem mutationem cum hoc, vel illo, præſulatu iſti obnoxio, & Epiſcopos infidos ac perfidos hinc efficaciter & cum duratione quadam eiicere. In ſpecie *Benno* Miſſena tunc nondum tam ſtabiliter erat remotus, aut omni poſſeſſione ita exutus, quo minus, advocatis in ſuccurſum aliis primoribus, imperii *Henriciani* pertæſis, quiviſſet advolare denuo, & in media diœceſi ac regione iteratos motus concire. Deinceps & id accedit, quod ipſum citatum ultimo & peremtorie, nec comparentem, præſente in ſolo Germanico Imperatore, oportuit prius in ſolenni placito, atque adhibito procerum, qui in fide huius immoti perſtiterunt,

runt, unanimi aſſenſu, exauctorari. Hæc ipſa igitur diſcrimina ac obſtacula, quia curam de ſufficiendo protinus alio palam reddebant difficillimam, & plurimum morabantur, putarim permoviſſe *Clementem*, ut ambigeret candidatum ſuum primo ſtatim momento, quo cenſuit eum ad nuncupatam eccleſiam promovendum, in conſpectum etiam adducere eiusdem, ipſique maturius, quam expediebat, *ad inveſtituram quaſi præſentare*, ſeu, ſi ſanius & cautius rem eloqui convenit, absque ulla modi præſcriptione, vel ſiniſtra conſequentia, offerre. Contra conſultius duxiſſe videtur, ſilentio tum adhuc premere nomen illius, & præſtolari, quodnam decretum Synodus proxime cogenda de deſertore & transfuga *Bennone* foret latura. Hoc enim exſpectato, ſecum forte cogitavit, multo citius accidere poſſe, ut Cæſar, per nuncios, ad conventum eundem miſſos, ſollicitatus, applaudat clienti ſuo, Epiſcopatumque aſſignet. Interea nec ratus eſt fore intempeſtivum, vel iuribus Imperatoriis adverſum, ſi ſuper eo negotio modo conſultationem quoque præliminarem & ſecretum iniret cum *Vratislao*, & de huius in elevando tanto certius iſto *Felice* ſuo, ac in ſede tuendo, auxiliis ſibi provideret. Nimirum reſciebat, *Henricum* ei compluribus abhinc annis univerſam plagæ iſtius Marchiam diripiendam permiſiſſe libere, ac peculii inſtar in ſuam poteſtatem redigendam, unde concluſit, ſatis fore, ſi hac vice viam obliquam ingreſſus, ipſum

Principi huic, terræ occupatori, & præ reliquis vicinis potentiori, commendaret *pro primo*, ne idem, quando dehinc illius approbatio acceſſiſſet & corroboratio, in contrariam partem niteretur.

XXXIV. De cetero, ſi rurſus, deficiente reſponſo ducali, iuvat coniecturam de rei eventu annectere, ſeu dicere: *Nullumne omnino veſtigium ſuperet, ex quo utcunque pateſiat, quali animo Bohemus Papæ interceſſionem pro* νεοφύτῳ *inter Saxonicos antiſtites illo deſcriptam exceperit, vel quod adeo ei dederit per omnia locum?* grave quidem fuit inventu, quod eius cauſa expromerem, ſed non impoſſibile. Sic enim in receſſu quid habet quam maxime, quando in Epiſtola poſteriore, quam in poſterum ſimiliter fuſius exponere intendimus, concinnator eius, *Hartwicus*, Archipræſul Magdeburgenſis, poſt interiectum aliquod temporis ſpatium profeſſus eſt erga *Vratislaum*, nunc Regem: *Bennoni intendere indignum ſe duxiſſe propter* Felicem (ut ipſa verba ſonant,) tuum, *imo* noſtrum, *qui eius ſedi iam canonice ſucceſſit*. *Tuum*, inquam, vocitavit; ſeu eiusdem Principis, ex quo a Papa ipſi commendatus eſt ſpecialiter atque traditus, addictum cumprimis & obſequentem; *noſtrum* autem, hoc eſt, utriusque & Regis & Archi-Epiſcopi, ac omnium in Saxonia & vicinitate Imperatori faventiorum, coniunctiſſimum. Hinc itaque bona cum conſequentia arguere datur, quodſi ob ad-

quoniam tuæ certitudinem voluntatis hactenus exſpectavimus. De hoc vero certiſſimus exiſtas, quod, ſi hoc unum noſtri cauſa, noſtro rogatu, feceris, quicquid a nobis deinceps me (*) *& te dignum petieris, impetrabis. Quicquid igitur de hac re ſedet tuo animo, utrum videlicet noſtris tam dignis, quod non diffidimus, aſſentiaris*

---

iectam ſimul, & nunc modo ſuppeditatam, notitiam de facta nuperius novelli iſtius Præſulis introductione in civitatem *Miſſenenſem*, ponamus, *Vratislaum* per negotia magis ardua prohibitum fuiſſe, quo minus ei cohabitarit; is idem tamen haud diu ante ad nutum Pontificis Maximi actui tali ſacro perficiendo conſenſerit prævie, ac non ſolum receperit, illum ſub tutela peculiari ſe fore conſervaturum, ſed & univerſim a Metropoli Magdeburgenſi atque eius ſuffraganeis eccleſiis nunquam abſceſſurum.

XXXV. Pervenimus nunc ſenſim ad colophonem noſtrarum animadverſionum miſcellarum, & adhuc obſervamus, quod, uti ad perfectionem conſummationemque finalem epiſtola-

(*) Dormitavit hic Secretarius, qui literas concepit, dum a ſtilo hactenus conſueto adeo prorſus diſcedens, pro formula *NOS* ſubdidit ſingularem *me*, qui merito erit tollendus.

tiaris petitionibus, nos quantocyus effice certos. Volumus enim tantum virum, tam utilem eccleſiaſtico regimini, tali a modo ſuſpendio detineri. Novo quoque ſigillo, utpote evidentiori, has literas idcirco inſigniri præcipimus; (*) (XXXV) — (XXXX) *ut tua etiam dignitas evidentiſſimum tuæ* (**) *conceſſionis ſignum, aliquod videlicet* admira-
tio-

ſtolarum communiter *ſigillatio* requiritur, ita nec hac *Clemens* Papa ſuam deſtitui, ſed eidem potius de tali eximio quodam modo proſpici, voluerit. Prius tamen, quam verbis eius, huc ſpectantibus, penitius ponderandis accingar, haud continere me queo, quin cordicitus conquerar, onus iſtud & officium mihi futurum fore hoc gravius, quo rarius. Viri eruditi, qui huc usque in Germania noſtra, vel occaſione archivorum domeſticorum, vel etiam in genere, aut incidenter, *morem Pontificium ſigillandi* nonnihil evolverunt diligentius, ſuis probationibus, quæ quidem nobis in præſenti negotio lucem præferre, ſive ſuarum inſtar adſervire, poterant, aut debebant, ad *Seculum XI* ſunt delati. Quin imo, ut libere ediſſeram, quod res eſt, nec quid occultem, ii, incurioſi plerumque diverſitatis temporum, nequicquam monſtra-

(*) Præſtabit haud dubie lectio: *præcepimus*.
(**) Subſtituatur: *ſua*.

tionis (*) *novum in novo; quem petimus, Epiſcopo* (**) *eligendo & conſtituendo mittere dignetur.*

ſtrarunt ſemper ordinate, quas ille viciſſitudines in quovis Seculo ſubierit, ſed frequentius rationes demonſtrandi & argumentationes, ex tabulis & ſcriptoribus antiquioribus hauſtas, poſitionibus, quas ſibi circa materiem effinxerant, mixtim & promiſcue ſubiecerunt; prout quæque primum in arenam incurrit. Piget prope & pœnitet referre, quod pauci inveniantur alioqui, qui id ſtudii genus ſunt ſectati, nec potiores adeo ex iis, Viri alias, uti laborioſiſſimi, ita nulla non laude infinito extollendi, levamentum attulere quoddam, vel medicamen, deſideriis in hoc noſtris, *Henr. Gunth. Thulemarius* puta, *Io. Mich. Heineccius, Io. Chr. Harenbergius*, e. ſ. p. Num ex Italis quispiam, aut Gallis, conſideratius proceſſerit in hoc & inſtructius, informari aveo.

XXXVI. Inter remoras certe, ne maiori cum profectu, ac incremento, eidem adhucdum licuerit incumbere, per ſe claret, unam fuiſſe ex exſtantiſſimis, *quod hactenus tabulæ Papales,*

(*) Dictio hæc ſenſum plane corrumpit, oportebitque loco eius exſtare *admiſſionis*, q. d. conſenſionis, licet haud abnuendum ſit, apud veteres admirationem quandoque æquipollere reverentiæ.

(**) *Miſnenſi.*

les, quæ uſque ad Seculum XI porrigunt, plerumque ex chartariis ſaltem & collectariis, aut apographis mutilis, atque truncatis, pauciſſimæ vero earum ex autographis, una cum annexis ſigillis, vel duntaxat clauſulis finalibus, ſigillationem factam ſignificantibus, typis ſunt traditæ, & publicæ luci innotuerunt. Hoc ſi fuiſſet ſecus, multo ſane facilius ceciſſet, dignoſcere & iudicare, quatenus convenerint ſibi, vel in quo etiam ab invicem diverterint, ſigna talia Pontificum, qui aut proxime legitimo ſuccedendi modo ſedem occuparunt Romanam, aut uno tempore ac in ſchiſmate regimini eccleſiaſtico ſe obtruderunt. Atqui, quoties tam nobili occupationi intentos non ingemiſcere perverſitati ac inopiæ iſti oportuit, & ingeminare illud; *Sigillorum veſtigia ferme ubivis deſiderari.* Iam, ſi inſuper addam, quod & alibi urſi, ſuppetere ſingulatim ex ſcriptionibus *Clementis* noſtri vix fragmenta nonnulla documentorum & umbras pauperes, nedum chartas in copia inſigni originarias, aut ceteroquin ex omni parte completas, ratio difficultatis & propemodum impoſſibilitatis, de Sigillis eius perfectum quid, perſpicuumque, ac emaculatum, prodendi, fit tanto patentior. Neque raritudo iſthæc prodigii inſtar cui videbitur, vel cedet perturbationi, qui ſecum reputarit, Papas *Mathildinos*, poſt exceſſum *Gregorii* extemplo obiectos, ubi ei moderamen Eccleſiæ ſemel e manibus extorſerunt, neutiquam acquieturos

fuiſſe,

fuiſſe, niſi & bullas ac privilegia, præcepta ac decreta, aliaque literalia monumenta, quæ ſparſim diribuerat, ſuſtuliſſent rurſum e medio, ſeu annullaſſent & irrita pronuntiaſſent, quousque auctoritate pertingere potis erat, adeoque præter ea„ quibus metus & præfeſtinatio, vel caſus ſingularis, tutum locum præſtitit, remanſiſſe, & in poſtera ſecula perduraſſe pauciſſima. Quapropter etiam in anteceſſum opus duco, peritioribus talium antiquitatum linquere liberum, ut, ſi tantum valent viribus, formulis *Clementinis* extra illam, quæ ſequitur, commodiorem epicriſin, vel exegeſin, pleniorem adiiciant.

XXXVII. Dum nempe Pontifex Maximus principio mentionem iniicit *Sigilli proprii*, præſcitu univerſim perquam eſt neceſſarium, Doctores Iuris Canonici, tum Diplomatiſtas & Antiquarios, non niſi advertiſſe triplex genus ſignorum, quibus Papæ ſubinde & alternatim, pro materiarum varietate, in Tabulis ſuis & Epiſtolis corroborandis ſueverunt uti. Et equidem inter hæc ferunt primas *bullæ plumbeæ* & bilaterales, quas olim utplurimum, poſthac ſolitarie, adhibuerunt, & hodieque adhibent in documentis cauſarum maiorum & graviorum ex Cancellaria Apoſtolica emiſſis, ac modo papyro, modo membrana, inſcriptis, nomineque Pontificis cuiuslibet auctoris notatis. Unde & ipſæmet chartæ, prout tulit argumenti diverſitas, audierunt *bullæ* aliquando *gratiæ*, alio tempore *iuſtitiæ*. Ab his deinceps diſcreparunt inſigniter,

&

& adhuc diſcrepant, ſigilla, *Brevibus*, quæ Italice vocantur, applicari ſolita, ceu tantum ex delineatione, a pluribus Auctoribus ſuppeditata, conficitur; ſiquidem Brevia iis definiuntur, quod ſint reſcripta, a Domino Apoſtolico in papyro, variante multum a bullæ ſcripturæ charactere, concinnata in negotiis minoribus, ac ſub impreſſione *annuli piſcatoris* in cera rubra expedita, a Secretarioque ſaltem ſubſignata. Indiciam talem e. g. lego parum immutatam apud *Petrum Gregorii*, *Zeg. Bernardum van Eſpen*, *Io. Theod. Sprengerum*, & *Thulemarium*. Rurſus cupidum de annuli figura & ſculptura exteriore fuſius inſtruxerint *Raynaldus*, apud *Allatium*, *Io. Andreas Schmidius*, atque *Heineccius*. Tertiam ſtandem ſpeciem conſtituunt, cum prioribusque nullam ſimilitudinem habent, *ſigna*, quæ Papæ *literis privatis*, ad conſanguineos, vel familiares alios, exaratis, addere conſueverunt, teſte utpote *Io. Mabillonio*, ſymbolis duntaxat, ſive armis gentilitiis, prænotata. Penes cuncta autem & ſingula, tum ratione ortus, tum mutabilis uſus cuiusque inſecuti, cautela ac exceptio plus quam una teneri meretur. Quemadmodum namque Bullæ ceteris antecedunt vetuſtate; ita olim Brevia quoque promiſcue & perpetuo plumbo inſignita fuerunt. Viciſſim conſtat ex *Mabillonio*, annulum piſcatorium initio inſerviiſſe nude inſtar *ſecreti*, vel *ſigneti*, quod appellatur, atque ad privatas epiſtolas firmandas communiter conduxiſſe. Quid, quod

coli, vocari in dubium, & palam augmentari, poſſet. Etenim, uti ex ætate duntaxat *annuli piſcatorii*, ibidem incidenter detecta, diiudicare licet, hic ipſe tunc nondum ſuevit literis privatis, nedum brevibus, applicari.

XXXIX. Inſuper in *Clementinæ* fine, intuitu memorati ſigilli *evidentioris*, momentoſum eſt omnino, Pontificem prætextui ſumere, quod nunc ideo ſibi adſciverit illud, ut Dux Bohemorum detrectaret eo minus, reſponſioni ſuæ & ſcriptæ animi explicationi *evidentiſſimum itidem, ac recens fabrefactum conceſſionis, ſeu admiſſionis, ſignaculum adiicere*. Locutio ſane, uti vere notabilis, & in receſſu plus habens, quam primo adſpectu viſum, ita tanto altius rimanda! Usquehac enim Dux in ſigillis ſuis procul dubio litans ſimplicitati, parum magnificentiæ oſtentarat, non ut æque duxiſſet, ſe teneri Eccleſiæ, vel provinciæ nutanti ſubvenire, remque ſuam ſimul agi,

— — *paries cum proximus ardet,*

ſed quia mos cum fumoſis imaginibus receptus plerorumque ſui ordinis tunc aliter non ferebat. E diverſo iam Papa ipſum requirebat quaſi, & excitabat aſſignum maius & elegantius aſſumendum, ut, quando ſub hac conſpiceret ſeſe ad maieſtatem expreſſius compoſitum, recordaretur, pacatoris in ſacris officium eſſe tale, quod ipſi incumberet in terra per Cæſarem ſpecialius commiſſa, cumprimis exantlandum. Quamobrem

rem neque fallar, ſi ex huiusmodi poſtulato Papali & prætenſa intentione concludam, mutua hac & ſingulari ſigillatione eundem nil aliud quæſiviſſe, quam ut epiſtola utriusque in cauſa *Miſſenenſi* commodaret inſtar arcanæ *aſſecurationis* & pollicitationis reciprocæ; ſe utrinque a candidato nominato, & propediem eligendo, nolle unquam diſcedere interceſſione ſua, atque autoritate, nec eapropter opus foret, contractum erigere ordinarium, ac ſecundum omnes iuris formulas, vel regulas, ſolennes peculiariter abſolutum. Anceps namque alias & ſumme periculoſa erat actio, unde Imperator, culpa factionis *Gregorianæ* nuper mirum quantum laceſſitus, neque adhucdum mitigatus, facile iterum lædi, eiusque prærogativæ inſtituendi Epiſcopos novum & latius ſerpens præiudicium generari, poterat. Verum claudo hac vice rivos; nec ſatis conditos diſcurſus; imbecillitatisque licet meæ ac ſenectæ vexatiſſimæ optime conſcius; Lectorem manſuetum *Henrici*, Archi-Epiſcopi Magdeburgenſis, ad eundem Principem Epiſtolam, ſimilibus gloſſematibus & obſervationibus hiſtoricis adornatam; quamprimum iubeo exſpectare.

IV.
IO. CHRISTOPH. HARENBERGII ENODATIO QVAESTIONIS, CVR PRINCIPES COMITESQVE SCHWARZBVRGICI APPELLATI SINT EIN DERER VIER GRRAFEN DES REICHS, EINER AVS DENEN VIER GRAFEN DES REICHS, DER VIER GRAFEN DES REICHS.

I.

Appellatio hæc ex Seculo XV iam inhæret domui Illuſtriſſimorum Comitum ac Sereniſſimorum Principum Schwarzburgicorum, ac perſiſtit in hunc diem illibata. Appellationem eam confirmarunt *Maximilianus I* Imperator A. 1518 Comitibus *Gunthero*, *Henrico*, & *Balthaſaro*; *Maximilianus II* Comitibus A. 1566 in Comitiis Auguſtanis; *Rudolphus II* A. 1576 in Comitiis Ratisbonenſibus; *Matthias* A. 1612; *Ferdinandus III* A. 1638. Diplomata, quæ adhuc exſtant, huius confirmationis teſtes ſunt luculentiſſimi.

II. Ratio denominationis in hunc usque diem latet. Exſtitiſſe modo quatuor Germaniæ Comites tempore eodem, contendit nemo. Quatuor imperii Comites reliquis præfuiſſe, & ſolos munera imperii obiiſſe, nemo dixerit. Electores dicti fuerunt Sexviri, Septemviri, Octoviri, Novemviri. Duces ad numerum definitum adſtrictos fuiſſe unquam, negant monumenta hiſtorica. Comites Schwarzburgici non fue-

fuerunt dicti *Comites quatuor*, ſed *ex Comitibus quatuor*. Quisque Comes Schwarzburgicus dictus fuit *unus ex quatuor Comitibus imperii*. Illuſtriſſima Comitum tantorum gens dicta fuit *una Comitum quatuor Imperii*.

III. Supereſt igitur rationis nihil, excepta hac una, quam expromere liceat. Indicatur hoc, niſi fallimur, ea appellatione, Comites quatuor modo, eosque familiarum quatuor, ad imperatoriam dignitatem fuiſſe evectos. Qui Imperatorum ſeriem inde a *Carolo Magno* percurrunt, ii incidunt in Imperatorum, Regum, Ducumque, filios ſat multos, qui fuerunt Reges Germaniæ atque Imperatores electi. At Comitum filiis raro hic honor contigit. Sunt in hoc numero tantum *Wilhelmus*, Comes Hollandiæ ac Selandiæ, deinceps *Adolphus*, Comes Naſſovicus, poſt *Rudolphum*, Habsburgicum Comitem, ac tandem *Henricus*, Comes Luxemburgicus, nec non *Guntherus*, Comes Schwarzburgicus. Ex horum numero *Adolphus* eſt eximendus, ſiquidem nec rite ſatis fuit electus, nec cauſam ſuam propugnare valuit. Principes univerſi paulo poſt electionem eius ipſum deſeruerunt; & *Albertum* vindicavit conſenſio procerum ſubſecuta. Reſtant ita Reges Romanorum & Imperatores modo quatuor, ex Comitum familiis electi. Principes igitur Sereniſſimi Schwarzburgici, ac eorum progenitores, omni fulgore coruſcantes, fuerunt dicti gens *Comitum quatuor imperii*, una ſtirps *ex illis quatuor Comitibus Imperii*, qui imperiale dia-

demia fuerunt conſecuti. Apellatio illa obſcurius fuit expreſſa, ne illuſtriſſimæ familiæ Comitam Naſſoviorum, omnino ſummis meritis perpetuisque ſplendoribus eminentium, iniuria fieri videretur. Dedimus coniecturam, non demonſtrationem usquequaque abſolutam; nunquam a pietate & obſequio erga Sereniſſimas Germaniæ domus alieni.

V.

IO. IAC. REISKE CONIECTVRARVM AD HERODOTVM

PARS V, QVAE EST VLTIMA.

LIBRO IX.

Pag. lin.

509, 19, ὀυδὲ ὦν ἰέναι, *non ergo ire ulterius* (ſcilicet συνεβούλευον, *ſuadebant*, quod a communi repetendum,).

509, *ult.* ἰσχυρὰ ſunt *pertinacia*; *cedere & flecti neſcia*, ut *pag.* 525, 41.

510, 19. προέχων debet ſignificare *iam antea experimentis cognitum & exploratum habens*, animos Athenienſium exaſperatos & amicis ſuaſionibus inacceſſos eſſe. Id autem num ſignificare poſſit, eaque ratione defendi, valde dubito; & permitto peritioribus iudicandum. Simplicius certe atque vulgatius eſt προειδὼς; quod aliquando conieci; aut ſaltem προαπέ-

ἀπέχων. Græci uſurpant interdum ἀπέχειν pro *abire cum aliqua re, nactus aliquam rem ſibi habere.*

511, 28, γέμεται) forte ἔγνωσαι. Etiam inſolens eſt ἐπὶ hic loci pro πρὸς poſitum.

511, 35, ἡμῖν ἐπὶ τὸν Πέρσην ἀνλιάσεσθαι, aut ſaltem τῷ Πέρσῃ.

512, 15. Si recte habet ἕνα, neceſſe eſt, aliquid excidiſſe, e. g. προσιὼν, *accedens ad unum aliquem*, aut παραλαβὼν, *ſeorſim ſumens*, &c. aut legendum eſt ἑνός. Non enim πυνθάνεσθαι τινα dicitur, ſed τινὸς, *ex aliquo ſciſcitari*, τὸ ζητούμενον, *id, quod cognoſci deſideratur.* Verum potuerat hic loci *Gronovius* tuto ſuum Codicem Mediceum ſequi, qui ἕνα non agnoſcit. Ille vero, probis lectionibus, quæ in promtu erant, ſepoſitis, quam ſæpe ſordes librarii & quiſquilias novæ Græciæ puriſſimo Muſarum vati affrixit! Non ad unum Ephorum hæc dixiſſe *Chileum*, ſed ad omnes, non cum uno eum Ephoro, ſed cum omnibus, egiſſe, patet e *lin. 17.* Etiam *Plutarchus* locum hunc, ſi non verbo tenus, ita tamen citat *p. 1601, 15, de malignitate Herodoti*, ut ſatis pateat, eum ἕνα non agnoviſſe.

514, 20, παρὰ (pro περὶ).

514, 34, forte κλιθῆναι. Nam alterum, quamvis non improbabiliter defendi queat, αὐτὸν ſubintelligendo, nempe Attaginum, ſcabrum tamen & hiulcum facit ſermonem.

514, 17, σφόδρα videtur a librario profectum eſſe, eam vocem pro μεγάλως, ut æquipollentem, ſubſtituente. Verum una lectio tantundem vale, atque altera. Corruptæ enim ambæ ſunt. Multo tamen aptior vetuſta, quam nova, lectio ad indagandam *Herodoti* ſcriptionem, quæ mihi quidem videtur μετ' ἄλλων eſſe. *Nam & hi cum aliis ſequebantur Perſæ partes.*

516, 2, diſtinguo: ὀπίσω. Ὡς γὰρ —, *ſic enim præceperat ipſis Mardonius* (ὡς pro οὕτως, ut paſſim,) ὅτε αὐτέων — *neque voluerat ipſos laceſſi* &c. Conf. *p.* 523, 27.

516, 44, νῦν δὲ, εἰ —.

517, 38, ἀπονοστήσαντες.

518, 7, poſt ἐποίεον eſt lacuna. Ait *Herodotus, Græcos Maſiſtii cadaver in curru expoſitum præter cohortes in acie ſtantes traduxiſſe: cadaver autem fuiſſe dignum ſpectaculo, tam proceritatis, quam reliquæ formæ, cauſa. Et ob hoc ipſum* (ut tanti viri, tam proceri, tam pulchri, corpus ſpectaretur,) *Græcos id feciſſe,* (nempe *traduxiſſe per acies*) τῶν δὲ εἵνεκα καὶ ταῦτα ἐποίεον. Iam ſequitur immediate hians hæc oratio: ἐκλείποντες τὰς τάξιας — *relictis ordinibus ſuis, accurrebant ſpectatum.* Liquet deeſſe τῶν δὲ οὐκ ἐν δυνατῷ ἦν. *At, a quibus bene conſpici* (propter diſtantiam & multitudinem coram ſe ſtantium) *non poterat, illi, excedentes e ſuis ordinibus, accurrebant ſpectatum cominus.* Aut pro verbis τῶν δὲ εἵνεκα καὶ legendum τῶν δὲ ἑκαστέρω, *a quibus autem re-*

motius hæc peragebant Græci illi excedentes &c.

519, 42, τὰς ἀποθήκας) Aut plane delendæ hæ duæ voces, ut prava imago ſequentis probæ lectionis τὰς ἀπὸ Θερμώδοντος, aut legendum τὰς ἐπὶ Θήσεως ἀπὸ Θερμώδ —.

521, 6, forte Σπαρλιήτην.

522, 36, λεῷ σφέτερον, diviſis vocibus.

523, 2, ἀνετίμα) *il encherit, intendebat pretium ſui*, copiam ſui ipſis faciebat, ſed duris propoſitis conditionibus. *Er ſpannte die Saiten hoch.* Eſt idem, atque ſequens ἐπορέγεται *lin.* 23.

523, 15, αἰτεόμενον. Redit enim ad præcedens Μελάμποδα. Regnum enim, & ſimul civitatis ius, non *Tiſamenus*, ſed *Melampus*, ſibi pepigit. Quodſi vero dubium ex eo naſcatur, quod *Herodotus regnum & ius civitatis* iungit; non autem probabile eſt, unum ab altero ſeiunctum fuiſſe: (rex enim urbis, quales illi antiqui erant, ſimul etiam eo ipſo erat civis;) neque demonſtrari poteſt, *Melampodem* una cum regno ſibi quoque ius civitatis apud Argivos poſtulaſſe: non poteſt aliud reſponderi, quam mutilum eſſe præſentem *Herodoti* locum, & probabiliter ſic ſcribendum: Ταῦτα δὲ λέγων, οὗτος ἐμιμέετο Μελάμποδα, ὡς ἐκεῖνος βασιληίην, οὕτω καὶ αὐτὸς πολιτηίην αἰτεόμενος. *Id autem flagitando, imitabatur Melampodem, eodem modo, ut hic ſibi regnum paciſceba-*

ſcebatur, ita ipſe quoque ſibi ius civitatis paciſcens.

523, 20. Coniiciebam aliquando ἀπιόντων ex *lin. 6.* Sed video iam, vulgatam æque bonam eſſe. *Decedentibus Argivorum legatis e Pylo, quo miſſi ad Melampodem fuerant.*

524, 5, πεσόμενος.

524, 11, ταρσὸν) Recte ſic appellat *Herodotus tarſum*, quod Anatomici errore, ſed antiquo, *metatarſum* appellant. *Metatarſus* in homine nullus eſt; aut, ſi eſt, ſunt oſſa calcanei & tali, atque contigua, quæ *tarſus* imperite appellantur. Supra ad *Lib. I pag. 72* expoſui, quid *tarſus* ſit Græcis. Neque tantum in pede *tarſus* eſt, totum nempe illud, quod ab oſſe tali & ceteris articulantibus cum crure protenditur, ipſis digitis pedum comprehenſis; verum etiam eſt in manu *tarſus*, totum nempe illud, quod ab oſſibus carpi inde protenditur; metacarpus vulgo cum ipſis digitis. Retinenda tamen ſunt, quæ uſu inoleverunt, nomina. Quod monui, tantum eo pertinet, ut præſens *Herodoti* locus intelligeretur.

524, 26, συγκεκρημένον, *commixtum, confuſum, ſociatum, iugatum, connexum.* Novi, σύγκυρεῖν in activo dici; συγκυρεῖσθαι non memini. Conf. *Dionyſ. Halicarn. pag. 346, 4, 684, 6.*

525, 38, ἀνακινδυνεύσειν. Propter præcedens παραδώσειν.

525, *pen.* Quid ſibi velit βιάζεσθαι, non video, &, ut verum fatear, ex hoc loco me non expedio;

pedio; neque permultum tribuo conjecturæ meæ. Proponam tamen eam iudicio peritiorum, ſi quid forte melius eliciant. Patet ergo e ſequentibus verbis, ἀλλὰ νόμῳ τῶν Περσέων χρεωμένυς, *ſed utentes nos more Perſarum*, (id eſt, absque conſultatione victimarum,) *committamus prælium*, in μηδὲ βιάζεσθαι latere aliquid, huic e directo oppoſitum. *Sinamus*, ait, *Hegeſiſtrati extiſpicia multum valere, neque* (id flagitat ſanum ratiocinium,) *curemus mores peregrinos*, nobis non patrios, *ſed, utentes more Perſarum, confligamus*. Quid ſi ergo *Herodotus* μηδὲ ἰάζεσθαι ſcripſerit? Facile potuerit β per ſimilitudinem cum proxime præcedente litera ε irrepſiſſe. Et potuit Mardonius *Ionum moribus uti* dixiſſe pro *Græcorum moribus uti*, per contemtum. Iones enim a Perſis, ut gens ſubacta, ſervilis, & effœminata, contemnebantur. Sed obſtat huic coniecturæ argumentum non leve, ἰάζειν in activo, non in medio, dici. Quid iam dicemus? Hoc nempe, me facile paſſurum, ſi coniectura hæc in cenſum non veniat. Id tamen video, aut corruptum eſſe βιάζεσθαι, aut aliquid excidiſſe. Interpres ita vertit Latine, ut demonſtraret, ſe præcedentem vocem σφάγια ſubintellexiſſe. *Hegiſiſtrati auſpicia valere ſinere, nec eis vim afferre.* Doceri autem velim, quomodo quis extis, vel auſpiciis, vim inferat. Non certe meliora fiebant, eo quod quis victimas præcipitaret, unas ſuper alias mactando, neque Dii (loquor ex mente Græcorum)

ſinebant fatalia ſua decreta ſacrificiis expugnari & inverti. Si βιάζεσθαι hoc eſt, *ſuum ardorem pugnandi cohibere*, aut *milites, in arma ruentes, reprimere*, deeſſe, liquet, aut ἑαυτοὺς, aut τοὺς στρατιώτας. Nam βιάζεσθαι, ſic nude poſitum, non ſignificat *vim ſibi inferre*, ſed *alteri ſe violentum monſtrare*. Incidit nunc, num forte *Herodotus* μηδὲ δειλίῃ ἵζεσθαι ſcripſerit, *neque ſegnes deſideamus præ pavore*; aut ſaltem δειλίῃ, ſi quis omnino nolit *Herodotum* aliter, quam Ionice, loqui.

529, 9, forte ἐόντων, ἄλλο τι μᾶλλον.

531, 42, συνῄδετε (vulgo συνῄδειτε,) *quibus aliquarum actionum*, quas in ipſis videratis, qualiumcunque tandem, *eratis conſcii*.

533, 28, κατέβαλλον.

533, 45, in πᾶσι latet aut καὶ Σπαρτιήτῃσι, aut nomen alius alicuius gentis Peloponneſiacæ.

533, *ult.* forte ἐν ὁμούρῃ τῇ Θηβ — in *contermina regione Thebana*. Si voluiſſet *Herodotus* id dicere, quod interpres dedit, ſcripſiſſet ἐν μοίρῃ τῆς Θηβαΐδος. Quid, ſi tamen in μοίρῃ nomen proprium lateret?

536, 33, κατήμενος, *ſedens*. Itane vero in ipſa *acie & pugna ſedebant*? Pertinetne ad *Pauſaniam*? Sed neque ſedentes faciebant ſacra. Non expedio. Si rectum eſt, debet reddi non per *ſedens*, ſed *collocatus*. Καθήμενος pro καθειμένος, *demiſſus, poſitus, conſtitutus*.

537.

537, 16, ἐπιπίπἸοντες. Et id quoque interpres aut habuit in ſuo Codice, aut voluit ſaltem exprimere. Si voluiſſet *Herodotus* eos hoſtium ſignificare, qui ſubito impetu profecti ultra ſuorum aciem irruunt in adverſam, & ex ea ſurripiunt celeriter & ſuffurantur, quos poſſunt, dixiſſet potius ἐξενεχθέντες.

537, 38, καὶ αἱ ἀμφ —.

540, 22, aut τοῦδε, (ſcil. τοῦ χρόνου,) aut τῶνδε (ſcil. χρόνων, vel πραγμάτων,).

540, 23, σάρκας, καὶ συνεφόρεον &c.) cohæret illud καὶ cum εὑρέθη.

541, 5, δή) Parum quidem intereſt, δὲ, an δὴ, hic loci legatur. Habet tamen prius *Plutarchus de Malign. Herodoti pag.* 1603, 6, & *Herodoti* mos eſt, ipſi peculiaris, ut μὲν in eodem colo iterare, ita quoque δὲ.

541, 44, ἐπεποίθεσαν, *confidebant*.

543, 17, οἱ μὲν ἄλλοι ἀπέπλεον &c. Videtur quoque *Herodotus* ſibi contradicere, & iis, quæ *lin.* 12 dixerat. Sed videtur tantum. Nam potuit *Leutychides* mentem mutaſſe.

543, 35, κατακοιμίσαντες, & ſic deinceps, quoque κατακοιμίσαντα *lin.* 43.

543, *ant.* ἐγίνετο, ἔπεα τε *fiebant* (veniebant, edebantur,) *ipſis tam Dodonæ, quam Delphis*, πρόφαντα, id eſt, *oracula*, χρηστήρια, ἃ προέφαινον οἱ θεοὶ αὐτοῖς, *quandoquidem conſulebant prophetas*, vel *vates*, *qui ibi erant*, *de cauſa hujus mali*.

544, 37, ἐξελάμβανε &c.) Senſum his verbis non ineſſe, quem ipſis tribuit interpres, bene novi. Quis autem inſit, dubito; puto tamen, hunc eſſe: *Sinebat ſibi a tota Græcia mandari opera,* (qualia nempe vatem decent,) *pro tota Græcia perficienda;* id eſt, edebat Græcis oracula, quaſi ea *Eubenii* eſſent, cum ſua eſſent, & *Eubenius* ad ipſum nihil pertineret; & perficiebat ipſis ſacra, mercede conductus. Notæ voces ἐργολαβεῖν, accipere mandata ſibi ab alio, & a ſe perficienda opera, ſuam operam alicui locare, ἐργολαβία, ἐργολάβος, &c. Ἐπὶ τὴν Ἑλλάδα eſt in rationem totius Græciæ, ut tota Græcia ex ærario ſuo communi operam eius ipſi compenſare, *au conte de toute la Grece.*

545, 1, forte ὅκως σωθέωσι, (*qua ſeſe reciperent* ſub — id eſt, σωθῶσι, &c.

545, 20, ἐπιδεκόμενοι, *exſpectantes.* Eſt idem, ac ſi dixiſſet παρεσκευασμένοι γὰρ ἦσαν ἐπ' ἀμφότερα, ἐκδεχόμενοι ἀμφότερα.

546, 34. ὃ delendum.

546, *ult.* ὧ;) forte τῆς. prælium, *cuius* præmium propoſitæ in medio iacebant inſulæ & Helleſpontus.

547, 33, vix videtur αὐτῶν poſt ϛρατηγὸς abeſſe poſſe.

548, 29. Durum eſt nonnihil γενέσθαι poſt Πελοποννησίοισι, a communi repetere. Ego potius credo, aut ante aut poſt, hoc nomen excidiſſe ἐπέτρεπον.

549,

549, 41, ἡ δὲ (κακῶς γὰρ—γενέσθαι) πρὸς—.

550, 15, τέλειον) Non intelligo Perſice. Et forte recte habet hæc interpretatio; quamvis eius ratio mihi non conſtet. Probabilius tamen ſit, feſti nomen fuiſſe ἐπέτειον, *annuum*. Sed contineo me. Feſti enim omnes dies annui ſunt. Requiritur autem, nomen huic fuiſſe peculiare.

550, 36, ἄχρηστον hic non eſt *inutilem*, ſed idem atque οὐ χρηστὸν, *non bonum, non gratum, non amicum*. Fateor tamen, eius vocis hunc uſum oppido rarum eſſe.

550, 45, ᾔσαν.

552, 23, ἀφύκτως) Dat bonum, & elegantem quoque, ſenſum. *Obruebant ipſum, in tali rerum ſuarum ſtatu cum eſſet, ut effugere nequiret*. Videntur tamen antecedentia ἀφυλάκτως flagitare. *Obruebant ipſum ſecurum.*

553, 29, aut σανίδι leg. aut ἐς σανίδα.

553, 45, πλέοσι) forte πᾶσι.

554, 8, οἴχοντο ἀποστάντες idem eſt, atque ἀπέστησαν, vel οἴχοντο ἀποστῆναι, *ibant defectum a ſua ſententia*, ibant ſententiam ſuam deſertum; id eſt, deſciſcebant ab ea.

VI. EIVS-

VI.
EIVSDEM
AD PLVTARCHI OPVSCVLVM
DE
MALIGNITATE HERODOTI CONIECTVRAE.

Cito editionem *Henrici Stephani* in forma octava.

Pag. lin.

1570, 17, Forte καὶ δὴ καὶ τὸ ἧθος.

1570, 20, μακρότερον) Si κλοῖος eſt ille fuſtis, quem rurales noſtri canes magna ex parte de collo alligatum inter crura trahunt, bene habet μακρότερον. Quantum tamen e locis, in quibus κλοιὸς occurrit, & quorum nunc memini, colligo, eſt potius collare, quale etiam canes interdum gerunt, radiis ferreis præmunitum. Si hoc eſt, non quadrat μακρότερον, ſed potius βαρύτερον.

1570, *ult.* λαβόντας idem eſt hic loci, atque μαθόντας.

1571, 10, δεύτερον, εἴ τῳ, *ſi cui.*

1571, 22, ἔτι δὲ πρὸς τοῖς ἐπαίνοις, *& præterea quoque, panegyricis*, vel *encomiis.* Πρὸς hic loci ſtat per ſe, neque cum ſequente voce iungi debet.

1572, 6, λέγειν.

1572, 7, forte δίκαια πως λέγεσθαι. *At rerum dubiarum eæ merentur potius narrari, quæ bonæ & præclaræ, quam quæ ſecus ſunt.*

1572, 12, ἐπὶ τὰς αὐτὰς ἐλπίδας.

1572,

1572, 14. Huic ei reſpondet ſequens ἄδηλον *lin.* 4 a fine, & ſequentia ab ὥσπερ inde illuc omnia parentheſi concludenda.

1572, 20, ἐθελήσαντας non habet verbum, quicum conſtruatur. Non enim ad ὑφεῖσθαι pertinet. Videtur itaque *lin.* 19 χρῆσθαι poſt μᾶλλον excidiſſe.

1573, 3, forte γράφοντες ἐπὶ πίναξιν.

1573, 7, forte ἔτι τοίνυν ὁρῶντες τὰς πολλὰς τοῖς ἀπ' εὐθείας καὶ ἐθελοντὶ κακῶς λέγουσι, — *Præterea videntes, hominum pleroſque moroſitatis accuſare illos, qui rotundis verbis & deſtinato conſilio aliorum vitia detegunt, & in publicum proferunt.*

1574, 4, τόν τε. Eſt vitium, ut videtur, typographicum. Edil. Baſil. quoque τὸν habet.

1574, 13, ἐχειρώσαντο) Hic deeſt nomen eorum, qui id fecerunt, οἱ Καρχηδόνιοι.

1574, 17, ὑπὲρ pro ὑπὸ.

1575, 4) Ex editione Baſil. colligo, *Plutarchum* ſcripſiſſe καὶ τὸ τὰς δώδεκα —.

1575, 9, πενθεῖν, ἃς δὲ, ὃ βούλεσθαι αὐτὸς ὀνομάζειν, ἀλλ' οἱ ἐυςόμως, *plangere atque lugere, quos autem* (ſcilicet *plangant & lugeant*) *nolle ipſe nominare, ſed ſanctum & purum os ſibi ſe ſervare velle ab infamatione & inquinatione Deorum per verba non ſancta,* id eſt, ſe nolle de Diis efferre non efferenda. Conf. *Herodot. p.* 111, 44, & 119, 1, & 139, 8.

1575, 12, pro καταγεγηρακότας eſt in edit. *Froben.* καταγηρακότας, quod non parum

rum facit ad eruendam veram lectionem. Etiamnum præcedentibus pendent illi accuſativi Ἡρακλέα & Διόνυσον. Conſtituo itaque hunc locum ſic: Ἡρακλέα δὲ καταλέγων καὶ Διόνυσον, ὃς Αἰγύπτιοι μὲν ἀποφαίνονται θεὸς, Ἕλληνες δὲ ἀνθρώπους, καὶ λυγροὺς δεδρακότας —. *At Herculem recenſens & Dionyſum* (vel *Bacchum*), *quos Aegyptii quidem aſſeverant Deos eſſe, Græci autem homines, multarumque hominibus calamitatum auctores; talem cautionem & pietatem atque reverentiam erga Deos non adhibet.*

1575, 24, τὸν γὰρ — ἀφῆκε) Hæc verba omnia parentheſi ſunt includenda.

1576, 11, γενόμενος: Conf. *lin.* 19. *Delatus ad eum locum, in quo memorabat ipſum, & oportunum erat eius res geſtas enarrandi.*

1577, 5, ἐν ταῖσι θυρεαῖσι καταχέησαθαι. Ita legendum ex *Herodoto pag.* 34, 4.

1577, 6, forte νείκημα, *litem, contentionem.*

1577, 10, ἐμμανῆ) Edit. *Froben.* ἀμανῆ, unde ἀμαθῆ facile fiat, quod forte rectius. Non enim tam ſenſus omnis & humanitatis expertem facit *Herodotus Crœſum*, ut ἐμμανῆ, *furioſum*, credas fuiſſe, ſed potius ἀμαθῆ, *rudem, ſimplicem, hebetem.*

1577, 14. Lego τῷ τοίνυν Κροίσῳ. Amat *Plutarchus* particulam τοίνυν initio novi argumenti, & iam aliquoties eam ſic offendimus poſitam.

1577.

1577, 15, αὐτὸν τοῦτον.

1577, 16, ἔργῳ. *Crœſo autem atteſtatus aliud præclarum nihil, quam hoc, eum Deos multis & magnis donariis honoraſſe, monſtrat, eum re ipſa fuiſſe hominum omnium erga Deos maxime impium.*

1577, 17, ἐν τῷ delendum. Deeſt quoque *Frobeniano* Codici.

1577, 20, τῶν γνωρίμων. Neſcio, quorſum accumulata tot iſodynama. Ἑταῖροι, φίλοι, γνώριμοι. Sed notabilius hoc. Pro τάφου eſt in *Frobeniana* νάφου. Propius certe ad veram lectionem γναφέως. Vid. *Herodotus pag.* 39, 14. Erat autem ſupplicium ἐπὶ κναφέως ἕλκεσθαι, *ſuper fullonia trabi* tale quid. Acervos tribulorum, vel carduorum, qui dipſaci appellantur, coniiciebant in aream, ſuper quibus pannos adhuc rudes & flocculentos horſum prorſum tractabant, ut decederet illis omnis ſuperflua & indecora lanugo. Super tali acervo, γναφείῳ, vel κναφείῳ, curabat *Crœſus* hoſtem ſuum ad mortem usque tractari.

1577, 24, δικαίου.

1577, 25, αὐτὸς legendum. Neque tamen ſic ſatis perſanatus eſt hic locus. Deeſt enim aliquid, ad quod ἀφθονίαν redeat. Num ἀφθονίαν γὰρ κακοηθείας παραδειγμάτων αὐτὸς ἐν τοῖς, &c. *Curavit enim ipſe, ut in narratione de rebus Græcorum ſatis & abunde ſuæ malignitatis exemplorum haberemus.*

1578, 7, παρασκευάζεσθαι τῷ Μαζάρῃ ἐπὶ μισθῷ ὅσῳ δὴ — ὐ γὰρ ἔχω, φησὶ, τῦτό γε εἰπεῖν ἀτρεκέως. Εὖγε τὸ μὲν μὴ διαβεβαιῦσθαι &c. *Voluiſſe Mazaræ tradere pro certa quadam mercede. Non enim, ait, exacte novi, quanta ea fuerit. Præclarum profecto facinus, hinc quidem nolle certe definire mercedis quantitatem, ut ignarum; illinc autem urbi Græcæ* (Chio) *tantam infamiam* (quantam ſtatim narrabit,) *adſpergere, ut rei geſtæ certum & quam maxime peritum.* Conf. *Herodotus pag.* 65 init.

1579, 1, Ξενάγυ. Non ſuccurrit nunc Xenagi urbis memoria, neque vacat, Auctores hac de re conſulere. Apud *Herodotum* invenio *Lygdamin* aliquem ἐκ Νάξυ, *Naxium.* Hiſtoriarum ſtudioſi velim quoque in ſequentia virorum nomina inquirant apud veteres Scriptores.

1579, 14. Coniiciebam aliquando φασὶ, ſcilicet *homines, vulgus.* Sed ſolent Græci promiſcue modo φασὶ, modo φησὶ, dicere. In poſteriore ſubintelligitur ἡ παροιμία.

1579, 22. Facile eſt παρατιθέντες coniicere, quod & mihi aliquando contigit. Si tamen recte reputes, neque περιτιθέντες caret ſpecie. Locus, ad quem hic reſpicit *Plutarchus*, (non enim ipſa verba citat, ſed rei argumentum tantum exponit,) eſt penes *Herodotum pag.* 179.

1579,

1579, 24, καὶ, νὴ Δία, τοῦτο &c. Alias συμπαρωξύνθαι legendum eſſet; verum prius, rectius.

1579, 28, ἀνελόντας. Patet ex *Herodoto pag. 181, 23.*

1580, 29. In edit. *Froben.* eſt τῶν τυράννων ἀεὶ, unde aliquando efficiebam τῶν ἀεὶ τυράννων, *a tyrannis identidem, modo hoc, modo alio, regnantibus.*

1581, 9, κακῶς. Quid hoc ſibi velit, non exputo. Conieci varia: καὶ κρυφίως, aut περιϊὼν, aut παράγων. Quicquid ſit, aut corruptum eſt, aut deeſt λέγει, *calumniatur ipſum*, κακῶς λέγει. Sed neque ſic nude poſitum κύκλῳ pro κύκλῳ περιϊὼν, aut περιάγων, ſatis placet.

1581, 19, παρέξειν. Vid. *Herodotus pag. 318, 40.*

1581, 25, εἴπας. Pendet hic nominativus a præcedente φησὶ *lin. 16.*

1582, 6, ᾔδει γὰρ ὡς ἠθροίσθησαν, (vel ἡλίσθησαν, aut συνῄεσαν,) περὶ &c. *Norat enim, eos conveniſſe* (ſeſe congregaſſe) *apud Ioniam, ſeditionibus adverſus regem Perſarum conturbatam, &, cum navigaret verſus ipſos a Phœnicia in Ioniam claſſis regia, hunc eos extra mare, quod Ioniam alluit, evectos obviam iviſſe, claſſemque iſtam in Pamphylio mari deviciſſe.*

1582, *ant.* οὐ κατ᾽ εὔνοιαν οὕτω τῶν Πλαταιέων. Ita eſt apud *Herodotum pag. 368 lin. pen.*

& debet quoque eſſe. Nam alias manca eſt oratio.

1583, 1, *παραχρουσθέντες*. Eſt ſimile illi, quod vulgus noſtrum ait, *iemand über den Tælpel ſtoſſen, argutis ſtrophis aliquem circumvenire, palpum alicui obtrudere*.

1583, 8, *ἕκτη*, *die ſexto*.

1583, 16, *ἐούσης*. Turbat hæc vox, & melius abeſſet. Et abeſt profectò editioni Baſileenſi, ſeu *Frobenianæ*; in qua cum locum hunc legerem, aliud nihil, quam aut *καὶ*, aut ſaltem comma, inſerebam poſt *μηνός*. Quodſi vero nolimus *ἐούσης* prorſus eiicere, debet in *ἐοῦσαν* mutari, hoc ſenſu: *Tu*, Herodote, *transfers τὴν πανσέληνον, lunam plenam in menſis initium, quæ* (luna plena) *tamen διχομηνίας, medii menſis, eſt*, ad medium menſem pertinet. Egit hoc de loco Clariſſimus Vir, de Græca Hiſtoria meritiſſimus, *Eduardus Corſini*, in *Faſtis Atticis Tom. I pag. 62*.

1583, 18. Poſuerunt hic alii aſteriſcum, *Stephanus* vacuum ſpatium reliquit, tanquam aliquid deeſſet. Ego vero nullum hic defectum obſervo. Bene fluit & cohæret omnis oratio.

1583, 25, *ἀνάγειν*. Legendum *ἐνάγειν*: non ſiviſſent *Herodotum* inducere, introducere in hiſtoria ſua, *Pheidippidem*, *Φειδιππίδην* (ita enim exſtat apud *Herodotum pag. 367 c. fin.*). Forte quoque ſcripſerit *Herodotus ἐνάγειν. ἐνάγειν τὸν Φειδιππίδην* &c.

1584.

1584, 3, *Φησὶ*. Non ſane *Herodotus*, qui de illo annuo capellarum ſacrificio, *Minervæ* ab Athenienſibus facto, quantum equidem memini, non memorat; neque cæſorum apud *Marathonem* Perſarum numerum perhibet *innumerabilem*, ἀναρίθμητον, ſed, dum claris verbis *pag. 369 lin. 42* ait, cecidiſſe tum a parte barbarorum ſex mille & quadringentos homines, eo ipſo καθεῖλε, deſtruxit, & ad nihilum redegit, famam de plena Athenienſium victoria, & de cæſis ab eorum manu millibus hoſtium innumerabilibus. Patet ergo, aut nomen Hiſtorici, e quo hæc relatio deſumta eſt, excidiſſe, aut *Φασὶ*, *dicunt*, *aiunt vulgo*, legi oportere.

1584, 8, ἴδωμεν τὰ μετὰ τὴν μάχην.

1584, *ant.* Forte ſic ſupplenda hæc lacuna: τῶν ἀνδρῶν (οἵτινες οὖν οὗτοι ἦσαν) προδιδοῦσιν αὐτὴν ἀπεγνωκότες τὴν πόλιν. *Præcipui autem & ſpectatiſſimi cives, (quicunque illi tandem fuerint,) deſperata ſuæ urbis ſalute, Perſis eam produnt.*

1585, 8, ἐγκλήματα λύει, καὶ οὐκ ἐνδέχεται τὸν λόγον. Sic ſanatus, & ſimul a lacunæ ſuſpicione liberatus, erit hic locus.

1585, 10, δὲ delendum, patet ex *Herodoti pag. 371, 6*, quo locus hic reſpicit.

1585, 11, κόμματος — μέλλεις. Hæc verba mihi quidem Apollinis Loxiæ oraculis obſcuriora ſunt. Non exarieo.

1585, 25. Locus hic corruptus eſt, ut liquet; & variis modis poteſt tentari; quorum hic mihi videtur optimus & ſimpliciſſimus. Ταραχὰς. τῇ δ' Ἀλκμαιωνιδῶν διαβολῇ καὶ ὑπονοίᾳ τοῖς Καλλίου τοῦ Φαινίππου ἐπιχειρησάμενος ἐπαίνοις. *Et hæc quidem tantis contradictionibus perplexa & conturbata ſunt. In eo autem, quod poſt calumnias & ſuſpiciones, Alcmæonidarum genti adſperſas, in laudes Calliæ excurrit, — teſtatum facit, ſe* &c.

1585, *ult.* ἀξιώσαντας δὲ ἡγεῖσθαι, ὡς (id eſt, ὅπως) μὴ — *ducatum autem ſibi depopoſciſſe, ne ſcilicet Lacedæmoniis ſubeſſent, nulla vero alia de cauſa: comminiſcitur & ſuggerit ille malitioſiſſime excogitatam hanc.*

1586, 3. Hic locus ex *Herodoti p. 429, 18,* ita eſt emendandus: ἐπεὶ δὲ σφέας παραλαμβάνειν τοὺς Ἕλληνας, οὕτω δὴ ἐπισταμένους &c.

1586, 17, προσεῖναι) Coniiciebam aliquando, πάρος εἶναι, *eſſe pro*, ſed inſpiciens ipſum *Herodoti* locum, quem *Plutarchus* hic reſcribit, (eſt autem *pag. 430 lin. 5,*) invenio εἶναι πρό.

1586, 19, τὰ χρώματα. Unde habuerit *Stephanus* hanc lectionem, ex ingenio, an veteribus libris, non novi. Vitioſa procul dubio eſt. In *Frobeniana* exſtat alia, vitioſa quidem & hæc, ſed quæ tamen viam ad veram emendationem monſtrat. Lego enim ibi ΤΑ ΧΕΙΜΑΤΑ. *Plutarchus* autem ſcripſit ΤΑ ΑΛΕΙΜΑΤΑ.

MATA, *unguenta.* Res ipſa loquitur, & *Herodoti* quoque ἀλείψιος, quod *p. 168, 9*, legitur, confirmat.

1586, 22, πέριξ. Non intelligo; & præterea eſt hiulca oratio, ut dubium non ſit, aliquid excidiſſe. Durum eſſet, ſi quis πέριξ pro περιηγμένον, aut σκολιὸν, vellet accipere.

1586, 28, ἐκςάντες, κατήσχυναν τὸν Ἡρακλέα, καὶ τὴν εὐγένειαν, οὐδ' ἐςὶν ἀντειπεῖν. Σιφνίοις γὰρ ἦν &c.

1587, 4. Forte ἢ τόπων ἄλλων. Senſum incommodiorem fundit vulgata, in qua ἀντελαμβάνοντο debet ad Λακεδαιμονίων redire.

1587, 11, μονωθέντας geminandum. Conf. *Herodot. p. 423, 37*, ubi leguntur, quæ *Plutarchus* hic citat.

1587, 12, ἀποδειξαμένους.

1587, 13, καὶ τοὺς ἄλλους Ἕλληνας. Et ſic quoque *Herodotus l. c.*

1587, 15, οὐ τούτους εὖ λέγων εἰς τὸν Ἀθηναίων ψόγον. *Liquet, eum noluiſſe Lacedæmonios laudare, quo maculam adſpergeret Athenienſibus*, vel *laudare cum infamia Athenienſium.*

1587, 17, ἔτι δυσχεραίνῃ.

1587, 19, τὴν οὐ γεγενημένην, (γενομένην δ' ἂν, ὡς αὐτὸς εἰκάζει) καταψ —.

1587, 23, οὐ σμικροῖς γε legendum. Exciderunt tres hæ literæ ὀυ σ ob finem eundem præcedentis vocis ἑαυτοὺς. Deinde ἀπιςήσας

 legen-

legendum. *Diffidens documentis Spartanæ virtutis, apud Thermopylas editis, non profecto parvis*, aut *contemnendis*.

1587, 26, Κρησίνεω. Apud *Herodotum p. 444, 1*, lego Κρητίνεω.

1587, 27, καὶ poſt ἄφατα delendum. Vid. *Herodot. loc. cit. lin. 6*. Aut, ſi retineatur καὶ, dicendum erit, ποτήρια excidiſſe. Ποτήρια καὶ χρήματα. Et huic quoque coniecturæ patrocinatur *Herodotus loc. cit*.

1587, 28, οὐδὲ τοῦτον *ne hunc* (Aminoclem) *quidem*. Si τοῦτο retineretur, ſenſus emergeret, *Herodotum momordiſſe* δῆξαι, *Aminoclis fortunam in tantis divitiis inveniendis*. Quod abſurdum. Sed mordet eum ipſum hominem, ob cædem, quam is in proprio filio perpetravit.

1588, 3, παρὰ Θηβαίων, *Herodotum Thebas veniſſe, & ab ipſis rogaſſe pecuniam*, (quo eos in Hiſtoria ſua laudaret) *ſed* (a Thebanis) *non tantum nihil accepiſſe; verum etiam interdictum ipſi fuiſſe, ne iuventutem Thebanam ſua conſuetudine erudiret*.

1588, 8. Magnum, quod hic eſt, vacuum ſatis, ut puto, literæ hæ paucæ, βάλλων, ſupplent, ut nihil præterea deſideretur. Τὰ δὲ διαβάλλων, τὰ δὲ ὡς μισῶν, *partim iniquis & invidioſis criminationibus illos onerat, & lectori exoſos facit, tanquam aliud agens, & id nolens*. Hæc enim eſt vis verbi διαβάλλειν.

1588,

1588, 20, Ατ/αγίνω.

1589, 1, αὐτοῖς redit ad Thebanos.

1589, 13, παρ᾽ ὀλίγον τοῖς ἀνθρώποις, *neque ſtuduit efficere, ut homines non deprehenderent, eum tantum non conſcium fuiſſe ſuæ ſibimet ipſi contradictionis.*

1589, 16, κελεῦσαι. Et ita quoque *Herodotus pag.* 453, 4. Verum in *Herodoto* quidem eſt infinitivus aor. 1, hic autem in *Plutarcho* eſt 3 ſingul. optativi aoriſti primi.

1589, 18, forte ὡς εἰκὸς ἦν ἀπελάσαι ἂν αὐτὸν, καὶ μὴ ἐᾶσαι, εἰ καὶ τὰ μάλιστα βουλομένους, παραμένειν, *quos debuerat Leonidas (ſi voluerat ſecundum rationem & regulas politicas agere,) abigere, neque ſinere, etiamſi vel maxime voluiſſent, ſecum manere, &c.* Hæc ſcripſeram ante, quam inſpicerem editionem *Frobenianam*, in qua, ut alibi paſſim non contemnendas lectiones inveni, ita hic invenio lectionem *Plutarchi* menti, & modo datæ interpretationi, apprime congruam, & cui propterea acquieſco. Nempe non habet μὴ ante βουλομένους. Ingenione, an e veteribus libris, addiderit *Stephanus* negantem particulam, non novi.

1589, *ant.* ἀπιέναι.

1590, 1. Aliud agebat typotheta, (neque enim *Stephano* id imputandum arbitror,) Ὁμήρου, & quidem magna cum litera, edens, tanquam

ſi nomen celebris illius Poetæ eſſet. Rectum dat *Frobenius* ὁμήρων, *obſidum.*

1590, 5, ἀπολȣμένων. Deeſſe hic aliquid, patet. Forte ἴσως δὲ ἐλπίδα ἔχων ἀπολȣμένων, aut ſaltem ἴσως δὲ ὡς ἀπολȣμένȣς, *quod autem ſolùm quis adhuc allegare in favorem Herodoti poſſit, nempe hoc:* Forte retinuit eos Leonidas, ſperans, fore, ut pereant: *id ipſum quoque deſtruit & refellit ipſe Herodotus* &c.

1590, 6, κατὰ λέξιν ȣ̓́τω γράφει. ταῦτά τε δὴ &c. Verba *Herodoti* exſtant *pag.* 453, 26, quo e loco etiam integrandus eſt Noſter *lin.* 9: Διενεχθέντας οἴχεσθαι αὐτȣ́ς.

1590, 10, ἀπήλαυνε. Et ſic quoque clare editio *Frobeniana. A qua gloria ſocios arcebat* &c.

1590, 16, Ἥραν. Nunc melius non extundo, quam aut ἱερὰν, aut, quod equidem mallem, ἐναργῆ, *viſionem valde luculentam, & futuros rerum eventus non obſcure, ſed clare, coram oculis proponentem.*

1591, 15, ἀποκρίναντος τὰ πράγματα, corrupta eſſe, quid attinet dicere? Palam eſt. Utinam pateret quoque, quid ſubſtituendum. Cogitavi aliquando ὁ δὲ ἀποκρινάμενος ποιήσειν τὰ προςάγματα. *Alter autem condicebat quidem, ſe facturum mandata; verum, arrepto ſcuto, ibat in aciem.*

t. 1592,

1592, 7, *μεταξὺ πάντων Φον —*, *interea dum omnes ſeſe in vicem trucidant & conculcant.*

1592, 11, *ἀποκτείναντες.*

1592, 13, forte *ἀλλὰ δή*, *καίτοι τῶν Θετταλῶν μαρτυρούντων, οὐ πάντως περιεγένοντο Θηβαῖοι. Τοὺς μὲν γὰρ αὐτῶν — τοὺς δὲ ἔτι πλεῦνας, κελεύσαντος* &c. Ita conformavi hunc locum ad normam ſanæ rationis & exemplum *Herodoti pag.* 457, 6.

1592, 24, *δικαιώσαντος*, *ſtatuente*, *dignum & iuſtum cenſente*, & *Λεοντιάδη.*

1593, 20, coniiciebam aliquando *πολέμου.* Sed vulgatum *πολέμου*, ſi recte reputes, eodem tendit, & idem efficit.

1593, 24, *περιεφθέντες*, ut etiam *Herodotus* habet *pag.* 465, 22.

1593, 27, *δεδόσθω, ὁ δὲ* &c. *detur* (condonetur, concedatur,) *ipſi. At ille vero* &c.

1593, *ant*, *Herodotus* ubique Ἱστιαιεὺς ſcribit.

1593, *pen.* *τὸν δρησμὸν τὸν ἀπ' Ἀρτεμ —.* Ita *Herodotus pag.* 466 *antep.*

1595, 7. Valde obſcurus & difficilis eſt hic locus, &, ut ego quidem puto, etiam lacunoſus. Donec certior medicina proferatur, conſtituam eum ſic, quoad nunc quidem licet: *Κατ' αὐτῶν, καὶ ἀφ' ὧν οὐκ ἔπραξαν ἄν, εἰ μὴ ταῦτα Θετταλοῖς ἔδοξε, δικαίων κρίνεσθαι τὴν αὐτῶν διάνοιαν, καὶ κολούων, ὥσπερ χώ-*

ρας,

ρας, ἀντειλημμένης ὑφ' ἑτέρων τῆς προδοσίας ἀπολειφθέντας; & cenſens, iure merito ipſorum conſilia ex iis æſtimari, quæ procul dubio non feciſſent, niſi Theſſalis viſum fuiſſet ita facere, ut fecerunt; & carpens atque exagitans eos, tanquam ſi proditio caſtrum eſſet, quod ipſi voluiſſent occupare, ſed ſero venerint, ea iam aliis præoccupata.

1595, 12, προστιθεμένους αὐτοὺς ὁρῶντες, *non ſponte ſua, ſed propter ſuam cum Phocæenſibus contentionem; cum nempe hos*, Phocæenſes, *viderent Græcorum partibus addictos*.

1596, 10, ἀλλ', ὅπως εἷς ἀνὴρ &c.

1596, 15, χωρογράφοι.

1596, 17, forte ἐξελάσαι πολλάς τε τῶν νεῶν αὐτῷ καταπρήσαντας μέγα ποιῆσαι κακόν.

1596, 24, αἰσχύνη.

1596, *ant.* forte ἀπὸ χειρῶν Ῥύσαλο βαρβαρικῶν.

1597, 3. Aut συμβουλεύσας, aut βουλεύσας ὑπὲρ τῆς Ἑλλάδος.

1597, 4, βουλῆς. *Bryanus* ad *Plutarchi Themiſtoclem pag.* 271 coniicit, βουλαίας legendum eſſe, non male; patet tamen ex citato loco, potius τῆς Ἀρσοβούλης legi debere.

1597, 22, ἴδιον αὐτόν.

1598, 1, προσδηλήσησθαι, ut etiam in *Herodoto pag.* 480, 36.

1598.

1598, 2, ὡς inſerendum ante Σίβυλλαν, *nihil Herodoto deeſt, præter unum metrum, eo; ut ex Aſpaſia Sibyllam faciat.*

1598, 8, ἃ δὲ κακοηθῶς ἔψευσαι, μόνον, &c.

1598, 19, τί γὰρ ἔδει ἐπιτίθεσθαι μηχαναῖς τραγικαῖς, *quid enim opus erat ipſi arripere & uſurpare tragicas machinas & artes?* Ἐπιτίθεσθαι de *ſubito, ex improviſo, inſilientibus in rem, & eam violenter ad ſe trahentibus, uſurpantibus,* dicitur.

1598, 20, ἐπ' ἐξειργασμένοις. Conf. *Herodotus pag. 489, 8.* Eſt dictio ipſi familiaris.

1598, 29, ἤτοι μηδὲ Κορινθίων, μηδὲ Ἀθηναίων, ἀλλὰ τούτων &c.

1599, 5, ἑώρων — καὶ μετ' αὐτοὺς, *& poſt ſe* proximo poſt nomen ſuum loco.

1599, 10, ἀνάιματος vitioſum eſſe, liquet. Cogitent alii de apto epitheto poetico, pro inſula Salamis. Mihi quidem nunc non ſuccurrit.

1599, 24. Quare aſteriſcum hic poſuerit *Stephanus,* non video. Integra omnis oratio eſt; neque is in *Frobeniana* apparet. Tantum eſt in ea πᾶσα ἡ Ἑλλάς. Puto, ἡ e veteri variante lectione πάσῃ remanſiſſe.

1600, 1, τὴν Θεόν. Quænam Dea? *Venus* nempe. Patet e ſequentibus.

1600, 2, οὐχ ὅπως τοὺς περὶ τὸν Ἡρ —.

1601, 2, ὑπόλοιπον κακοηθείας ἐξέχεεν ἐν τῇ τῶν Λακεδαιμονίων πρὸς Πέρσας μάχῃ, καὶ τὸ περιβόητον, &c.

1601,

1601, 3, τῆς πόλεως ἀφήρει (aut ἠμαύρωσε).

1601, 4. Aliquando coniiciebam, ſic integrandum eſſe locum: Ἀῤῥωδοῦντες τοὺς Ἀθηναίους — ἐγκαταλίπωσιν, σφόδρα ἐδέοντο ἀντέχεσθαι τῆς κοινῆς ἐλευθερίας; vel ſimile quid. Nunc autem inſpiciens *Herodoti* locum, ad quem hic reſpicit, (eſt *pag. 551, 29.*) intelligo, levi correctione tantum opus eſſe, hac nempe: Ἀῤῥώδουν τοὺς Ἀθηναίους.

1601, 9, πεντακισχιλίους legendum ex *Herodoto pag. 512, 27.*

1601, 12, ἔτυχε (φησὶν). Non ipſa *Herodoti* verba hic loci citat *Plutarchus*, quod videatur facere, ſed ex memoria loci argumentum ſuis verbis tradit. Conf. *Herodotus pag. 512.* Lectionem *Plutarchi* Χείλεως puto meliorem illa eſſe, quæ in *Herodoti* vulgatis libris obtinet Χίλεος.

1601, 21, χρήσαιτο, ποτὲ μὲν αἴρει, ποτὲ δὲ καταβ — *modo tollit, modo deiicit.*

1602, 6, ὁμοῦ τι. Ita ſolent Græci. Abundat τι.

1602, 17, περιπεσεῖν.

1602, 23, ἐν τούτοις. Conieci aliquando ἐν ἐλέγοις. Deinceps malebam ἐν τούτοις ita explicare, ut reſpiceret ad ſequens μέσσοι, *in his erant medii*, ut *Simonides*, enarrans in præcedentibus (quibus caremus) ordinem aciei ad Platæam, dixerit ἐν τούτοις πρῶτοι μὲν ἦσαν — μέ-

— μέσοι δὲ — ἔχατοι δὲ. *In his*, Græcis, *primi ſtabant*, *medii* — *poſtremi*. Verum nunc video, præſcriptam dictionem ſignificare *in his verbis*, *per hæc verba*. *Licet illud a Simonide diſcere*, *in his eius verbis*, *dum ſic ſcribit*. Conf. *pag. 1609, 5*. *Simonidis* autem, qui hic citantur, verſus non uno loco ſunt corrupti, ut verſu quinto ἐν αἰθέρι eſt; quod non expedio. Viderint alii, num verſui quarto ſatisfiat, legendo οἱ παγκάλλιςων.

1602, *ult.* προλαμβάνειν βελόμενος. Cohæret hoc βελόμενος cum κατηγόρηκε *pag. 1609, 4*.

1603, 3. Absque cauſa reliquerunt hic ſpatium vacuum. Nihil deeſt, hic quidem.

1603, 4, γενεῶν erat aliquando ſuſpectum, ut Ἑλλήνων coniicerem. Sed probum illud eſt. Diverſas nationes Græcas indicat, Æginetas, Corinthios, Megarenſes, &c.

1603, 8. Nihil deeſt. Neque opus vacuo ſpatio.

1603, 12, forte τῶν κινδύνων ἀντιποιέμενοι, *quamvis abſentes a periculis*, & *deſertores eorum*, *potuerunt tamen eorum communionem ſibi arrogare*, *ſinentibus*, *neque animadvertentibus*, *Græcis*.

1603, 14, forte ὃς πρότερον δειλιῶντας φησὶ φεύγειν.

1603, 3, forte ἀλλ' ὗτος μὲν ἀφῄρει πρὸς τοῖς Ἕλλησι &c. (Nam perinde ἀφαιρεῖν τι-

νὶ τὶ, & τινὰ, dicitur.) *At hic quidem adimebat Græcis quodammodo gloriam earum rerum geſtarum, in quibus ſe fuiſſe ducem, ipſe pronuntiabat.*

1603, 12, ἐκχαράξαντας, *eradentes.* Non ἐνεχάρασσον, *inſcribebant*, ſed ἐξεχάρασσον, *eradebant*, Lacedæmonii *Pauſaniæ* nomen ex eius tripode.

1603, 19. Punctum poſt γενομένων delendum, & deinceps ſcribendum ἐκ μὲν Ἀρτεμισίς, deleto γάρ.

1603, 27, γινομένης, ἧς Πίγρης, &c. Videtur etiam vitium in Ἀρτεμισίας latere.

VII.

FRID. OTTONIS MENCKENII LIBRORVM, HAVD ITA DIV AB INVENTA ARTE TYPOGRAPHICA EDITORVM, QVIBVS SVPPLERI POSSINT ANNALES TYPOGRAPHICI MAITTAIRIANI, DECAS SEXTA, EIVSQVE ALTERA PARTICVLA.

Pauca iam, ſed ſelecta, damus, non diſpliciturа iis, qui in artis typographicæ origines

nes inquirunt, nec in libris minus, quam in re quacunque alia, antiquitatem venerantur.

III. *Oratio metrica Priami Capotii, Lilybitæ, in alma Lipſienſi Univerſitate habita.* Sine anni & loci indicio, 4. Plag. 2.

Nec loci, qui tulit hunc fœtum, nec anni, quo is prodiit, ullum hic indicium apparet. De loco non eſt dubium, hunc Lipſiam dicendum. Vix enim cuiquam in mentem veniat, ſuſpicari, alio in loco recitatum, alio exſcriptum typis, Carmen hoc heroicum fuiſſe, eo quidem tempore, quo ex arte typographica maior Lipſiæ, quam aliarum urbium Germaniæ, fama fuit. Annum autem cur *Io. Henr. Leichius* in libro *de Orig. & increm. Typographiæ Lipſienſis pag. 63.* &, qui hunc unum ſequitur, *Mich. Maittairius* in *Appendice Tomi II Indicis Annal. typogr. pag. 508,* (nam in ipſis *Annalibus* nulla opuſculi huius facta mentio,) ponant Seculi XV octavum & octogeſimum, ſcire equidem cauſſam velim; niſi hæc forte fuit, quod hoc ipſo anno Auctoris eiusdem Carmen alterum, *Fridericeis* inſcriptum, in urbe noſtra prelum reliquit: cui coniecturæ, nemo non Lectorum videt, quam parum ponderis ſit tribuendum. Ex eadem certe officina utrumque opus prodiiſſe, ideo vix putem, quod Gothico charactere excuſum ſit Carmen hoc noſtrum, vulgari Latino alterum. Vix igitur certi quidquam de anno ſtatuas; etſi, ſub Seculi XV exitum opus

hoc in lucem exiiſſe, & antiqua eius facies, & Auctoris, qui illa circiter tempora Academiam Lipſienſem frequentavit, ætas, doceant. Quo nomine inter antiquiſſima rei typographicæ Lipſienſis monumenta referri id utique meretur, & præcipuum in illis locum iure ei tribuit *Leichius* libri cit. *Cap. I pag. 9.* Sed, an eidem *Leichio* in manibus fuerit Carmen hoc *Capotianum*, ea mihi dubitandi eſt ratio, quod, decantatas hic laudes urbis Lipſiæ, ſcribat, quas vix uno & altero verſu Auctor complexus eſt, memorans inprimis facta, virtutes, & in literas amorem, Principum Saxonicorum, inde ab ætate *Friderici Bellicoſi* ad recentiora *Georgii* & *Henrici*, hisque poſteriorum, tempora, & ad literarum ſtudia Academiæ Lipſienſis cives exſtimulans. Quod cum mira elegantia & ſuavitate faciat; mihi quidem dignus hic Poeta iudicatur, qui inter feliciſſimos *Virgilii* imitatores numeretur, cuius etiam memoria gratæ ſit poſteritati commendata. Huic ſimile, ſi *Maronianam* gravitatem ſpectes, etſi maiori ſpiritu deductum, alterum eiusdem Poetæ Carmen eſt, in eadem urbe Lipſia A. 1488, apud *Mauritium Brandiſs*, forma, quam vocant, quarta, excuſum, cuius, ſi *Maittairium* in *Annal. typogr.* edit. *Amſtelod. pag. 503*, & *Leichium* lib. cit. *pag. 63*, ſequare, hic eſt index; Priami Capocii, *Siculi, Lilybetani, Fridericeis, ad Fridericum, Saxoniæ Ducem, ob victum Adolphum, Imperatorem Suevicum, exercitu e*

ſua

ſua ditione profligatum. Talem, inquam, inſcriptionem Carminis *Maittairius* & *Leichius* dederant, ſed qui minime eam transſcripſiſſe ex ipſo opere, ſed deſumſiſſe tantum videntur ex *Geſneri Biblioth. univ. pag. 706*, ubi argumentum carminis illis, quæ dedimus, verbis deſcribitur, non ipſe carminis index exhibetur. Mihi enim, hoc ipſum manibus tenenti, id credas, velim, in eius fronte hæc inſcripta: *Priami Capotii, Siculi, Lilibitæ, Fridericeidos liber incipit*; ſub finem autem hæc notata: *Priami Capotii, Siculi, Lilybitæ, Fridericeidos liber explicit feliciter. Impreſſum Lipzgk per Mauritium Brandiß, anno Domini MCCCCLXXXVIII, vigeſima prima die menſis Novembris.* Huius typographi nomen parum cognitum habens *Maittairius*, reponi in eius locum debere alium, ſibi magis notum, *Marcum Brandt*, ſuſpicatur; male quidem, ut ipſum opus, in quo ſuum data opera corrupiſſe nomen haud videtur typographus, inſpicienti cuique patet. Sed ſatis etiam aliunde conſtat, duas Lipſiam, & *Brandtii*, & *Brandiſii*, officinas typographicas habuiſſe, *Leichio* loc. cit. *Cap. I pag. 5.* & aliis, memoratas. Duobus his Carminibus maiora meditatum *Capotium*, ex his intelligas, quæ in *Oratione metrica*, leguntur:

Nos regit Albertus, Germanæ gloria gentis;
Clara virum requies divino lumine noſtrum
Erigit ingenium, ſtudioque incendit amores.

At ſua progenies, quæ non præſtantior ulla
Conſimilisque fuit patria probitate fideque,
Non ſua funeſto demerſit tempora luxu,
Sed ſtudiis renovare animos melioribus inſtat:
Et nova virtuti ſupremaque tempora reddit.
Quorum facta canam, veniet cum grandior ætas,
Et mea Caſtalio frondeſcent tempora lauro.

Quæ ipſa rium perfecerit deinde, mihi quidem haud compertum eſt. Nec illud facile dixerim, an diu commoratus ſit in Lipſienſi Academia; diſcentis, an docentis, hic perſonam ſuſtinuerit; an, præter hæc, quæ diximus, aliis ingenii ſui monumentis urbem mihi patriam nobilitaverit. Id certo conſtat, in Siciliam, unde ad nos, exemplo nunc, quam olim, rariori, venerat, exeunte Seculo XV reverſum *Priamum*, ad triſtiſſima nempe, ut poſtea dicemus, fata vocatum. Habet de eo nonnulla unus, tacentibus, quicunque ſunt, vitarum ſcriptoribus, *Antoninus Mongitore* in *Bibliotheca Sicula T. II pag.* 192, ſed cui de itinere eius Lipſienſi, de *Oratione* item hac *metrica*, cognitum, quod mireris, nihil fuit. Ex hoc igitur Scriptore, qui eum *Iuris utriusque Doctorem egregium, Virum politioribus literis excultiſſimum, Poetam lepidum, & elegantiſſimum,* vocat, illud diſcas, Panormi A. 1510 Regium fiſci

fiſci patronum fuiſſe, eodemque tempore, inter turbas civiles, a *Ioanne Luca Squarcialupo* excitatas, à furioſa plebe biduum integrum in urbe requiſitum, tandem 26 Iulii, prope Eccleſiam S. *Ioannis de Tartaris*, ex domo cuiusdam mulierculæ extractum, per urbem pæne totam raptatum, multisque vulneribus confoſſum, interiiſſe. Duo inprimis eius rei teſtes ſunt fide digniſſimi, *Th. Fazellus de rebus Siculis Lib. X Cap. unic. pag. 603*, & *Franc. Maurolycus Sicanicæ Hiſtoriæ Libro VI pag. 197.* Alterius hæc ſunt verba: *Hæc nocte illa miſere ſunt patrata. Illuceſcente vero Priamum Capozium, Lilybitam, Iurisconſultum, ac Poetam non contemnendum, quem Advocatum Fiſcalem vocabant, duos quæſitum dies, tandem non longe ab Æde D. Ioannis a Tartaris in domo cuiusdam mulierculæ inventum, tota urbe raptatum, ac pluribus confoſſum vulneribus, occiderunt.* Alterum, ſimili modo narrantem, audi: *Priamus Capoccius, Fiſci Regii Patronus, Iureconſultus, Poeta quoque Epigrammatum argutus, biduo a coniuratis perquiſitus eſt, repertus tandem innumeris vulneribus peremtus, ac per urbem raptatus eſt.* Addi his poteſt teſtimonium *Ioſephi Bonfilii* in *Hiſt. Siciliæ P. II Lib. I pag 411.* Eſt igitur, cur literatis valde infelicibus, & meliori ſorte dignis, quorum non paucos omnis ætas tulit, noſter hic *Capotius* aggregetur. Epigrammatum ſcriptorem fuiſſe, non illa tantum verba

Maurolyci, ſed alius etiam ſcriptor, *Io. Iacobus Adria*, a *Mongitore* nominatus, in libro, nondum edito, *de Valle Mazariæ*, *Poetam* vocans *Epigrammatarium*, docent. Sintne autem vulgata illa, quæcunque compoſuit, Epigrammata, an privatim tantum conſcripta, inquirendum aliis relinquo, præter heroica Carmina *Capotianorum* nihil habens cognitum. Eidem *Adriæ*, reliquiſſe filium, prænomine *Theſeum*, *Poetam* item *Epigrammatarium*, dicitur *Priamus*, ſed cuius memoria adhuc in obſcuro latet. Nec illud omittendum, ab eodem *Priamo*, ſi fides illi *Adriæ*, editum fuiſſe *Regis Luſitaniæ opus de continentia*; quod quale ſit, noli ex me quærere, amice Lector.

IV. *Incipit Vocabularius Iuris utriusque. Impreſſus inſigni in civitate Baſilienſi ſub anno dominicæ incarnationis MCCCCLXXXIII, menſis Auguſti die viceſima.* Fol. Plag. 39.

Operis huius, non eam nunc, quam Seculis ſuperioribus, famam habentis, complures editiones, ſub inventæ artis typographicæ tempora vulgatas, *Maittairius* in *Annalibus* ſuis memorat; ſed in quarum numero, præter alias nonnullas, hanc ipſam *Baſileenſem*, typographi, ut vides, deſtitutam indicio, deſideres. Hæc, venerabilem ipſa facie antiquitatem præ ſe ferens, characterem ſatis politum, chartam puram ac denſam, literas maiores a minoribus paſſim colore rubro, aut cæruleo, diſtinctas, inſcri-

ſcriptionem non aliam, niſi quæ cum ipſo operis coniuncta ſit initio, oſtendit. Annum autem, & locum, hic, ut in libris vetuſtioribus plerisque omnibus, notatum in extremo operis invenias. Liber ipſe hoc memoratu dignior videtur, quod inter Lexica Iuris, quæcunque prodierunt unquam, nullum hoc ipſo antiquius exſtet, & fortaſſe Auctori eius ipſa renovatæ artis (ſit voci venia) *Lexicographicæ* gloria ſit tribuenda. Sunt in hoc opere præcipua Iuris Romani vocabula non ſolum ſecundum literarum ordinem collecta, ſed ita etiam explicata, ut, qualem in legibus Romanis, hic magno numero adductis, vim & ſignificationem habeant, hinc a ſtudioſa legum iuventute, cuius potiſſimum uſibus dicatus eſt liber, cognoſci poſſit. Eſt igitur, cur mirari aliquis poſſit, nullam huius operis, multis utique nominibus memorabilis, mentionem factam in locupletiſſima alias *Bibliotheca Iuris Struvio-Buderiana*, cuius cum *Capite decimo*, eiusque *Sectionibus VI & VII*, *Lexica Iuris* ſatis multa, nec pauci *de vocabulis iuris* Scriptores, nominentur, fruſtra tamen in illis *Vocabularium* hunc *Iuris*, toties olim repetitum prelo, & ceteris omnibus, ſi antiquitatem ſpectes, ſuo iure præferendum, quæras. Auctor operis, cum ſui nominis nuſquam faciat indicium, nec ullos memoriæ ſuæ nactus ſit conſervatores, incognitus, per me licet, ſeræ maneat poſteritati. Ætatem eius incidiſſe in Seculum a Chriſto nato XIII, inde liceat colligere, quod, maxi-

mam eorum, quæ libro hoc continentur, partem ex *Summis Azonis*, quem ſub exitum Seculi XII incredibili cum applauſu Iura docuiſſe Bononiæ conſtat, excerptam, in Præfatione, operi præmiſſa, ipſe ſcribat.

V. *Leges Longobardorum, cum argutiſſimis Gloſis D. Caroli de Tocco, Siculi: multis marginalibus Poſtillis decoratæ. Una cum Capitulari glorioſiſſimi Caroli Magni, Regis Francorum. Addita fuere inſuper in easdem Leges luculentiſſima Commentaria Eminentiſſimi Doctoris domini Andreæ de Barulo. Nec non annotationes Clariſſimi Iuris utriusque interpretis, Nicolai Boetii. Præterea triplex alphabeticum Repertorium: quod omnia cognitu digna in ictu oculi demonſtrat. Quæ omnia nuper in lucem ſunt edita, cunctisque mendis & erroribus diligenter expurgata. Cum privilegio, ne quis hoc opus audeat imprimere, neque imprimi facere in toto Venetorum dominio, ac in toto Neapolitano regno, ſub pæna, in Privilegiis contenta. Venetiis, ſumma diligentia, per Dominicum Lilium & fratres, impenſis vero domini Melchioris Seſſa, anno Domini MDXXXVII*, 8.

Librum damus, ab inventæ artis typographicæ ætate paulo remotiorem, ſatis tamen antiquum,

quum, &, ut inventu maxime rarum, ita eorum, qui Iuris antiqui ſtudia profitentur, paucis, in noſtra certe urbe, cognitum. Dignum inprimis, de quo paulo accuratius dicamus, efficere hunc librum illud poteſt, quod, qui in edendis Longobardorum legibus, aut *Caroli Magni* Capitularibus, ex inſtituto occupati fuerunt, *Goldaſtus Lindenbrogius, Baluzius*, & *Muratorius*, de vetuſtiore hac illarum Legum editione, ſi non omnium prima, (fuiſſe enim iam ante, anno nempe 1512, Longobardorum Leges Lugduni a *Nic. Boerio*, forma, quam dicunt, quarta, editas, ex *Bibliothecæ Geſnerianæ pag. m.* 621, & aliunde, didici,) at inter primas iure numeranda, aut nihil, aut tale quid, commemorarunt, unde facile pateat, lectum ipſis inſpectumve librum ipſum haud fuiſſe. *Baluzius* certe, ſi ullam habuiſſet huius operis notitiam, meliora forte de his, qui colligendis edendisque *Caroli M.* Legibus operam dederunt, nos docuiſſet in Præfationis, *Capitularium Regum Francorum Tomo I* præmiſſæ, *paragr.* 38, ubi *Beatum Rhenanum*, illarum Legum nonnullas *rerum Germanicarum* opere, A. 1531 edito, complexum, ſecutus eſſe, nemine alio intericcto, A. 1545 *Vitus Amerpachius*, edito *Conſtitutionum Caroli M.* libro notiſſimus, dicitur; nec ſatis accurate editarum primum illarum legum gloria *Rhenano* tribuitur, quæ, ut poſtea dicemus, maiori iure ei, quem modo nominavimus, *Boerio* debetur. Quis varias

variorum interpretum ad Leges Longobardorum Notas &, ut vulgo vocantur, *Gloſſas* colligendi curam geſſerit, nullo mihi eſt indicio compertum. Nam, quæ frontem libri ornat, *Magnifici U. I. D. ac Equitis Io. Baptiſtæ Nennæ, Barenſis*, Præfatio, Bari die 19 menſis Octobris, anni 1536, ſcripta, ad *Caroli de Tocco* Notas ſpectat, non ſimul ad illas *Boerii*, (ſic enim legendum eſt in indice operis, non, quod operarum vitio exſcriptum eſt, *Boctii*,) & *Andreæ de Barulo*, *Toccanis* illis a neſcio quo adiectas. Is igitur *Nenna*, *Conringio de Orig. Iur. Germ. Cap.* 22 *pag.* 111 male vocatus *Nanna*, de quo nihil habeo cognitum, niſi, quod *Geſnerus* in *Biblioth. univ. pag.* 704, & *Toppi* in *Bibliot. Napolet. pag.* 138, docent, editum ab eo A. 1543 Venetiis de Nobilitate librum, il *Nennio* inſcriptum, *inventas inter nonnullos avorum ſuorum libros, antiquitatem ſapientes*, ideo a ſe publicari, *Gloſſas* has *Toccanas*, ait, quod in multis regni Neapolitani locis ex Iure Longobardico dubiæ *mulierum, mundualdorum*, ac *dotium*, definiri cauſæ ſoleant, gratumque adeo futurum civium ſuorum multis ſit, illius Iuris idoneum interpretem habere. Nec ſatis ei fuit, edidiſſe *Gloſſas*, ſed, cum multa in his mutila, nec pauca alieno loco poſita, agnoſceret, id ſibi, lectorum ſtudiis inſervituro, vel maxime agendum duxit, ut & ea, quæ abeſſe ab opere, nullo eius detrimento, facile poſſent, & fortaſſe deberent, reſecaret, &, ut ſuo quæque ordine ac loco

lege-

legerentur, efficeret. In eo præterea gratum lectoribus illarum legum præſtitit officium, quod *vocabulorum Longobardicorum*, in quibus facile offendere aliquis poſſet, *expoſitionem*, eamque ſive ex ipſis legibus, ſive ex *Toccanis Gloſſis*, excerptam, & literarum ordine inſtructam, ipſi operi præmiſit. Quo *Nennæ* merito factum eſt, ut inter Iuris Longobardici interpretes locum ei tribuerent *Frid. Lindenbrogius* in *Prolegomenis, Codici Legum antiquarum* præmiſſis, *Herm. Conringius de Orig. Iur. Germ. l. c.* & *Io. Gottl. Heineccius* in *Hiſt. Iur. Rom. ac Germ. Lib. II §. 26 pag. 378*; quem locum, neſcio, an ſatis ipſe tueri poſſit, aliena tantum colligendi opera defunctus. Præfationem *Nennæ*, *Gloſſis*, ut ante dixi, *Toccanis* præmiſſam, ſequitur, in opere hoc noſtro, *Nicolai Boerii, I. U. Interpretis, ſacri magni Conſilii Gallici Ordinarii Conſiliarii, ad Chriſtianiſſimum & Superilluſtriſſimum Francorum & Italiæ Regem invictiſſimum Epiſtola*, qua Leges Longobardicæ, cum Novellis *Iuſtiniani* coniunctæ, magno huic Regi dedicantur, repetita ſine dubio ex vetuſtiori illa Legum Longobardicarum editione, quam Lugduni A. 1512 a *Boerio* curatam, ſupra diximus. Ex hac nempe Epiſtola clariſſime patet, primum fuiſſe *Boerium*, qui Leges Longobardorum, tenebris adhuc ſepultas, in lucem revocaverit; id quod nemini eorum, qui hiſtoriam illarum Legum ſcriptis tradiderunt, obſervatum memini.

Ipſa

Ipſa Auctoris, ne quis dubitationi locus eſſe poſſit, verba dabo: *Dum anno ſuperiori mihi in provinciam provinciæ Commiſſario a tua ſacra Regia Maieſtate deputato ultra VI Volumina Legum Longobardicarum, quas Capitulare Caroli Magni, Romanorum Imperatoris, & Franciæ Regis, iura vocant, eadem in parte occurrerent, quorum vigor & auctoritas in hoc tuo ſacratiſſimo Franciæ regno ac Italia, ob hoc, quod ab eodem Carolo & dominis Ludovico & Lothario, ſucceſſive Romanis Imperatoribus, & Franciæ Regibus, tuisque anteceſſoribus, pro parte maiori conditæ fuere, ſane in omni fere terrarum orbis parte ſervari debent; - - - has igitur Longobardorum leges, a tuis progenitoribus conditas, quæ ante ſemineces & tanquam apes ſine duce in tenebris iacebant, quamvis a legislatoribus in multis iuris partibus allegentur, - - glomeratas collegi, Celſitudini tuæ pro munere dicare conſtitui: ut Sublimitatis tuæ ſplendore a Stigio lacu nigraque palude revocentur, & tandem revocatæ ſurſum protendentes, vitali ſpiritu condonato, lucem ſerenam aſſequantur.* Habes ſimul ſpecimen ineptiſſimi ſermonis, quo uſus per totam epiſtolam *Boerius*, non elegantiam *Duareni*, aut *Budæi*, aut his ſimilium, ſed barbariem *Bartoli*, & ſectatorum eius, imitatur, nec aliis orationem, niſi qui ex legibus Romanis, aut ſacro Codice, petiti ſint, floribus conſpergit. Hanc *Boerii* Epiſtolam excipit eiusdem *in Leges Longo-*

bardo-

bardorum, & *novellas Conſtitutiones D. Iuſtiniani*, *Præfatiuncula*, ex illa ipſa, quam paulo ante dixi, editione Lugdunenſi huc translata: in qua editione cum *Legibus Longobardorum Novellæ Iuſtiniani* ſint adiunctæ; hinc facile cauſam intelligis, cur index Præfationis *Novellas* nominet, quæ in editione hac Veneta non leguntur. Manifeſtus enim error *Struvii* eſt, primum Venetiis A. 1537 *Epitomen Novellarum* edidiſſe *Boerium*, nos docentis in *Biblioth. Iuris ſelect. Cap. III* §. *XI pag. m. 31*; quem errorem non emendatum, miror, ab Ill. *Budero*, in his rebus alioqui accuratiſſimo, in illius *Bibliothecæ* nova anni 1743 editione. Rem eandem, *Struvium*, ut fere fit, ſecutus, perſuaſum nobis ivit *Io. Salom. Brunquellius* in *Hiſt. Iur. Rom. Germ. P. II Cap. 12* §. *6 pag. 281*, nec ipſe ab his diſſidet *Lud. Ant. Muratorius* in Præfatione, *Legibus Longobardicis*, quæ *Scriptorum rerum Ital. Tomi I Partem II* ornant, præmiſſa. Qui omnes, ſi, quod mihi contigit, ante oculos librum ipſum habuiſſent, vidiſſent, eo in loco, quo Iuris tantum Longobardici interpretes congregati ſunt, *Novellas Iuſtininni* fruſtra quæri, nec debere quæri. *Boerianæ* illi Præfationi argumentum præbent Longobardicarum legum ætas, conditores, & auctoritas: ubi cum multa Auctor ex vetuſtiorum temporum hiſtoria repetat, tam inſulſas narrationibus ſuis fabulas admiſcet, ut vel hoc poſſit exemplo, quam turpe ſit Iura, ſive Romana, ſive

quæ-

quæcunque alia, profitenti, in elegantioribus literis, Hiſtoria, & Critica, eſſe hoſpitem, intelligi. Sed ab illis hic repetendis data opera abſtineo, ne tædio ſim lectoribus, meliora ſciendi cupidis. De vita & ſcriptis *Boerii* hoc in loco nihil addimus, quibus in more eſt, non vulgaria, & paſſim obvia, ſed ſingularia, & paucis cognita, proferre. Exſtat enim ſatis diligenter ſcripta a *Io. Aleſmio* vita *Boerii*, huius *Deciſionibus*, A. 1574 Francofurti ad Mœnum editis, præmiſſa, poſtea autem *Vitis Clariſſimorum ICtorum*, a *Frid. Iac. Leickbero* Lipſiæ A. 1686 vulgatis, adiecta. Multo autem brevius de eo commemoravit *Guido Pancirolus de Claris Legum interpretibus Lib. II Cap. 153.* Scripta eius, quæ & numero multo, & argumento varia, ſunt, dubito, an maiori quisquam ſtudio collegerit *Conr. Geſnero* in *Bibliotb. univ. pag. m. 621*, & *Chriſtopb. Hendreichio* in *Pandect. Brandenb. pag. 621.* Sed ad librum, de quo dicere inſtituimus, revertimur. *Boerianam* Præfationem ordine ſequuntur *Titulorum omnium Legum Longobardarum repertorium, alpbabetice diſpoſitum*; *Annotationum domini Andreæ de Barulo repertorium*, & *Longobardorum vocabulorum expoſitio*, ſupra memorata, ſingula ad lectorum, ut facile iudicari poteſt, uſum accommodata. Iam ipſis *Longobardorum legibus* locus datus, quæ cum *Caroli de Tocco*, & *Nic. Boerii*, *Gloſſis* ita ſunt coniunctæ, ut ab illis, tanquam a corona quadam, cingantur, has,

velut

velut ad latus poſitas, hoc eſt, paginæ cuiusque margini adſcriptas, habeant. Hanc libri noſtri partem ita editor *Nenna* inſcripſit: *In nomine domini noſtri Ieſu Chriſti. Legum Longobardorum, cum Gloſis antiquiſſimi doctoris domini Caroli Cotti, Siculi, Liber primus, nunc primum in lucem editus, cunctisque mendis & erroribus expurgatis, feliciter incipit.* In qua inſcriptione duo ſunt, quæ ſine nota dimitti non poſſunt: alterum, *Legum Longobardicarum Librum primum* hic *primum editum* dici: quod non de ipſis Legibus, ſed de *Toccanis* ad illas *Gloſſis*, accipi debere, facile credat, cui *Boeriana* illarum Legum editio, hanc noſtram quinque & viginti annis antegreſſa, non eſt incognita; alterum, Auctorem Gloſſarum *Cottum* hic vocari, qui in ipſa totius operis inſcriptione, & in Præfatione *Nennæ*, *de Tocco* dicitur: id quod errori tribuendum operarum eſſe, *Cotti* pro *Tocci* exſcribentium, ut ſimilia multa (noſti illud *Boctii*, Lector, pro *Boerii* in indice libri poſitum,) corruptiſſime exſcripſerunt, mihi non eſt dubium. Eiusdem erroris veſtigia exſtant in eadem, quam modo dixi, *Nennæ* Præfatione, cuius ſub initium *Cottus*, ſub finem *a Tocco*, vocatur interpres noſter, nec non ad calcem *Gloſſarum*, ubi hæc legas: *Leges Longobardorum cum ſubtiliſſima expoſitione domini Caroli Cotti, Sicculi, doctoris in utroque Iure emendatiſſimi: nec non multorum aliorum interpretum Gloſſis, feliciter finiunt*; in quibus mirum

mirum etiam videri illud poteſt, *multorum interpretum* hic mentionem fieri, cum, præter *Boerianas*, (illæ enim *Andreæ de Barulo* toti operi Appendicis loco adiectæ ſunt,) nihil Gloſſarum admixtum *Toccanis* inveniatur, nec quidquam præterea promiſſum ſit ab Editore. Sed, quod ad *Cotti* nomen, id, cum fieri non poſſit, ut eiusdem hominis duo ſint cognomina, multum falleris, ſi Gloſſatoris noſtri proprium agnoſcis. Nam, qui de vita eius ſatis diligenter commemorarunt, *Nic. Toppi* in *Bibliot. Napolet. pag. 60*, & *Antonin. Mongitore* in *Biblioth. Sic. pag. 130*, claris verbis *Carolum de Tocco* dicunt, ita tacentes de altero *Cotti* nomine, tanquam ſi id nemini auditum unquam fuiſſet. Nec alio, quam *de Tocco*, cognomine appellatur iſte *Carolus*, quicunque eius in ſcriptis ſuis mentionem fecerunt, ſuperiorum temporum Iureconſultis, ut *Matthæo de Afflictis* in *Conſtit. Advoc. in 2 No.*, & *Andreæ de Iſernia Tit. de his, qui feuda dare poſſ. ſ. & quiq. in fine.* Eſt igitur, cur de Gloſſatore noſtro non ſatis bene meriti dicantur, qui, illo operarum errore ipſi in errorem inducti, *Cotti* eum nomine appellarunt, recentiores bene multi ſcriptores, *Lindenbrogius* in *Prolegom. Cod. Leg. antiqu. Germ.*, *Conringius de Orig. Iur. Cap. 22*, & *Io. Gottl. Heineccius* in *Hiſt. Iur. Civ. Rom. ac Germ. Lib. II ſ. 26 pag. m. 378.* Sed, ſi male ab his factum putas, quid de *Lexico Eruditorum*, patria nobis lingua conſcripto, dices, in quo

duo

duo homines, *Carolus Cottus*, & *Carolus de Tocco*, ſuo quisque loco poſitus, tanquam inter ſe diverſiſſimi, ſe nobis ſpectandos exhibent, ſed eadem pæne uterque forma, niſi quod, lepidiſſimo errore, *Cottus Commentarium* ſcripſiſſe *in Lombardum* (ita nempe pro Iure Longobardico,) dicatur. Haud levis hæc illius *Lexici*, alioqui haud ſpernendi, macula eſt, qua nec carere recentiſſimam eius, valde & ditatam & politam, editionem, miraberis, Lector, & dolebis mecum. Tolerabilior error, etſi etiam error, eſt *Melchioris Goldaſti*, qui, neſcio, an compendii cauſa, an quod verum interpretis noſtri cognomen neſciret, *Carolum Siculum* dixit in *Diſcurſu Prolegomeno*, *Collectioni Conſuetudinum & Legum Imperialium* præmiſſo. Incidit huius *Caroli* ætas in Seculi XII exitum, & XIII initium: quo tempore præcipuam Gloſſatores in literas tyrannidem exercuiſſe, ſatis conſtat. Ipſe nobis ſuæ huius ætatis certiſſimum indicium facit in *Gloſſa* ad *l. Si adulter Tit. de Adulterio*, ubi hæc legas: *Eſt ſciendum, quod ſolennis forma accuſandi adulterum in regno non ſit; ſed ita poteſt concipi libellus accuſatorius: Anno MCCVII, menſe Aug. die V, adminiſtratore publico exiſtente Tahibailo: Ego Io. Carotus accuſo N. uxorem meam de adulterio apud Tedam caſtellanum Coti in domo Guilielmi de lupo patris ſui, menſe Ianu. adminiſtratore publico exiſtente Roffredo Roberto Calino*, &c. Ortu fuiſſe Siculum, non tantum teſtimonia

Anton. Beatilli in *Hiſt. Barenſ. Lib. IV pag.* 204, &, qui Gloſſas has edidit, *Io. Bapt. Nennæ*, docent, ſed ex eo etiam coniicere licet, quod ipſe ad *l. Si quis qualemcunque Tit. I de Maleſic. & publ. crim.* ita ſcribat: *Hac conſuetudine utimur hodie in regno Siciliæ.* De urbe autem patria non infelix conie&tura eſt *Antonini Mongitoris l. c.*, Panormum hanc fuiſſe, quod antiquum in ea urbe genti *de Tocco* fuerit domicilium. Eiusdem *Mongitoris* fortiſſimæ ſunt rationes, quibus confutavit *Nicolai Toppi* conie&turam, aut firmam potius opinionem, loco modo allegato, regni Neapolitani urbe Theatina ortum *Carolum*, dicentis, idque hoc inprimis argumento, quod præcipuum in illa urbe domus *de Tocco* nomen habeat. Tulit certe urbs hæc Theatina duos alios ex illa gente, eruditionis laude florentiſſimos, *Bartholomæum* & *Maximum de Tocco*, copioſe memoratos eidem *Toppio pag.* 40 & 208. Patrem *Carolo* Iureconſultum fuiſſe, non obſcure ex his cognoſcitur, quæ ipſe habet in *Gloſſa* in *l. Si quis alium Tit. V de Conviciis: Quid ergo, ſi maior, vel minor, iniuria ſit dicta? Reſpondeo: Iudex extraordinaria punire debet, ut, ſi quis vocatus fuerit canis, lupus, aut diabolus, dicimus eadem pœna feriendum: ita audivi patrem meum dicentem, quod, etſi nemo poſſet eſſe lupus, tamen grandem iniuriam continet.* Præceptores ipſe ſuos nominat *Placentinum, Ottonem Papienſem,* & *Ioannem Cremonenſem*, in Gloſſatorum turma primipilos;

Pla-

Placentinum quidem in *Gloſſa* ad *Rubricam Tit. I de Malefic. & publ. criminibus: Item quæro, an - - poſſit reus civiliter conveniri, & poſtea criminaliter accuſari.* Placentinus, *præceptor meus, negavit*; Ottonem ad *l. Si quis Longobardus Lib. II Tit. IV de his, quæ a viro in mulierem dantur:* Papienſis, *cuius auditor exſtiti per multos annos, dixit,* &c. & Ioannem ad *l. Si quis puellam Lib. I Tit. XVI de Iniuriis mulierum: Reſpondet* Io. Cremonenſis, *præceptor meus, quod ſic.* Magnæ virum auctoritatis atque famæ in regno Siculo fuiſſe, literæ publicæ teſtantur, a *Toppio* in operis *de Origine Tribunalium urbis Neapolis P. I Lib. III Cap. 10 pag. 99* adductæ, quibus, Panormi 12 Maii anni 1162 datis, eum Rex Siciliæ, *Guilielmus*, Iudicem magnæ regiæ curiæ vicariæ Neapolis, & Aſſeſſorem ſuum, nominavit. Plura, quæ doceat Lectores de noſtro hoc interprete, non ſuppetunt, nec plura fortaſſe aliunde petes. De *Gloſſis* ipſis ne dicamus multa, ipſum Gloſſarum nomen facit, quo audito, quid de his ſperandum ſit, omnes ſciunt. Inelegantes, & politiori doctrina vacuæ, tam verborum, quam rerum, explicationes ſunt, ex legibus Romanis, undecunque collectis, & tanquam in acervum congeſtis, ex Codicis ſacri dictis, ſententiisque Patrum, deſumtæ, unde ſi quis ſibi in noſcendis intelligendisque Longobardorum legibus non ſpernendum uſum promittat, næ is fallitur multum, & parum idoneas in doctrina

 legum

legum duces ſequitur. Quæ *Gloſſis* adiunctæ ſunt, ipſæ *Longobardorum leges*, hic, ut in ceteris omnibus, ſi illas *Heroldi* & *Muratorii* excipias, editionibus, diſtributæ ſunt in *Libros tres*, hique ſuis *Titulis* diſtincti; neque adeo ex temporum, aut Regum, qui tulerunt, ſed ex argumentorum, ratione ordo legum inſtitutus. Hunc leges Longobardicas ordinandi modum deberi *Petro, Diacono Caſinenſi*, qui, regnante *Lothario II*, A. 1137 floruit, plurimorum eſt opinio, ut *Melch. Goldaſtus* loco ſæpius citato teſtatur, ſed cuius verba (ait enim, *ut putatur*,) minime ſunt eiusmodi, ut hinc, ipſum cum aliis hoc *Librorum* & *Titulorum* inventum *Petro* tribuere, recte iudicari poſſit cum novo Legum Longobardicarum editore, *Muratorio*. Recte autem idem *Muratorius* coniecit, hanc in Libros digerendi Iuris Longobardici rationem longe illius *Petri* ætate antiquiorem eſſe; firmatque hanc coniecturam, & prorſus certiſſimam facit, ipſum Gloſſatoris noſtri, qui *Petrum* ætate longe anteceſſit, teſtimonium, unde hoc intelligitur, iam diu ante ipſum *Carolum* hoc, quem diximus, modo Leges Longobardicas in ordinem redactas. His enim Gloſſas ille ſuas verbis orditur: *Compoſitores huius libri, quorum nomina ignoramus, ad doctrinam facultatis boni & æqui operam dantes, leges Longobardas, a Regibus & Imperatoribus propterea traditas, & in ordine poſitas, congruo & meliori ordine adinvento, eas ordinaverunt, &*

ſub

ſub certis titulis eas poſuerunt: ponentes primum leges Regis Rotharis, qui fuit primus Rex Longobardorum, qui leges condidit, & poſtea leges aliorum Regum, recto ordine ſuccedentium: & ultimo leges Imperatorum, prout regnarunt; annectentes primo Libro leges, proprie ad delicta, & ad eorum pœnam, ſpectantes; ſecundo Libro leges, ad contractus pertinentes; tertio vero leges, de Epiſcopis & Clericis, & de eccleſiarum ordine loquentes. Meliori autem ordine iſtas ſe leges diſpoſiturum putavit, qui recentiſſime eas, MStorum Codicum ſubſidio valde auctas, & feliciter emendatas, edidit, immortalis ille *Muratorius*, ſi coniunctas ſingulorum Regum, a primo uſque ad ultimum progrediendo, leges exhiberet, nulla rerum, legibus contentarum, ratione habita. Qua in re non male feciſſe iis videbitur, qui hiſtoriam legum, nihil præterea, ſpectant; a ceteris, qui argumenta legum noſſe cupiunt, & illis legibus in cauſſis civilibus utendum ſibi putant, gratiæ fortaſſe eo nomine parum tulit. Reſtat, ut, quæ operi præſenti appendicis loco acceſſerunt, *Andreæ de Barulo*, *Iuriſconſulti celeberrimi*, *in leges Longobardorum opulentiſſima Commentaria*, tunc primum in lucem edita, paucis memoremus. Corrupte hunc Auctorem *de Banulo Conr. Geſnerus* in *Biblioth. univ. pag. 41*, *de Baruto* autem *B. G. Struvius* in *Biblioth. Iur. l. c. pag. m. 64*, & *I. G. Heineccius l. c.* vocant; parum etiam accurate, ab eo editæ hoc

in libro Leges Longobardicæ, dicuntur in *Bibliotb. Iuris Struvio-Buderiana pag. 64.* In regno Neapolitano, cuius civis fuit, regnante Rege & Imperatore *Friderico*, munere Advocati fiſci functum, &, quod ab interpretibus Iuris potiſſimum per *Bar.* citaretur, ideo magnum & famoſum habitum, ſcribit *Marcus Mantua* in *Epitoma Virorum illuſtrium num. 29 pag. 443* edit. *Hoffmanni.* Fuiſſe etiam Conſiliarium regium, patet ex inſcriptione operis, quo inprimis inclaruit: *D. Andreæ de Barulo, IC. Neapol. celeberrimi, ac Conſiliarii Regii, Commentaria ſuper tribus poſtremis Libris Codicis, nunc primum in lucem edita ex MS. Bibliothecæ Regentis Fornarii. Venetiis, apud Seſſas, 1601, 4.* Mentionem huius operis factam video a *Nic. Toppi* in *Bibliot. Napol. pag. 11.* Præſentis in leges Longobardicas Commentarii utiliſſimum inſtitutum fuit. Nam, cum Iuris illius in regno Neapolitano magna eſſet auctoritas, ex ICtis autem pauci ita ei noſcendo ſe dediſſent, ut, qua in re a Iure Romano diſcreparet, ſatis haberent cognitum, id unum hoc in opere agendum ſibi duxit, ut legum Longobardicarum a Romanis diſſenſum oſtenderet, &, quibus in cauſis potior ſit illius Iuris, Italis quodammodo domeſtici, auctoritas habenda, definiret. Lepida eſt narratio Auctoris, ſcribendi huius operis occaſionem memorantis, quæ confirmare illud poteſt, turpe eſſe homini docto, res peregrinas habere cognitas, rudem & ignarum patriarum eſſe. *Vidi ſæpe*, inquit,

magnos

magnos advocatos, in Iure Romano valde expertos, verecundatos a minimis advocatis, ius Longobardicum ſcientibus. Et præcipue, cum nuper quadam die in foro contentioſo manerem, quidam optimus advocatus, dum multa de Iure Romano pro ſuo clientulo allegaſſet, ſurrexit ex altera parte quidam advocatellus, & oſtendit ius Longobardum in contrarium iudici, quod ſubtus capam tenebat abſconſum. Et ſic advocatellus in cauſa obtinuit. Nam in caſu illo ius Longobardicum diſcordat a Iure Romano. Ille autem magnus advocatus remanſit frigidus, & verecundus, videns ſe ab impari, & tam de facili, ſuperatum, & Ius Romanum ſibi non proderat allegare, cum eſſet ſibi contrarium ius Longobardicum. Ex illa hora cœpi in animo meo cogitare hoc opuſculum. In quo ſummario Compendio narrabo omnes caſus, in quibus differant inter ſe iura prædicta. Præbuit enim advocatellus ille cauſam huic opuſculo, ſicut Calphurnia præbuit cauſam edicto. Iam, ſepoſituri librum, in quo memorando, veremur, ne iuſto longiores fuerimus, unum hoc ignorare nolumus Lectores, in externa eius forma parum eſſe elegantiæ, & valde exercitatum eſſe lectorem oportere, qui difficultates omnes, ab infinitis ſive operarum erroribus, ſive compendiis ſcribendi, obiectas, inter legendum feliciter ſuperare poſſit. Noſti iam illud *Boetii & Cotti;* qualia, non fallar, ſi in opere hoc inveniri ſexcenta dicam.

VIII.
CASPARIS BARTHII EPISTOLARVM AD CHRISTIANVM DAVMIVM QVOD RESTAT. (*)

EPISTOLA XXV.

Epiſtolas doctorum manuſcriptas nonnullas Hallis offendi, ubi minime quæſiveram, ibique reliqui. Cum eo rediero, & monitus fuero, non differam hinc transferre. *Claverii Claudiano* ægre vel tantillo tempore caruero. Omnino enim *Claudianus* relegendus eſt, quod ſine ea editione dimidius labor ſit. De Soliloquiis, ſodes, annitere, quantum poteſt fieri. Fruſtra ſollicitaverint alii, ubi ſciam, te correctorem futurum. Multum enim (ſi non totum) ſitum eſt in homine, qui Auctorem & librum ipſum amet & æſtimet. *Lurentis* vocem minime finxi, quamlibet antiquitatis teſtimonium poſt tot ſecula nullum ſuppetat. Scio quidem, in recentiorum Italorum aliquo verſificatore legiſſe, ſed malim ipſe fictionis periculum apud Criticorum naſum ſuſtinere, quam *Beroaldum*, *Bapt. Pium*, aut talem aliquem, pro inventore producere. Gloſſaria omnia excutien-

(*) Conf. *Miſcell. Lipſ. Nov. T. VIII P. II pag.* 341 *ſeq.*

cutienda erunt. *Luror* Lucretianum noſti. Suſpicor, *Arnobium* in *Tertullianum* mihi auctorem fuiſſe, vel alium Afrum. Bene vale. 20 Auguſti 1651 Lipſia.

Excutiens Scholia variarum nonnullarum lectionum, invenio apud *Martialem Lib. VIII, Ep. 61*, ubi *liventi* omnes libri editi habent, in MSto quodam Viennenſi fuiſſe — —

Quid imprecabor, o Severe, liranti,

Quod ex iſta voce corruptum putes, niſi primus ibi verſus *Livet carinis* forte obſtet, vel is Poeta ſit antiquarius. Is Viennenſis liber multum ab omnibus ceteris abit, & a *Grutero*, me præſente, aliquoties *nebulonis* convicium tulit.

EPISTOLA XXVI.

Libros petitos accipis, mi præſtantisſime amice. Hallis poſtremum redux, *Politianum* duobus Tomis compactum attuli, longe elegantisſimum librum, a me mirifice ſemper amatum, & ideo minime manibus luridis tactum, quem (ſi ante non habes) redimere potes, & id vellem fieri: nam nollem alienæ poteſtatis fieri, quod brevi alioquin futurum metuo. Attuli etiam *Cotovici* Itinerarium magno quarto, figuris æneis ornatum, cui appactus eſt *Torqua-*

tus Taſſus Germanicus *Diderici a Werder*, quem Codicem etiam tuum fieri optarim: mihi enim commendatiſſimus ſemper fuit, ex quo primum potitus fui. Præterea habeo *Tacitum*, *Columellam*, *Vitruvium*, Italice redditos tanta dexteritate, ut ſæpe Auctores non malim, quam traductores, legere, &, quod mirum, ſæpe invenerim doctorum noſtri ævi Criticorum emendationes in iis expreſſas, antequam nati fuerint iſti. Eſt & *Terentius* mihi Latinus, Toſcana lingua commentatus, quem Commentarium juxta veteres interpretes ſemper habui. Brevis & nervoſus eſt, & mirum, unde ea doctrina in Toſcum idioma venerit. Utiliſſimi tibi erunt ii libri ad proprietatem & uſum Romanum Latinæ linguæ probandos, quoniam video, eo usque te prudentia literaria provectum, ut etiam conſideres, quid in uſu Romæ fuerit, quo nomine ſane tibi accedo; *Lurentis* vocem non indignam eſſe *Martiali*, qui ſane ex communi Romano ſermone multa hauſit, ut præcipue ex laſcivis & prurientibus locis apparet, quibus voces nonnullæ inſunt, vix alibi reperiundæ. Poematia mea, à te nominata, ſane præter paucas paginas perdita puto. *Callimachi* unum alterumque Hymnum tamen & *Bionis* Idyllia puto me huc etiam cum aliis ſchedis pertuliſſe, ſane nunc minime inquirenda, tot ciſtis excutiendis; nam ego totus ætate torpeo, & vix unam *Claudiani* paginam (certe non ultra duas) toto biduo extricare poſſum. Poematia tua vel amo nimi-

nimium, vel puto omnem accuratione cenſu-ram eſſe ſupervecta. In Iambo puro te ipſum vincis, nec parem habes, qui nunc tale quid ſcribat. De typographicis occupationibus & ſenſi ego tecum, & ſenſum meum præ me ſemper tuli, omnino te tibi aliquando vim facere, damno omnis poſteritatis; itaque & nunc per meque teque ipſum tuam diligentiam convenio, ne nimium te illis tricis indulgeas, parcasque tibi, quatenus vales; pœnitebit olim, niſi hic aliquid meis dehortationibus dederis. Mea Soliloquia facile alibi curarem, ſi id ſerio agam; & malim inedita relinquere, quam cum corpuſculi tui detrimento vel cras extrudere. Itaque de iis nuper dicta indicta prorſus ſunto. Optime vale, optime amice. Scripſi Lipſiæ 3 Septembr. 1651.

EPISTOLA XXVII.

Dum in exitum usque tertiæ ſeptimanæ *S*. . opperior, ecce venientem tandem eum ſeſquiebrium, pagenſia Bacchanalia ructantem, & quidem ſine ullo literarum tuarum apice, excuſantem te propter paria feſta in oppido veſtro. Egregiam vero excuſationem, quæque interrumpere octodecennem amicitiam poſſit. Ego vero inhumanitatis te merito accuſo, qui non ſolum dati debiti expunctionem inſuper adeo habueris, ut, ne ſalutare me præter inſtitutum forte cogereris, etiam, quas ſummæ amicitiæ inſtinctu tibi amatisſimæ meæ coniugis literas

trans-

tranſmiſeram, ſimul cum fide tua retinueris, pro arbitrio ſcilicet pleno rerum mearum. Dolet enimvero iſte procedendi modus, & parum in te amoris erga me ſupereſſe, docere poteſt. Quo eum defectum ego facinore promeritus ſim, non comminiſcor, niſi quod tanta patientia, tantoque tui affectu, tot biennii integri contorſiones toleraverim, cum rebus meis, niſi ſemel tibi crediſſem, & firmiter fidei meæ inhæſiſſem, nullo negotio conſulere melius potuiſſem. Non ſpero, tantum in te malitiæ perfidiæque eſſe, quantum minatur hæc inſperata prolatio, literarumque, ad te non pertinentium, inimica retentio, cum ſilentio illo, quale XIIX ipſi anni non tulerunt. Si tamen tale quid ſuccedet, nequaquam, tot modis hactenus tribulatus, mihi defuturus ſum, ſed Senatui tuo oppidano per ſingularem tabellarium rem intimabo, ſuadente Advocato ordinario meo, qui, cum omnem rem ſciat, & pecuniam pro iſtis libris ipſe accepturus ſit, nullo modo me inſolentem iſtam nugacitatem tolerare iubet. De Catalogo ſecuturo ſollicitus ne ſis, non enim tibi moleſtus erit. Vale, Lipſiæ, Cal. Novembr. 1651.

EPISTOLA XXVIII.

Argentum, abs te incluſum, accepi. Adverſaria illico Lurconi noſtro miſi. *Claudiani* recenſionem aggreſſus eram, ſed cogor deponere. Interim & porro in perpetuum manent

in

in marginibus *Claveriani* textus notæ novæ cum veteribus indeſcriptæ, magnamq́ partem veteres, novæ vero prorſus omnes, nonnullo damno poſteritatis (niſi me ipſum ipſe ego fallo). Nam certum eſt, ne ad piſtrinum hoc redeam cum detrimento viſus & totius corporis, *Claverianum* illud exemplar prima occaſione longius amoliri, quod omnis Chironis ſecta tantum non imperat. Si tibi placet, (quod mihi voluptati etiam erit,) comparare licet; nam ſine meis notis liber eſt pretioſus, & nullibi parabilis; ut ſic & hac cura liber vivam: alioquin enim metuo, ne anus ad armillas aliquando revolvar. *Heinſii* editionem nunquam vidi. Duo exemplaria, quæ hic fuerunt, illico evanuerunt. Vellem tuo beneficio illam poſtea evolvere uno octiduo. Nigras illas animas, optarem tibi candide, poſſe te aſpernari meo ingenio. Abhorreo enim tam natura, quam educatione, & abominatus ſum ſemper, prævaricatores iſtos amicitiæ conſponſæ, & poſſum (Dei ſingulari beneficientia) eos animo delere; adeo quidem, ut ipſam eorum mentionem inſcitam habeam. De manuario opificio, quod tibi bilis extorſit apponere tuo incluto ſtudio, vide, ne iraſcatur Deus. Tanta enim tu res apud bonos, meique ſimiles, es, ut pigere teque meque debeat talium verborum, ſi non pudere. Have, mi fili, mi anime, utinam te amplecti etiam ante exceſſum liceat, quod tamen, vix eſt, ut ſperem. Catalogus novus meus 250 ut minimum

libro-

librorum libellorumque erit. Multi integri & dimidii mea manu annotati ſint. Moriar ſane longe paratius, ſi & hunc meum theſaurum in tua poteſtate conſtitutum novero. Et hoc ſane ultimum erit familiaritatis noſtræ τεκμήριον, adeo me omnes nervi viresque deſtituunt. Optime vale, & have, meum pectuſculum. Lipſiæ, 16 Decembr. 1651.

EPISTOLA XXIX.

Pro tua erga univerſum bonum literarium eximia voluntate apprime feciſſe videris, *Claudiano* noſtro tuam recenſionem conſpondendo, mi amantiſſime *Daumi*. Sic poterit tandem ἀπολεχέσμαλι quopiam mactari, ad omnem poſteritatem utili & nobili, ſummus Poeta. Infinita ex marginibus *Claverianis* accidi poterunt, & meæ notæ prudentius excudi, ut minor moles fiat, & ita nullo diſcrimine *Heinſiana* omnia adiici, ut & *Claveriana*, qui homo caret lectione, eloquentia, & non raro etiam iudicio, & tamen ne unus quidem apex ex eius notis præteriri poteſt; quod felicitatis diligentiæ eius erga *Cuiaciana* reperta debemus. Ducenta ad minimum Cupita in editionem præſtolantibus meis Adverſariis eidem Auctori data ſunt. De iis, conſilium inire poterimus, quid fieri velimus. Nam, quas conditiones typographi præfigunt, iis minime ego acquieſco. Bonus & bonæ mentis ille *Nicolaus* excuſat ſe lectionis; tantum eos Auctores, qui σύγχρονοι ſint *Claudiano*,

diano, ſe adhibuiſſe prædicans, quod ſane pro eo Auctore ſubridiculum eſt. Sed reliquæ tanti ingenii virtutes, præſertim incomparabilis candor, facile illi culpæ velum obducunt, nunquam removendum. Poſt *Claverium* commendatam habebis editionem *Aldi*, ex qua multa bona poſſunt duci ſolerti, hoc eſt, tuæ, induſtriæ. De verſu ex tralatione *Homerica* tecum ſentio, & aſteriſcus ille aliunde eſt. In *Zodiaci* verſu iam olim correxi:

— *infirmis animi rata pacta arroderet ævum.*

Familia mea tibi & omnibus tuis nota reponit cum auctario. Literæ tuæ, ſcriptæ die 29 Decembris 1651, hodie primum mihi redduntur, qui eſt 14 Ianuarii 1652. Increpa, ſodes, hominem, cui *lentuleitas* & *bibacitas*, diverſiſſima vitia, magnum, in eo ſunt, (ut auguror,) uti malum pariant. Lipſiæ.

EPISTOLA XXX.

Finito catalogo vetere cum bono Deo, eccum novum, nec tamen poſtremum, ſi placuerit benigniſſimo noſtro ἐργοδιώκτῃ, cui omnia debemus. Electa & Indices Gloſſarii accuratus labor ſunt, dignusque, qui nullibi negligatur. Eius periculum mora habet; teneræ enim papyro ſorices undique infeſti ſunt in iſtis ruderibus. Pretium iuſtiſſimum & æquiſſimum non ſine expenſis rationibus aſſignatum eſt. Auctores, qui inſunt, toti

toti recenſiti, & qui ſemiextenebrati, ſane meo animo gazæ ſunt; quid enim aliud cenſeas Notas, quæ prorſus divinos Scriptores, & Chriſto olores acceptiſſimos, iuvare ſerio atque diligenter (raro ſane alioqui ſucceſſu) tanto iam tempore, tantaque induſtria, ſtudent, nominatim *Chryſologum*, *Ardentium*, *Salvianum*, *Amedæum*, *Gunterum*, *Venantium*, *Paullinum*, *Boethum*, & alios, ſæpe enim & quos minime ſperes. Itaque iniquum prorſus non ſit, rebus meis, horride adhuc litigioſis, aliunde me iuvamen aliquod petere, præcipue cum, meorum aliquem literas iſtas curaturum, nulla poſſit eſſe ſpes. Tu vero, mihi viventi volentique exoptatus ſucceſſor, lampadem cupienti optantique amiciſſima manu eximas, mi *Daumi*, vere mi fili, unicum meum ſolatium. Hallas, neſcio, an brevi iturus ſim, non tamen puto. Tu omnia mature edocebere. Inſunt libri aliquot, quos peculiariter tibi commendo. In iis ſunt exquiſitiſſima editio Concordantiarum Bibliorum, in, quo magno codice nullum unquam ſphalma offendi: quod & de textu ipſo *Rob. Stephani*, & Phraſeologia Hebraica, (labore inſigni & quantivis pretii,) affirmare licet. Id quod & de *Plinio* affirmare poſſum, qui in hoc catalogo exſtat. Item ſcholaſtica opera, *Calepinianum* maxime Lexicon, tibi commendata volo, & quos catalogus ipſe commendat, mi anime. Parvum omnino ſpatium nobis ad metam reſtat; itaque toti invicem effundimur, ego certe ex animo.

Hane-

Hanelus decies in MSS. libris reperitur, cum nec ſemel contra *anhelus*. *Ceirin* non puto excutiendam denuo; ſcio enim, utcunque probas lectiones, nemini tamen probandas fore. Vale, mi fili, mi ad extremum ſpiritum amate fili. Lipſiæ, pridie Pauli converſi, MDCLII.

EPISTOLA XXXI.

Mi *Daumi*, mi fili. Multiplices literas tuas non ſine variis animi tumultibus legi. Horreo eam animi tui mutabilitatem, tantillum ob aes tertantum tibi & mihi conſciſcere turbarum. Cetera alere aliquid videntur ſiniſterius. Nam toties negata mihi librorum, qui fere principales ſunt, remiſſio contra votum meum facit, & mihi male eo fit, quod ii ſunt, quos relegere, & notis augere, deſtinavi, donec ordo avocationis ad eos venerit; quare & tibi votum meum (priſtinum me amorem erga te conſervante,) diſplicere non debebat, recte rem putanti. Amice igitur a te, tot iam annos meo, peto, ut ſexta parte detrahenda contentus ſis, & ſchedam iſtam volens recipias, quæ infinitarum turbarum utrique erit proſutrix, quibus ego minime omnium vel delector, vel aſſuetus ſum; nihil enim tale in omni indole, educatione, & inſtitutione, moribusque meis, unquam fuit. Inter libros proxime mittendos *Marcellus Empiricus*, eſt *Firmicus*, ex editione *Aldina*, Gloſſariis uterque mactandus,

 quam-

quamvis res præpropera non ſit. Si ante tres ſeptimanas ſuſpicari turbas has potuiſſem, libri iunctim Auguſtam Vindelicorum, (ubi & excudetur forte meorum aliquid,) vel Hamburgum, iviſſent. Nunc tua mutabilitas facit, ut inter ſacra ſaxumque hæream, quod ſane indignum eſt teque meque & poſteritate, (minime aliquo merito meo,) cui innoteſcit. *Egretta* eſt Gallica vox, genus *Alaudæ* quoddam, minime *Ceiris*, ut ex *Scaligeri* Commentario ſcies. Ad reliqua reſpondere nunc non poſſum; caput enim utrinque dolet. *Claudiano* notas ſi dabis, noli eas enallagis Grammaticorum vel nominetus dehoneſtare; ridentur enim futilitates illæ maxime ab exteris. Et quid cenſes *Scaligerum* aliquando ad tale quid dicturum? Illud *meritis* omnino *Claudiani* eſt, & ego defenderem. Si quid in literis porro moliri poſſem, adverſaria mea non amplius in poteſtate mea hactenus ſunt, ut aliquid in iis audere valeam. Vale. Lipſiæ, XXIV. Febr. MDCLII.

Quotidiana Electa mitto. Ex quorum ſingulis paginis ſinguli memorabiles libelli confieri poſſunt.

EPISTOLA XXXII.

Utinam, mi deſideratiſſime *Daumi*, placeret tibi, vexationes illas conſuetas tibi omittere, & candide per omnia ſtare pollicitis tuis; multum ſane decederet angoribus meis, quos, in fi-

ne

ne dierum meorum, ſemper novos undique experiri cogor. Ab dilectione tui animi meum divertere, omnino duriſſimum & ἀδυνατώτατον mihi. Et experiri tamen cogor tot modis inconſtantiam tuorum affectuum, qui ſuſtineas modo hoc, modo illo, modo promiſſa tua contemerare. Nuper literæ tuæ ferebant ſummam conſtantiam in auferendis libris meis: iſtæ recentiſſimæ tranſiliunt ea, quæ ſæpius ſcripſiſti, tanquam non iam noſſes, quid de iis ſpopondiſſes. Et ſane falſum fictumque non eſt, quod de periculo a ſoricibus imminente ſcripſi; ſceleratæ enim illæ beſtiæ nuperrime adhuc Romæ, viginti duobus ingentibus picturatisque foliis Romæ editæ, titulum invaſerunt, ut vides in ſubiuncta pagina, (quam illico remiſſam volo,) & creſcunt hoc vere in ſingulos dies earum agmina, nec munimenta lignea poſſunt vim earum cohibere. Mitto, quos libros petis, & admoneo, ſtes tuis verbis & literis; res meæ ſunt enim eo loco, ut prorſus angores omnes, qua datur, fugiendi ſint: catarrhis & aliis undique imminentibus morbis, qui apoplexiam utique vel præcedere in hac ætate, vel invehere, ſolent, quod undique Medici mihi ingerunt. Ad reliqua epiſtolæ tuæ proxime reſpondebitur; non enim iam ſufficit ſcriptioni tot modis tribulatus hic ſpiritus. Bene Vale. Lipſiæ, [illegible] Martii, MDCLII.

Romæ illa pictura, cum bene longa epiſtola a *Mariangelo Accurſio*, atavo quondam meo, ex ipſa urbe pretio curata eſt.

EPISTOLA XXXIII.

Abſyrti uſum tibi voveo diuturnum, immo proprium. Sed poſſeſſor eius non ſolum improbus, ſed etiam malus, quandoque homo eſſe laborat, aſtutiam putans, quæ in animo generoſo mera malitia eſt. Habeo *Scaligeri* aliquantillas notas in Novum Teſtamentum. Has ſemel bibliopola mulieri furatus, mihi reddere coactus eſt, denique Gnomologos *Sylburgii*, & *Fulgentium Plantini*, pari modo Veteramentariæ, ante biennium ſubduxit; ea (mortua nunc) non negavit malas eius fraudes. Id mihi confeſſus eſt, quod me comperiſſe novit, aut ſuſpicatur. Libris tamen ipſis mihi carendum fuit. Vale, mi amantiſſime *Daumi*, reliquum hominis ἀπειρόκαλου narrabo aliquando præſens, ingenium, quod in arce Bonitatis minime eſt. Deus Opt. Max. te ſoſpitet & ſervet.

EPISTOLA XXXIV.

Strictim epiſtolæ tuæ per capita reſpondebo, mi amantiſſime *Daumi*, utpote tædio & faſtidio ad omnia pæne intermortuus. Satisfacitis ambo mihi typographus & typodioctes, & gratias Deo ago, qui in ultima ætate mea vos mihi largitus eſt; pergatis modo, non dubito,

Chri-

Chriſtum omnia benedicturum. Adverſaria ſarta tecta recepi. *Guilielmus Tyrius*, Auguſtæ adhuc hæret. De benedictiſſimo nomine HIESV, ut & ceteris, fac, ut vis. *N* - - - nebulonem ſuum adhuc agit, ut ſemper, & valde hominem ἀπειρόκαλον abhorreo, certus, omni ipſum æquitati hoſtem ἄσπονδον eſſe & permanſurum. *Zechendorfius* quod in thermas iit, ſane invitus audeo. Utcunque enim & quicunque de iis bene loquantur, certum tamen eſt, cruditatis tantum ſimul iis imbibi, ut decimus quisque, iis utens, ægerrime non cogatur ſpiritum impendere, præcipue ſenex. Hortare ſodes *G* - - - tuum, ut ſtrenuet; non enim temporis multum supereſt. E comitiis Regenſpurgenſibus, iam dilapſis, exemplaria aliquot a me, cum inſcriptione manus meæ, flagitata ſunt. Valde optarem, in columnas totum opus diſtinctum eſſe, de quo etiam *G* - - - locutus ſum, ſed abnuebat, nec volebam pertendere, ſuas cauſas eum habere credens. Quid faciam reliquis meis libris? non enim contemnendi ſuperſunt, præcipue Itali, Germani, Hiſpani, Galli. Quin ægre ferent & facient mihi, ſi in alienas manus deventuri ſint poſt inſtans meum fatum. Catalogum novum mittam; ſi prius omnes iſtius, ut conventum eſt, avocati fuerint. Bene vale, mi fratercule, mi fili, mi anime. Lipſiæ, a. d. XVI Iunii MDCLIV.

IX.

EXCERPTA EX LITERIS IOANNIS LAVRENTII DE MOSHEIM, ACADEMIAE GOTTINGENSIS CANCELLARII, AD F. O. MENCKENIVM.

Video, *ſeptimum Miſcellaneorum* tuorum, amœniſſimi operis, *Volumen* his diebus evolvens, &, quæ de libris, non diu ab inventa arte typographica editis, eleganter diſſeruiſti, magna cum voluptate mea legens, video, inquam, te dubitare *(pag. 698)*, utrum *Phridianus* ille, cuius *Volaterranus* meminit, is ipſe *Fridianus Pignutius* ſit, *Flori* editor, cuius tu renovas memoriam, an vero alius, idque inveſtigandum aliis relinquere. Patere, Vir - - - -, ut tribus verbis, homo nimirum occupatiſſimus & temporis, ſi quis alius, avarus, hunc tibi ſcrupulum eximam. *Volaterrani Phridianus* a tuo *Fridiano* multorum Seculorum intervallo diſtat. Eſt ille, quem inter primi ordinis Sanctos, urbisque patronos, adhuc Lucenſes numerant, *Frigidianus*, Scotus, Lucenſium Seculo poſt natum mundi Servatorem ſexto antiſtes, quem populi more præciſe Volaterranus *Fridianum* nominat.

minat. *Gregorius* ille, apud quem *Volaterranus* memoriam eius exſtare ſcribit, *Gregorius* eſt *Magnus*, Pontifex Maximus, quippe qui in Dialogis magnifice hominem laudat, quod Auſerim fluvium, agros Luccenſium vaſtantem, divinitus in novum alveum abire iuſſit. Multa de eo habent rerum Lucenſium ſcriptores; nec omiſit hominem inter Epiſcopos Lucenſes *Ughellus Italiæ ſacræ Tom. I pag. 794.*

X.

SYLLOGE DIPLOMATVM ABBATISSARVM S. MARIAE AD GANDERSHEMIVM, EX MVSEO IO. CHRISTOPH. HARENBERGII.

I.

Gisla, Dei gracia eccleſie ſancte Marie in Ganderſem Abbatiſſa, omnibus Chriſti preſentis inſpectoribus ſalutem in auctore ſalutis. Solent quandoque res geſte, niſi ſcripto memorie fuerint commendate, aut malignitate hominum perverti, aut tractu longevi temporis in oblivionem devenire penitus. Noverint igitur tam preſentes, quam poſteri, quod nos utilitati eccleſie noſtre pro modulo noſtro providere cupientes, villam *Meinoldesbuſen*, quæ proprietati eccleſie noſtre attinebat, quam *coloni quidam* eo

jure, quod vulgariter bægereſcb appellatur, ab ipſa tenebant, ad communem conventus noſtri, tam dominorum videlicet, quam dominarum, profectum, cum communi utilitate, tam in ſilvis, quam in paſcuis, ab eisdem colonis adeo rationabiliter & finaliter pecunia noſtra redemimus, ut nec ipſi, nec aliqui heredum eorum, quicquam penitus ſibi juris deinceps addicere valeant in eadem. Sed tantummodo nobis, & nobis ſuccedentibus abbatiſſis, quicquid ad profectum ejusdem noſtri conventus cedere videbitur, de ea ſit liberum ordinare. Et ne huic facto noſtro poſtmodum aliqua valeat dubitatio ſuboriri, preſentem cartulam in veritatis teſtimonium conſcriptam ſigilli noſtri munimine fecimus roborari. Teſtes, Lutgardis *Capellana*, Henricus & Iohannes *ſacerdotes*, Ludegerus de Hakenbeke, Giſelbertus, Ropertus, Gerhardus, Recherus *converſus*, Widekint *paganus*, & duo filii ſui Herman & Henricus, Erenbrecht Bune, Theodericus *ſutor* & frater ſuus Sifridus, Reinart de ponte, Widege *faber*, Bertold filius villice, Berteram *preco*, Henricus filius Harduici, Borchart *mercator*, Thidericus filius Eilhardi, Henricus de Dandenhuſen, Borchart Bolteke, Gerebertus, Thidericus de Hagehuſen, Berteram *ſutor*, Iohan *ſutor*, Wernere *pelliſex*, & alii quamplures *eccleſie noſtre fautores*. Actum anno incarnacionis Domini milleſimo ducenteſimo viceſimo VIIII.

II. Mar-

II.

Margareta, Dei gracia Ganderſemenſis ecleſie Abbatiſſa, univerſis ſcripti preſentis inſpetoribus ſalutem in domino. Quoniam de hiis, quæ in preſencia noſtra ſunt acta, ſecure poſſumus teſtimonium perhibere. Notum igitur eſſe volumus tam preſentibus, quam futuris, quod Johannes & Henricus fratres dicti *de Lengede*, eccleſie noſtre miniſteriales, Manſum unum & dimidium cum omnibus attenenciis ſuis *in Edelingerodu* ſitum, quem *ab eccleſia noſtra tenent in feudo*, conceſſerunt Henrico de Edellingerode & uxori ſue Sophie, in heredes ſuos legitimos, jure hereditario transferendum. Tali interpoſita pactione, ut dictis fratribus Johanni & Henrico de ipſis bonis viginti ſolidi Hildenſemenſis monete in feſto beati Michaelis ſine contradictione qualibet annis ſingulis perſolvantur. Ne igitur ſuper hiis poſſit in poſterum aliquid contradicto ſuboriri, preſentem paginam in veritatis teſtimonium ſigilli noſtri munimine duximus roborandam. Actum anno Domini milleſimo ducenteſimo LVImo V Idus Junii. Hujus rei teſtes ſunt Theodoricus Capellanus noſter, Johannes de Wunſtorpe, Henricus ſacerdos, & Volquinus frater ſuus, eccleſie noſtre Canonici, Henricus miles de *Curia*, & Johannes filius ſuus, Gerhardus miles dictus de *Curia*, & Gerhardus & Hermannus filii ſui, Henricus *Camerarius* noſter & Conradus filius ſuus, Hermannus *miles* dictus *de Billerla*, Ger-

hardus filius domini Joh. de Curia, Albero de Werningerode, Albertus, Conradus, Recherus, Hugo, Johannes fratres dicti de Calvelde, Manegoldus de *Bruchem*, Ekbertus de Billerla, *Henricus dictus de Aldengandersem*, Conradus filius Domini Gerinki, Hermannus filius Arnoldi Campanarii, Conradus Erenberti, Henricus de Nigenſtede, & alii quamplures *ecclesie noſtre Miniſteriales*.

III.

Venerabili in Chriſto patri domino *Ottoni*, epiſcopo Hildenſemenſi, honorabili quoque viro domino *Erneſto de Indagine, Archidiacono banni de Alvelde*, Sophia Dei gratia Ganderſemenſis eccleſiæ abbatiſſa, paratam ad eorum beneplacita voluntatem. Litteras infra ſcriptas reverendi domini quondam *Siffridi* Epiſcopi bone memorie, & majoris Capituli eccleſie Hildenſemenſis ſigillis munitas, vidimus, & de verbo ad verbum legi fecimus coram nobis, quarum tenor talis eſt. „*Nos Siffridus Dei* „*gracia Hildenſ. ecclesie Epiſcopus* recognoſci„mus dilucide per preſentes, quod unanimi tocius Capituli noſtri conſenſu accedente, *allodium* ſex manſorum in *Weteborne* & *decimam eorundem manſorum* & *unum manſum lithonicum* ibidem, & *Hermannum lithonem noſtrum*, donamus & donavimus, cum jure perennacionis Venerabili in Chriſto Domine Sophie Abbatiſſe ecclesie ſancte Marie in Ganderſem poſſidendos, prædicta bona ab omni onere Advoca-

vocatie cum omni jure & voluntate ſingulisque ſuis pertinenciis in ſilvis, paſcuis, pratis, nemoribus, viis & inviis, in predictam dominam Abbatiſſam ac eas, que ei onere & honore ſucceſſerint, preſentibus transferentes. Volentes nihilominus, ut *jus patronatus ecclesie* ejusdem ville cum univerſitate ſua tranſeat ad easdem. Ne igitur ex hujusmodi donatione ecclesia noſtra aliqualiter lederetur, venerabilis Abbatiſſa eccleſie predicte accepti beneficii non immemor, volens nobis & ſucceſſoribus noſtris fructuoſam facere recompenſam, cum pleno conſenſu ſui capituli octo manſos in campo ville *majoris Levede* à jure advocacie non immunes, & unum manſum in campo *minoris Levede* cujuslibet juris advocacie expertem cum areis & aliis attinenciis tam in villa, quam in campis, nobis & noſtris ſucceſſoribus donavit, ac liberaliter erogavit ipſos, cum omni proprietate in noſtram eccleſiam transferendos. Inſuper per venerabilem Abbatiſſam prefatam favorabiliter eſt adjectum, ut jus patronatus eccleſie in Levede, cum predicta univerſitate ſua tranſeat ad nos & noſtros quoslibet ſucceſſores, prout in litteris ſuper hiis confectis plenius continetur. Ut autem donationes mutue, hinc inde facte, inviolabiles futuris temporibus perſeverent, preſentes litteras ſuper hiis confectas prefate Domine ac ſue eccleſie duximus erogandas, ſigillorum noſtri & prefate eccleſie noſtre capituli munimine ſtabilitas. Teſtes autem hujus

rei

rei ſunt dominus Henricus Decanus majoris eccleſie Hildenſ, Dominus Erneſtus de *Indagine*, Dominus Lippoldus de *Staekem*, & Dominus *Bernardus de Hardenberghe*, Canonici ibidem, Dominus Fridericus, Dominus Henricus Bruningi, Dominus Daniel de *Weſterhove*, & Dominus Henricus de *Honſtette*, Canonici predicte eccleſie in Ganderſem, Dominus *Albertus* dictus *Bok*, Dominus Wedekindus de *Garskebutle*, Dominus *Boldminus de Steinbergh*, & Dominus Ecbertus de Vrdeen (*), *milites*, & alii quamplures fide digni. Datum Hildenſem Anno Dni M. CCC quinto, quarto nonas Aprilis. Viſis itaque hujusmodi litteris, ut ſupra dicitur, ac perlectis, ad preces Domine *Adelheid nunc Abbatiſſe conventus eccleſie ſancte Marie* prefate ipſas copiari fecimus & reſcribi, noſtri ſigilli robore conſignatas. Actum & datum Ganderſem Anno Domini M. CCC. viceſimo ſecundo in craſtino converſionis ſancti Pauli Apoſtoli.

IV.

We Gheſe van Godes Gnaden Ebdeſſche des Stichtes to Sünte Marien vor Ganderſſen, bekennet in düſſen obenen Breve vor als, weme dat vor uns gheweſt ſint Brant Weteborne *mit ſinen Erven*, Heneman Haringhuſen *mit ſinen Erven*, *und* Grete Cordt Eriken *elike Husfruwe mit oren erven*, *und hebbet*

(*) Uhrde eſt villa prope Oſterodam, in Traditionibus Fuldenſibus Orta appellata.

hebbet uns müntliken berichtet, *dat ſe ſick vordraghen hebben mit* Branden Weteborne *vorbenomet*, *umme eyne Hove Landes beleghen uppe dem Velde to* Weteborne, *dar ſe mit eynander Erven to ſint*, *dat* unſe Pacht-Gud unde Late-Gud (*) *is in düßer Wis. Dat he one ghifft vefteyn mark Gandersheniſcher Weringe*, *darmede ſchullet ſe und wellen genſliken van dem Gude ſcheden ſin*, *alſo lange*, *wente dem vorgeſcreven Brande Weteborne und ſinen erven deme edder den de one ghelik ſin düßen Breff hedde mit ſynen edder ſiner Erven willen ore veſteyn mark Gandersh. Weringe wedder gheven unde wol betalt hebben*, *und wan ſede Betalinghe Branden vorgeſcreven unde ſinen medebenomeden alſo dogen wolden*, *dat ſchullen ſe one und ſinen medebenomeden* vorkundighen uppe Sünte Michaelis Dach, *und gheven one denne uppe Winachten erſt to komende ore vefteyn Mark der ſülven Weringe unbekümmert und ungehindert in der Stad to Gandersſen ane lengeren Vortoch*, *und* we Ghese Ebdeſsche *des vorſcrevenen Stichtes bekennet mit düßem ſülven Breve*, *dat we mit Wittſchoppe*, *Vulborde*, *und Rade*, Ilſen unſer Medehülperinnen, *de uns dartho gheſchicket und gheven is mit uns to radende*, *wat uns anligende is*, *van unſes Stichtes weghene hebbet bekant und bekennet*

(*) *Lategud*, prædium litonibus dari ſolitum.

kennet in düſſen ſülven Breve deme vorgeſcreven Brande Weteborne, ſiene erven deme edder den, de one ghelik, wer düſſen Breff bedden mit ſiner edder ſiner Erven Willen umme bede willen Henemans Haringhuſen *ſiner Erven und Greten* Cordes Ericken *eliken Husvruwen und over Erven und der de des mochten to ſchickende hebben veffteyn Marck Gandersh. Weringe an der vorſcreven Hove Landes* ungehindert und unvorluſtiget unſes jarliken tinſes mit aller Richtigkeit, *deme uns dat alle iar van gheven ſchall* und mit alle deme dat uns dar alle Jar von vallen mach. *Unde we Ilſe Hülperinne vruwen Gheſen vorgeſcreven bekennet mit düſſen ſülven Breve, dat alle düſſe vorgeſcreven Stücke und eye jowelck, ſint geſcheen mit unſer Witſchop Vulborde und Rade, und dat dat alſo truwelicken gheholden werde, des to eyner openbaren Bewiſinghe hebbe we beyde unſer Ebbedige Juges. witlicken ghehangen heten an düſſen Breff und is gheſchen na Godes Bord Chriſti ihn unſes Heren* verteyn hundert Jar dar na in deme achte unde twintigeſten Jare *des Diusdaghes vor Sünte Martens-Daghe des hilghen Biſchoppes.*

* * *

INDEX

INDEX DISSERTATIONVM,

QVAE

VOLVMINIS OCTAVI

PARTE QVARTA

CONTINENTVR:

I. IOANNIS RVDOLPHI KIESLINGII, D. & P. Ord. Lipſienſis, Obſervatio de Summo gentis Iudaicæ excidio ſub ſolis occaſu ſignificato, ad dict. *Ier. XV, 9.* Pag. 565-575

II. EIVSDEM Obſervatio de Formatione hominis inſtar caſei coagulati, ad effat. *Iob. X, 10.* Pag. 575-586

III. Biga Epiſtolarum mutilarum, a Viris clariſſimis, BERN. PEZIO & PHILIB. HVBERO, olim editarum, ad Hiſtoriam BENNONIS, famoſiſſimi illius Eccleſiæ Miſſe-
nenſis

nenſis Sec. XI atque ſeq. antiſtitis; pariter ac univerſæ Marchiæ ipſius cognominis, nec non Ducatus Bohemiæ, ex eodem tempore ſupplendam ac emendandam, inſigniter conducentium, quarum modo priorem pro virili dilucidatum ivit Io. Gottlob Horn. Pag. 587-661

IV. Io. Christoph. Harenbergii Enodatio quæſtionis, cur Principes Comitesque Schwarzburgici appellati ſint *ein der vier Graven des Reichs, einer denen vier Grafen des Reichs, der Grafen des Reichs.* Pag. 662

V. Io. Iac. Reiske Coniecturarum ad *Herodotum* Pars V, quæ eſt ultima. Pag. 664-67

VI. Eiusdem ad *Plutarchi* opuſculum de malignitate *Herodoti* coniecturæ. Pag. 674-692

VII. Frid. Ottonis Menckenii Librorum, haud ita diu ab inventa arte typographica editorum, quibus ſuppleri poſ-

ſint

ſint Annales typographici *Maittairiani*, Decas ſexta, eiusque altera Particula. Pag. 692-715

VIII. CASPARIS BARTHII Epiſtolarum ad CHRISTIANVM DAVMIVM quod reſtat. Pag. 716-729

IX. Excerpta ex literis IOANNIS LAVRENTII DE MOSHEIM, Academiæ Gottingenſis Cancellarii, ad F. O. MENCKENIVM. Pag. 730-731

X. Sylloge Diplomatum Abbatiſſarum S. Mariæ ad Gandershemium, ex Muſeo IO. CHRISTOPH. HARENBERGII. Pag. 731-738

INDEX I.

LOCORVM SCRIPTVRAE SACRAE, IN HOC MISCELLANEORVM VOLVMINE AVT EXPLICATORVM, AVT ILLVSTRATORVM.

Gen. IV, 14. 285
XV, 13. 398
XVII, 17. ib.
XXIII, 1. ib.
XXV, 26. 409
XXXVII, 2. ib.
XLI, 46. ib.
XLV, 6. ib.
XLVII, 9. ib.
28. ib.
XLIX, 14. 12
L, 26. 409
Exod. II. 407
6. 510
14. 385
III, 8. 576
IX, 23. 11
XII, 40. 396
XV, 8. 581
13. 396
XIX, 16, 17. 11
18. 15
20. ib.
XXIII, 15. ib.
XXXIII, 19. 190

Lev. XVI. 177
XIX, 26. 569
Num. X, 35. 25
XXI, 16-18. 21
XXIII, 22. 211
Devt. XVIII, 10. 569
XXXIII, 17. 211
Ioſ. XIV, 7. 390. 396
16. ibid.
XXIV, 31. 390
Iudic. I. 407
II, 7. 390
13. ib.
III, 2. 402
8. 391. 402
11. 391
13. 388
14. 391. 402
IV, 1, 2. 388
3. 391. 402

Iudic. V, 4, 5. 10
6. 388
13. 402
14. 388
16. 12
20. 387
31. 391
VI, 1. 391. 402
VIII, 28. 391. 402
IX, 18. 388
22. 402
48. 35
X, 2. 402
3. 403
7. 388. 405
8. 389. 402. 405
12. 391
XI, 26. 389
XII, 7. 403
9. ib.
11. ib.
14. ib.

Iudic.

Iudic. XIII, 1. 389. 391. 402. 405
XV, 20. 388
XVI, 31. 390. 403
1 Sam. III, 1. 389
IV, 18. 403
VI, 15. 3
VII, 3-10. 389
7. ib.
15. 389. 404
25. 392
VIII, 1. 389
XII, 11. 388
XV, 9. 129
XVII, 18. 576
XVIII, 6. 6
2 Sam. V, 1. 571
2. 2
5. 6
15. ib.
21. 1
23. 2
VII, 12. 207
16. ib.
XXIII, 2. 26
XXXIII, 1. 2. 1
1 Reg. II, 11. 389
IV, 1. 403
VI, 1. 401, 403
2 Reg. XI, 4. 208
19. ib.
XIV, 25. 7
XVII, 24. 416
1 Chron. XIII, 8. 3
XVI, 1. 2
2 Chron. I, 4. 3
XXIX, 35. 1
Eſdr. IV, 9. 416
Iob. VI, 11. 586
X, 10. 35. 575 ſeq.
XXIV, 19. 29
XXX. 3. ib.
XXXI, 27. 567
XXXIX, 12. 13. 211
Pſ. II. 4. 201
7. 145
VII, 5. 54
XVI, 8. 200
XVIII, 1 ſeq. 1
3. 200
XXII. 4
1 ſeq. 148 ſeq.
15. 23
16. 34
20. 217
XXIV. 3
XXIX, 6. 54
XXXIX, 6. 47
XLIII, 15. 54
XLIX, 7. 50
23. 48
LIV, 13. 47
LV, 9. ib.
Pſ. LVII, 6. 50
LVIII, 11. 48
LIX, 7. 50
LXIII, 4. 47
LXXIII, 23. 49
LXXV, 11. 216
LXXVIII, 20. 48
69. 211
LXXXI, 3. 517
LXXXVIII, 5. 217
16. 10
25. 23
XCI, 6. 47
XCII, 11. 211
XCIX, 4. 48
CIV, 3. 8
CV. 41. 29
CXXXII. 3 ſeq.
CXXXIX, 6. 47
14. 15. 581
CXLVI, 1. 48
CXLVIII, 12. 571
Prov. VIII, 22. 145
XXV, 26. 38
Eccl. X, 4. 26
Cant. III, 4. 572
9. 14
V, 15. 571
VIII, 12. 572

Eſ. VIII, 19. 24
X, 24. 26
XIII, 2. 11
XV, 9. 565 ſeq.
XXIII, 4. 571
XXV, 12. 33
XXIX, 4. 24
XXXIII, 9. 13
XXXIV, 7. 211
XXXV, 6. 7
XXXVI, 2. 31
L, 1. 572
10. 24
Ier. III, 2. 11
21. ib.
IV, 11. ib.
VI, 2. 31
XV, 8, 9. 568
XLIII, 10. 14
Thren. II, 3. 216
22. 572
Ezech. I. 8
II, 6. 7
IV, 16. 30
XII, 19. ib.
XXIII, 4. 572
XXIV, 3. 34
XXVII, 19. 416
XXVIII, 24. 208
XXXII, 2. 38
XXXIV, 18. ib.
XXXVIII, 6. 416
XL, 43. 33, 34

Ezech. XLVII, 15-20. 416
Dan. IV, 27. 71
V, 31. 84
VI. ib.
28. 85
VII, 18. 209
XI, 45. 14
Hoſ. II, 5. 572
IV, 5. ib.
VII, 16. 26
XI, 7. ib.
Mich. V, 2. 145
Zach. V, 6-8. 14
XIV, 10. 208
Malach. I, 8. 129
Sirac. VII, 27. 284
XXV, 28. ib.
XXXVIII, 17. ibid.
2 Macc. II, 30. 31
44. ib.
V, 18. ib.
56. ib.
VI, 6. ib.
28-30. ib.
VII, 2. ib.
4. ib.
10, 11. ib.
27. ib.
39. ib.
VIII, 6. ib.

Matth. II, 1[illegible] 51[illegible]
IV, 6. 27[illegible]
VIII, 6. 27[illegible]
14. ib.
IX, 2. ib.
25. 2[illegible]
38. 28[illegible]
XI, 16. 22[illegible]
XII, 20. 2[illegible]
35. 2[illegible]
XIII, 52. ib.
XVI, 21. 2[illegible]
XVII, 15. 66
XIX, 12. 22[illegible]
24. 2[illegible]
XXI, 39. 28[illegible]
XXIII. 3[illegible] 57[illegible]
XXIV, 32. 2[illegible]
XXV, 27. 2[illegible]
XXVI, 64. 20[illegible]
XXVII. 35[illegible] 205. 221
39. 221
43. ib.
46. ib.
Marc. I, 12. 288
43. ib.
V, 40. 291
VII, 30. 277
XII, 41. 42. 276
XIV, 65. 272
XV, 29. 222
34. 221

Luc. I.

Luc. I, 15. 282
23. 282
41 ib.
44. 222.382
48. 222
II, 4. 223
15. 382
21. 222
39. 382
V, 4. ib.
VI, 13. 379
22. 298
VII, 12. 382
X, 2. 288
35. 292
XI, 27. 222
XII, 47. 461
XV, 25. 382
XVI, 20. 277
XVIII, 15. 16. 510
31-33. 207
XIX, 5. 382
29. ibid.
40. 222.382
XX, 42. 1
XXI, 30. 223
XXII, 66. 382
XXIII. 26. ib.
34. 221
Io. III, 19. 289
IV, 49. 66
V. 46. 477
VI, 22. 223
70. 379
IX, 31. 421
Io. X, 4. 288
20. 508
XIII. 18. 379
XV, 16. ib.
19. ib.
XIX, 24. 221
XXI, 7. 275
Act. I, 2. 379
10. 382
11. 25
16. 1
20. ib.
24. 379
25. ib.
II, 25. 20
III, 2. 222
25. 223
V, 24. 382
VII, 6. 389
25. 385
27. ib.
58. 281
VIII, 33. 222
36. 381
IX. 23
40. 291
X, 2. 222
7. 382
22. 222
XIII. 406
16. 222
19. 281
XIII, 20. 402. 403
20. 21. 378 ſeq.
Act. XIII, 21. 389
23. 379
25. 382
33. 202
XIV, 5. 281. 381
8. 222
XVI, 4. 281
6. 381
10. 281
15. ib.
XVII, 2. 381
13. 281
28. 132
XVIII, 8. 281
XIX, 21. ib.
XX. 5. 471
Rom. I, 4. 145
VI, 9. 198
IX, 11. 379
33. 223
X, 11. ib.
XI, 5. 379
7. ib.
9. 1
28. 379
XIV, 14 ſeq. 469
XV, 5. 126
1 Cor. VIII, 7 ſeq. 469
X, 25 ſeq. ib.
XII, 28. 222
XV, 54 ſeq. 289
2 Cor. VI, 10. 464
VII, 17. 223

Gal. I, 15. 222
III, 17. 379
IV, 26. 572
Eph. I, 4. 379
III, 15. 223
IV, 8. 15
Phil. II, 2. 126
III, 19. 222
21. ib.
1 Theſſ. I, 4. 379
1 Tim. [illegible] 166
15. 474
2 Tim. IV, 7. 223
Tit. I, 1, 2. 381
1 Petr. II, 6. 223
V, 8. 222
2 Pet. I, 10. 379
III, 12. 223
3 Io. v. 10. 291
Iac. I, 10. 222
II, 25. 291
V, 16. 421
Ebr. I, 5. 202
II. 2. 205
Ebr. II, 7. 200
IV, 9. 142
V, 5. 202
XI, 33. 223
XIII, 8. 198
Apoc. I, 3. 223
18. 198
II, 19. 223
V, 13. 198
XV, 4. 223
XXII, 10. ib.

INDEX II
RERVM NOTABILIORVM.

A.

De *Actis* Eruditorum iudicium Perizonii, 150
Iac. Gronovii iudicium. 153
In *Alexandrino* & Turicenſi librorum ſacrorum Codice an conſtanter ſervetur dialectus Alexandrina? 41 ſeq.
De *Allixio* (P.) ſingularia. 157
De *Amore* inſulſi duo Scriptores recenſiti. 534 ſeq. 545 ſeq.
Andreas Capellanus, ſcriptor Tractatus amoris, quis fuerit? 559 ſeq.
Auguſtana urbis ſingularia. 173.

Bar-

B.

Barthii (Caſp.) ad Daumium Epiſtolæ nunc primum editæ. 342 ſeq.
uxor qualis? 348
lachrymæ in obitu filiolæ. 356
in Daumium invectiva oratio. 718 ſeq.
De *Barulo* (Andreas) vetuſtior Iuris Longobardici interpres. 713 ſeq.
Bennonis, Epiſcopi Miſnenſis, hiſtoria illuſtrata. 587 ſeq.
Bergleri (Steph.) in Herodotum merita deſcripta. 294 ſeq.
De *Bernartii* in Statium Commentario iudicium. 374
Boerius (Nic.) primus legum Longobardicarum editor. 703 ſeq.
Bohemiæ Ducatus hiſtoria ſuperiorum temporum illuſtrata. 587 ſeq.
Boncompagni, qui de Amore librum ſcripſit, vita & fata inveſtigata. 541 ſeq.
Breitingerus (Io. Iac.) modeſte refutatus. 41 ſeq.
De *Burii* (Arthuri) Nudo Evangelio ſingularia. 160
De *Byneo* (Ant.) ſingularia. 147 ſeq.

C.

Cæſar (C. Iul.) virtute Germanorum, Romanorum dominus. 244 ſq.

Capotii (Priami) Carmen recenſitum. 693 ſeq.
fata triſtiſſima deſcripta. 696 ſq.
Caſei coagulati ſymbolum in formatione hominis illuſtratum. 575 ſq.
In *Catonis* Diſtichis locus emendatus. 371 ſq.
De *Caveo* (Guil.) ſingularia. 157 ſq.
Claveriana Claudiani editio in mediocri pretio habenda. 721. 722
De *Clemente* II, P. M. varia. 609 ſq.
Clericus (Io.) in Germanos iniquior. 151
In *Codice* librorum ſacrorum Alexandrino & Turicenſi an conſtanter ſervetur dialectus Alexandrina? 41 ſeq.
De *Covelo* (Io.) ſingularia. 170
Criticus, artium ſcientia carens, hominis Platonici elogio donatus. 315 ſq.
Cyaxares an fuerit Aſtyagis filius ſuppoſitus? 63 ſeq.
eius de ſolio regali deturbatio a Xenophonte narrata. ibid.
vita plenius expoſita. 70 ſq.
an ſit inter Reges Medos numerandus? 63 ſq.

D.

Davides Hymnographorum princeps. 1 ſq.

Daumii (Chriſt.) Carmina laudata. 346 ſq.
exprobratio Barthiana. 725. 727

Dena-

Denarii S. Petri origo & vera ratio illuſtrata. 623 ſq.
Dionis Caſſii de C. I. Cæſare loca duo explicata. 254 ſq.
Diplomata Gandershemenſia collecta. 731 ſeq.
Diplomatum, etiam miſere corruptorum, varius uſus demonſtratus. 593 ſeq.
Dominii, quod marito in dotem competit, indoles explicata. 260 ſeq.
In *Dotem* cur marito dominium competat? 260 ſq.
In *Drakenborchium* (Arn.) ineptum Epigramma Reitzii. 340

E.

Egretta, vox Gallica, quid notet? 726
Ἐκβάλλειν, verbi, genuina notio, & multiplex uſus. 268 ſq.

F.

De *Fellero* (Ioach.) acerbum Iac. Gronovii iudicium. 152
Flori de C. I. Cæſare locus explicatus. 248 ſq.
Freberi de tributis, olim Iudæis imperatis, Diatribe laudata. 358 ſq.

G.

Gandershemenſis hiſtoria ex Diplomatibus collecta. 731 ſeq.
Germanorum virtute Cæſar Romanorum dominus factus. 244 ſq.
In *Germanos* iniquior Io. Clericus. 151

Gratæ voces, rem pæne eandem notantes, ſed tamen diverſæ, collectæ. 504 ſq.
Gronovii (Iac.) de Fellero iudicium acerbum. 152

H.

Halæ urbis incendium deſcriptum. 349
Hanelus in MSS. libris reperitur, nunquam anhelus. 725
De *Hedingero*, Giſſenſi Prof. ſingularia. 182
De *Heinſii* (Nic.) editione Claudiani iudicium. 722 ſeq.
Herodotus emendatus & illuſtratus. 86 ſeq. 299 ſq. 303 ſq. 480 ſq. 664 ſq.
eius editio a Berglero tentata. 294 ſq.
Hochſtetteri (Andr. Ad.) Epiſtolæ ad Ott. Menckenium ex parte nunc primum editæ. 135
Hominis formatio inſtar caſei coagulati qualis? 575 ſq.
Humaniores literæ a Patribus Eccleſiæ commendatæ. 224 ſq.
De *Hydeo* (Th.) notitia literaria. 159

I.

Iudaicæ gentis excidium ſub ſolis occaſu ſignificatum. 565 ſq.
De *Iudicum* populi Iſraelitici annis imperii dubium chronologicum ſolutum. 378 ſq.

De

De *Iuramento* fidelitatis præſenti Angliæ regimini præſtando ſingularia. 161 ſq.

K.

Kulpiſii (Io. Ge.) obitus. 186

L.

De *Legione* fulminatrice narratio ſub novum examen vocata. 417 ſq.
Lini apud veteres uſus qualis? 365
Longobardicarum legum editio vetuſtiſſima recenſita. 700 ſq.
Lucani de C. I. Cæſare locus explicatus. 250 ſq.
Lurentis vox cuius auctoritatis? 716. 718
Lutherus an unionem cum Sacramentariis petierit? 171

M.

Medorum Regum hiſtoria nondum ſatis explicata. 58 ſq.
De *Milliana* N. Teſt. editione ſingularia. 166
Minucius Felix emendatus & illuſtratus. 115 ſq. 454 ſq.
Miſchnæ converſio ab Hochſtettero tentata. 180
Mulberi (Detmari) editio libri Andreæ Capellani de Amore recenſita. 546 ſeq.
Muſicum inſtrumentum, quo uſus Davides, quale? 189 ſq.

Nar-

N.

Nardenſis urbis ſingularia. 148 ſq.

Nevnæ (Io. Bapt.) in leges Longobardorum merita. 702 ſq.

O.

De *Oſiandro* (Io. Ad.) ſingularia. 185 ſq.

P.

Patres eccleſiæ humaniorum literarum amantiſſimi. 224 ſq.

Philoſtrati locus explicatus. 300 ſq.

Phridianus Luccenſis a Fridiano Pignutio diverſus. 730 ſeq.

Plutarchi opuſculum de malignitate Herodoti emendatum. 674 ſq.

De *Pocokio*, Anglo, ſingularia. 169

Pſalmi Davidici omnibus aliis prælati. 1 ſq.

R.

Reitzii (Io. Frid.) ignorantia Criticees, eloquentiæ, elegantiorum literarum, ſtupor, & ſimilia, notata. 315 ſq.

Roellii (Herm. Alex.) cum Vitringa controverſia. 144

S.

Sabbati inter Chriſtianos moralitas defenſa. 142

Schwartzburgicorum Comitum appellatio ſingularis illuſtrata. 662 ſq.

De *Sherlockio* (Guil.) ſingularia. 161

De *Sigillis* Pontificum varia. 656 ſq.

Solis

Solis & ſplendore, & obſcuratione, res maximæ quæque iudicantur. 566 ſq.
De *Spenero* (P. I.) iudicium. 174

T.

Thermæ male commendatæ. 729

De *Tocco* (Carolus) vetuſtiſſimus Iuris Longobardici Gloſſator. 707 ſq.
eius vita & fata. 708 ſq.
Tormentum ingens Olivieri van Norden deſcriptum. 149
Trinitas ſanctiſſimi Servatoris ab Anglis impugnata. 160

V.

Vinetus, interpres Auſonii mediocris. 355
Vitringæ cum Roellio controverſia. 144
Vocabularius Iuris, Lexicorum Iuris antiquiſſimum. 698 ſq.
Vratislai Iuſti, Ducis Bohemiæ, hiſtoria illuſtrata. 613 ſq.

W.

Welſebii (G. H.) vita, ab ipſo deſcripta. 173
Weſtmonaſterii ſingularia. 156
Wolfii (Hieron.) vita, ab ipſo deſcripta. 178

X.

Xenophontis de Cyaxare locus illuſtratus. 58 ſq.
in re hiſtorica fides valde dubia. 79 ſq.

Cum

Cum varii in *Volumen* hoc *quartum*, operarum vitio, errores irrepſerint, hos ita emendari cupimus: In *Præf. pag.* 2 *lin.* 13 pro *ſec* leg. *nec*; & *lin.* 14 pro *naſtidiis*, *faſtidiis*; in ipſis *Miſcellaneis pag.* 43 *lin.* 4 pro *iſe* leg. *ipſe*; *pag.* 45 *lin. antep.* pro *quam obrem* leg. *quamobrem*; & *lin. pen.* pro *aliqua* leg. *aliquam*; *pag.* 46 *lin.* 19 pro *ſollicitat*, *ſollicita*; *pag.* 64 *lin.* 1 pro *vittute*, *virtute*; *pag.* 172 *lin.* 12 pro *Ulttaiectum*, *Ultraiectum*; *pag.* 378 *lin.* 18 pro *Cluverianæ*, *Claverianæ*; *pag.* 535 *lin.* 7 pro *origenis*, *origines*; *pag.* 548 *lin.* 5 pro *1714*, *1614*; & *lin.* 19 pro *1710*, *1610*; *pag.* 662 *lin.* 8 pro *Grraſen*, *Graven*.

3 2044 092 617 513